
37
26 D
3

SANCTISSIMO PATRI,

AC DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

DE DEO HOMINE QUÆSTIONES

Scholasticæ, Dogmaticæ, Historicæ.

AUCTORE

D. FORTUNATO VENERIO

PRESBYTERO BARNABITA &c.

TOMUS III.




ROMÆ, MDCCXXXVIII.

Ex Typographia Petri Rosati, & Josephi Borgiani in via Parionis.

SUPERIORUM FACULTATE.

Sanctissimo Patri, ac Domino Nostro


CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

Omnem felicitatem.

FORTUNATUS VENERIO

PRESBYTER BARNABITA.



AM pridem, BEATISSIME PATER, hoc tertium Theologicum volumen supremæ Pontificiæ Majestati Tuæ humiliter, demissèque sistendum erat, ut

exoptaveram, proposueram, imo & pollicitus eram, mihique ipsi non mediocriter gratulabar, quod recurrentibus iis solemniis, quibus Apostolica Ecclesia Divini Verbi hominis facti nativitatem celebrare consuevit, disputationes istas scholasticas, dogmaticas, historicas, quæ de ejusdem incarnatione inscribuntur, Tibi pro summa clementia, qua omnia studia mea excipere non dedignaris, consecrare daretur. At quod præstare nascente Domino nonnullis de causis prohibitus sum, id eo à mortuis resurgente perficere mihi concessum est, atque id fortasse altiori consilio peractum esse, dicere non trepidarem, cum in ejus nativitate opus incarnationis tantùm incæpisse nobis appareat, in ejus verò resurrectione completum esse cognoscamus, atque ita quidem, ut cœtera, quæ magna, quæ Divina egerat, quæ vilia, quæ abjecta pertulerat, nihil nobis emolumenti sine resurrectione
1. ad Corint. c. 15 v. 17. contulissent, dicente Paulo: *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra.* Aliud verò, nec leve momentum, sese mihi exhibet; nimirum, etsi prӕter mentem meam, non tamen abs re, factum esse, ut triumphali hac Christi festivitate Tibi, PATER SANCTISSIME, hanc studii mei partem devoverem; Illa enim peracta Pontifex ille Summus secundum ordinem Melchisedech, in eadem natura, sed non eadem carnis conditione, paucos dies commoraturus inter nos rediens, Ecclesiam illam instituit, quam, remansurus usque ad consummationem sæculi invisibile caput, primum, tanquam sui Vicario, tradidit Petro, deinde Petri successoribus, nunc verò

rò maxima fidelium gratulatione, summaque Fidei gloria Tibi commendavit. Remansit quidem in omnibus, peculiari tamen modo in Te, PATER SANCTISSIME; tam præclarè enim, tam fulgidè sedes, ut pari cum prædecessoribus Tuis dignitate donatus, hanc Tua mente, constantia, magnanimitate, clementia, majestate cumulatius exornes. Quis mentis Tuæ solertiam, aut in præcavendis, quæ imminerent, malis, aut in sedandis, & radicitus evellendis, quæ jam acciderint, non intuetur? Quis magnanimitatis Tuę celsitudinem in Viis, in Plateis, in Ædibus, in Palatiis, in Templis: intus Forisque, terra Marique non admiratur? Clementiam tuam fateantur, qui experiuntur, & sentiunt; Nemò certè est, qui non experiatur, & sentiat. In pauperum inopia sublevanda Tua manus quàm provida? In divitum bonis à bellicis, civilibusque furoribus defendendis studium tuum quàm vigilans? In gratiis donandis desiderium tuum quàm efficax? In pœnis infligendis cor tuum quàm dolens? hac tamen lege virtutem hanc regens, ac temperans, ut majestate conjuncta justitiam serves, pluresque sint, qui te diligant, boni, reliqui vero, qui Te metuant, mali, atque in Te vindicem Regis agnoscant potestatem, qui animum Pontificis mitem recusant; quod & à Christo non semel actum esse, sacra testatur historia, atque in hoc opere, non amplius meo, sed Tuo, qui leget, intelliget; Utinam, BEATISSIME PATER, cum priora tempora Te nobis non dederint, posteriora raperent nunquam. Majora Tu Ipse moliris, si tamen majora fieri possent; Illud quidem

dem beneficium non Tibi foret, qui in hujus mundi maximis quæ sursum sunt, ut cum Paulo dicam, cum resurgente Domino tantum inquiris. Nostra tantummodo interesset, cum Tibi non vivas, sed nobis, Ecclesiæ videlicet Tuæ. Hæc mea sunt, hæc omnium esse deberent vota, quibus meherclè, hisce potissimum solemniis, à Deo Opt. Max. enixe deprecabor, ut dum Tibi Incarnati Verbi Mysteria in hoc Libro humiliter offero, ille, qui ad immortalem vitam resurrexit, Tibi ad annos plurimos vitam servet, atque adaugeat. Ita & Tu, PATER SANCTISSIME, labores hosce meos, & studia non mediocriter fluctuantia respicias, Tuamque Apostolicam benedictionem, quam demisse flagito, largiaris exoro.

Ad Colos. 3. v. 1.

LE-



LECTORI THEOLOGO.



Erius quàm cogitaveram Tertium Librum exhibeo. Non mea certè hæc culpa fuit, sed temporum, cum & Typographi infirmitas non parum distulerit, & in plurium foliorum ordinis inversi error irrepserit, quo factum est, ut emendando veteri novus succederet labor.

Quæstiones de Dulcissimo, ac Admirabili Incarnationis Mysterio in eo expendo, atque eo pacto, ut sive qui scholasticis opinionibus operam navant, sive qui fidei Dogmata exponunt, sive qui Sacræ Hystoriæ eruditione delectantur; quod sibi magis arridet, pro modulo nostro declaratum invenient.


Duo hic observes, excopto. Unum est, plura nomina, nec non verba, interdum uno interdum alio modo à nobis scribi; Ita agendum existimavimus, & quia pro uniuscujusque arbitratu scribi possunt, & quia ita scripsimus, sicut in Patribus scripta reperimus ne vel in hoc ab ipsis recederemus.

Alterum est, Patrum ordinem juxta Sæculorum seriem aliquando non servari. Ne detrectes. Consultivus duxi, plerumque postremis locis eorum producere testimonia, quibus rem meam validius probari perspexi.

Si quid boni in hoc leges, Deo prius, luminum Patri, deinde Beatissimæ Virgini, sapientiæ Sedi, & clementissimæ mei, omniumque Studiorum meorum patronæ, tribuendum volo. Claritatem ac brevitatem sine opportunæ doctrinæ detrimento, aut imminutione invenies, ut opinor Plurimum etiam tribuas eximiæ Societati Jesu, quæ tot ac tales omni tempore, & loco Doctores edidit, ut servata semper érga Scholarum principes veneratione, in omnium facultatum genere viam aperiant, præferant

facem

facem, & vel post obitum Magistrorum Magistros agant. Mihi vero nihil, nisi benevolentiam tuam, quam si concedes, librum alium de Deo Uno, & Trino non multos post dies polliceor: Vale.



DON

DON MARIUS MACCABEI

Congregationis Clericorum Regularium Sancti PAULI

PRÆPOSITUS GENERALIS.

CUM librum cui titulus est: *Admirabile Commercium; seù de Deo Homine Quæstiones*: à Patre D. Fortunato Venerio Nostræ Congregationis Presbytero professo compositum, duo ejusdem Congregationis nostræ eruditi Viri, quibus id commissimus, accurata lectione, & gravi judicio recognoverint, & posse in lucem edi, probaverint. Nos ut typis mandetur, quantum in nobis est facultatem facimus. In quorum fidem, has fieri, Sigilloque nostro muniri jussimus.

Datum Romæ in Collegio nostro SS. Blasii, & Caroli die 18. Martij 1737.

D. Marius Maccabei Præpositus Generalis.

Don Valentinus Viani Cancellarius.



IMPRIMATUR,


Si videbitur Reverendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Locumtenens, & Pro-Viceſg.



PRæclari Auctoris ſui doctrinam æque, ac pietatem exhibent, quæ ad Excellentiſſimi Myſterii elucidationem brevi, & perſpicuâ methodo proponit Reverendiſſimus P. D. Fortunatus Venerio Clericus Regularis S. Pauli Barnabita in hoc Tertio Theologicorum ſuorum operum Tomo, cui titulus eſt: *Admirabile Commercium: ſeu de Deo Homine Quæſtiones*. Illa juſſu Reverendiſſimi P. Jo: Benedicti Zuannelli Sac. Apoſtolici Palatii Magiſtri attentè legi, atque omnia nedum Fidei, & bonis moribus conſona, ſed ut in publicam lucem edantur plane digna cenſui.

D. Antonius Andreas Galli Abb. Canon. Regul. Congr. Sanctiſs. Salvatoris, & Sac. Congr. Indicis Conſultor.



TErtium Theologiæ Tomum, cui titulus *de Deo Homine* à Reverendiſſimo P. D. Fortunato Venerio Clerico Regulari S. Pauli Barnabita exaratum, juſſu Reverendiſſimi P. Jo: Benedicti Zuannelli Sacri Palatii Magiſtri, attentè perlegi, eumque, quippe nihil continentem, Doctrinæ Sacræ, morumque diſciplinæ contrarium, aliiſque duobus Tomis ab eodem Auctore jam publica luce donatis, tum gravi rerum Theologicarum diſcuſſione, tum methodi perſpicuitate omnino parem, pari cum laude typis mandari poſſe cenſeo.

Joſeph Carpani Cleri Romani Examinator, & in Collegio Romano Generalis Studiorum Præfectus.



IMPRIMATUR,

Fr. Jo: Benedictus Zuannelli Ord. Prædic. Sacri Palatii Apoſtol. Mag.

IN-

INDEX

Eorum, de quibus in libro Tertio.

PROLEGOM. UNICUM.

QUAESTIO I.

De cognoscibilitate, existentia, convenientia, & necessitate Incarnationis.

QUAESTIO II.

De Causis extrinsecis Incarnationis.

QUAESTIO III.

De extremis hypostaticæ unitis &c.

QUAESTIO IV.

De Intellectu Christi.

QUAESTIO V.

De Christi voluntate.

QUAE-

QUAESTIO VI.

De Christi Gratia.

QUAESTIO VII.

De Christi merito.

QUAESTIO VIII.

De Christi Sacerdotio, & Regno.

QUAESTIO IX.

De Christi Filiatione, & Prædestinatione.

QUAESTIO X.

De Potestate, quam Christus habuit faciendi miracula.

Art. III.

CAPUT UNICUM.

DISPUTATIO UNICA.

De reliquis ad Christum pertinentibus, & quibus in Symbolo.

SECTIO I.

De Christi Crucifixione.

SECTIO II.

De Christi sepultura, & descensu ad Inferos.

SECTIO III.

De Christi Resurrectione, & Ascensione.

SE-

SECTIO IV.

De judicio Finali.

CAPUT I.

De Antichristo.

CAPUT II.

De secundo Christi adventu &c.

CAPUT III.

De finali judicio in se inspecto.

QUAESTIO XI.

De Adoratione debita Christo.

DI-

DISPUTATIO ULTIMA.

De adoratione adhibenda erga Sanctos.

QUAESTIO I.



IN



IN TERTIUM SENTENTIARUM.

DE INCARNATIONIS MYSTERIO.

QUÆSTIONES.



MISIT Deus Filium suum, factum ex Muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Verbum, per quod facta sunt omnia, reparavit omnia. Lapsus est homo insane cogitans fieri Deus, erexit hominem Deus misericorditer volens fieri homo. Quem mortalem effecit natura, immortalem futurum callidus serpens promisit, quem immortalem constituit essentia, mortalem reddidit miseratio. Nostras infirmitates assumpsit, potentiam suam non dimisit, quod non erat evasit, quod erat non dereliquit. O' prodigia, ò portenta dicam cum Augustino. De hisce in hoc tertio nostro Opere Theologico disserendum, atque utinam ita Deum Redemptorem nostra mente noscamus, ut æquius possimus nostro corde diligere.

Agunt Doctores de hoc tam mirabili Mysterio in tertium Sententiarum Librum explicantes Magistrum. Sanctus verò Thom. exactius in tertia parte per Quæstiones 60. Omnia & nos expendemus, quæ ad Scholasticam Theologiam, & ad fidei dogmata pertinent, plura etiam exponentes, quæ ad Historiam reducuntur. Prima pars complectetur, quæ sunt huic Mysterio extrinseca. Secunda dabitur personæ assumenti. Tertia naturæ assumptæ. Quarta perfectionibus inclusis, & imperfectionibus ab Incarnatione exclusis; Postrema de alijs, quæ ad Christum pertinent. Ut vero clariorem semitam itineri nostro paremus.

PROLEGOMENON UNICUM.

De pluribus circa hoc Mysterium erroribus.

1. IN tenebris suis relinquendo Judaicam perfidiam, quæ Christum meram hominem existimavit, immo etiam ut hominum abjectissimum ac deterrimum ignominiosa sustulit nece, non defuerunt qui etiam sub Christiano nomine perversam Hebræorum mentem sequuti sunt, de quibus sermonem habent Basil. hom. 27. contra Sab. Athan. de Sen. Dio. & Leo ser. 10. de nat. cap. 2. quem errorem ipso sub initio Christianæ Religionis excitarunt quidam perditi viri,

viri, quorum vox & professio erat, Christum ex naturali concubitu Josephi & Mariæ ortum duxisse, proinde nihil habere, quod cœteris hominibus commune non esset, ut testatur S. Ignatius in 2. epist. ad Trallian. & in 6. ad Philadelph.

2. Tredecim præcipuos erroris hujus authores & propagatores recenset Theodoretus lib. 2. adversus hæres. Carpocratianos, qui à Carpocrate Alexandrino juxta Clementem, Cerentianos, qui à Cerintho, Nazaræos, qui à propria regione, Ebionitas, qui ab Ebione Samaritano, Helcesæos, qui ab Elxai Impostore ac Pseudopropheta, Artemianos, qui ab Artemone, Theodotianos primos, qui à Theodoto Coriario Byzantino, Theodotianos secundos, qui ab alio Theodoto argentario seù trapezita, à quo ortum duxerunt Melchesidiani, quibus adde Beryllum, Paulum Samosatenum, Sabellium, Marcellum, Photinum, qui omnes Christum hominem tantum existimarunt, ac impie prædicarunt, & de quibus si omnia proferre placeret, aliud præter præsens institutum nostrum perageremus.

3. Post istos recensendi sunt illi, qui fictam quamdam & apparentem tantummodo incarnationem docuerunt, proinde Christum ludricam dumtaxat passionem ac mortem subjisse; Horum meminit frequenter Martyr Ignatius in suis Epistolis, præsertim 2. & 5. & contra istos ipso sub initio Ecclesiæ scripsit Joan. Evangelista in prima Canonica. Primum in hac secta existimo fuisse Simonem Magum, qui teste Iren. lib. 1. cap. 20. se Deum prædicabat, qui specie tenus apparens tres in se ipso personas exprimeret, ita ut in Samaria quasi Pater descenderit, inter Judæos quasi filius habitaverit, in reliquis vero gentibus tanquam Spiritus Sanctus visus fuerit. Idem tradiderunt Theodoret., Cyril., Augustinus, quibus additur Damascen. lib. de hæres. asserens, Simonem jactasse *nihil revera passum à Judæis, sed opinione ac specie sola*. Simonis chimeram sequutus est ejus discipulus Saturninus seù Saturnilus, qui testibus Iren. lib. 1. cap. 23. Epiphan. hær. 24. Tertul. de præscript. cap. 46. inter cœtera docuit, Christum revera natum non esse, sed putative tantum, ac in phantasmate venisse; Successit Basilides, qui in Ægyptum profectus eam nefariam, ac venenosam effudit doctrinam, qua diceret, Christum phantasma fuisse, nec revera passum, sed pro eo Simonem illum Cyrenæum, cui Judæi Christi Crucem imposuerunt, ideo docebat, non esse pro Christo martyrium subeundum, cum Christus nihil pertulerit passionis pro nobis.

4. Non multo temporis interjecto initium habuit impura secta Valentini, cujus quidem plures errores recensent Epiphan. ac Tertullianus, sed in re nostra docuit teste eodem Tertul. tom. 2. lib. 5. de Tri. *Jesum ex ære collatitio in honorem & gloriam Patris, & ex omnium defloratione constructum*. Teste vero Epiphan. hæres. 31. *E Cœlo detulisse corpus, ac per Mariam Virginem, velut aquam per canalem, transiisse, nec in ejus utero quidquam sumpsisse*. Valentino addendi sunt plures alii, quos Theodoret. lib. 1. de hæres. cap. 8. ennumerat, nimirum Julium Cassianum, Heracleonem, Ptolomæum, Marcum, Cerdonem, Marcionem &c.

5. Anno Æræ Christianæ 277. ut opinatur Leo Papa hom. 2. de Pentecoste pestem suam effudit Manes, seù Manichæus, quem Magistrum falsitatis diabolicæ & conditorem superstitionis obscenæ appellat idem S. Leo in homilia laudata. Omnes istius errores & turpissimas fabulas, commemorare opus diuturnum esset, & præter rem nostram; Ut vero quid de incarnatione senserit nobis compertum fiat, satis nobis est legere Epiphanium, & Augustinum; Primus differens de Manichæorum hæresi, inquit: *Veniens Filius sese transformavit in hominis speciem, ita hominis similis hominibus apparebat, etsi homo non esset,*

atque homines natum illum revera putabant. Secundus lib. de hæreſ. cap. 46. ait: *Chriſtum affirmabant fuiſſe quem dicit noſtra Scriptura ſerpentem, à quo illuminatos eos aſſerunt, ut cognitionis oculos aperirent, & bonum malumque dignoſcerent, eumque Chriſtum noviſſimis temporibus veniſſe ad animas, non ad corpora, liberandas; nec fuiſſe in carne vera, ſed ſimulatam ſpeciem carnis ludificandis humanis ſenſibus præbuiſſe, ubi non ſolum mortem, verum etiam reſurrectionem ſimiliter mentiretur*.

6. Fuerunt deinde alii, qui veram quidem carnem Chriſto conceſſerunt, ſed eam non de muliere ſumptam, ſed ab ipſomet Filio Dei ex elementis quatuor confectam prædicarunt. Iſtos ex Tertul. lib. de præſcrip. cap. 30. Epiphan. Theodoreto, & Euſebio novimus fuiſſe Apellianos, ſeù Apellitas, quibus Apelles Marcionis diſcipulus nomen dedit, ad quem errorem revocari poſſunt quidam alii, qui Filium Dei, antequam è Virgine naſceretur, aliter productam carnem aſſumpſiſſe aſſerebant, atque in ea veteribus apparuiſſe, ut narrat Tertul. lib. de car. Chriſti cap. 6. quod de Melchiſedecho aliiſque compluribus ante primi hominis creationem aliqui confinxerunt.

7. Sequuntur Patripaſſiani, quos Sabellianos appellavit antiquitas cum Mario Victorino tom. 4. Bibliot. PP. col. 207. Fulgen. lib. con. Serm. Faſtidioſi cap. 11. & S. Auguſt. tract. 36. in Joan. Iſti veram carnem concedunt, ſed eam à Patre fuiſſe aſſumptam tradunt, & ideo Patrem in Mundum veniſſe & paſſum eſſe, ipſum reſurrexiſſe, & quodammodo ad ſe aſcendiſſe; in quo quidem mirum eſſe non debet, cum per ipſos nulla eſſet inter Patrem & Filium diſtinctio, quare, ſicut nos vere dicimus Filium fuiſſe paſſum, ita illi Patrem aſſerebant, quod laudatus Marius Victorin. præfato loco hiſce verbis deſcribit. *Illi Deum ſolum eſſe dicunt, quem nos Patrem dicimus, ipſum ſolum exiſtentem, & effectorem omnium, & veniſſe non ſolum in Mundum, ſed & in carnem, & alia omnia, quæ nos Filium feciſſe dicimus*.

8. Ariani vero admittentes quidem Filium Dei, ſed non ejuſdem æqualis omnino ſubſtantiæ ac naturæ cum Patre, illum carnem aſſumpſiſſe profeſſi ſunt, non tamen animam, ſed animæ adinſtar eſſet ipſa Verbi ſubſtantia, atque ideo hanc paſſam & mortuam fuiſſe, ac inde reſurrexiſſe. Hujus erroris impii teſtis eſt S. Athan. in lib. de adventu Chriſti contra Apollinarium hęc ſcribens: *Arius carnem ſolam ad occultandam Divinitatem fatetur, ac pro noſtro interiori homine, hoc eſt pro anima, Verbum in carne ait extitiſſe, paſſionis ſenſum, & reſurrectionem ab inferis Divinitati auſus eſt adſcribere*. Et rurſus inquit; *Fruſtra igitur Ariani ſibi ſomnia fingunt, aſſerentes Salvatorem ſolam aſſumpſiſſe carnem: ita ut paſſionis ſenſum impie transferant ad impatibilem deitatem*. Hoc autem ab Ario factum eſſe, ut hoc pacto Filium Dei Deum quidem fateretur, attamen minorem Patre, fidem facit Greg. Nyſſenus lib. 1. cont. Eun. dicens: *Hic ſcopus hæreſis iſtius fuit, ut oſtenderent, humiliores voces, quas ex humana natura loquitur Chriſtus, ab ipſa Divinitate profectas videri: ut hac ratione validiorem efficerent blaſphemiam*.

9. Hæreſim hanc fuiſſe etiam Apollinaris plures ex antiquis ſunt arbitrati, ſed revera Apollinarem aliud exiſtimaſſe colligimus ex S. Auguſtino ſer. 103. de Temp. ubi ait: *Gemina in hoc loco hæreſis contrariis nos nititur impugnare ſententiis: Inde Apollinaris; Hinc Arius, qui ſic in Chriſto hominem perfectum ſuſcipit, ut Deum illum neget eſſe perfectum. dum ipſum Dei Verbum principio ipſi conatur includere, & eum, non Creatorem, ſed Creaturam fatetur. Apollinaris vero ita Dei Filium è contrario perfectum credit eſſe Deum, ut ei verum hominem timeat copulare, dum metuit, ne ſuſcipientis dignitatem ſuſcepti hominis obſu-*

obfuscet infirmitas. Inficiari tamen non possumus, Arium & Apollinarem quam maxime convenisse; Hujus errorem in hac materia (etenim aliorum plurium fuit Magister) Leo Pap. in epist. Decr. 23. recenset dicens: *Unde non Deum tantum dicimus Christum, sicut Haeretici Manichaei, nec hominem tantum, sicut Haeretici Photiniani, nec ita hominem, ut aliquid ei desit, quod ad humanam certum est pertinere naturam, sive animam, sive mentem rationalem, sive carnem, quam non de foemina sumpsit, factam de Verbo in carnem converso, atque mutato: quae tria falsa, & vana Apollinaristarum Haereticorum tres partes varie protulerunt*. Socrates de Apollinari loquens ex Epiphanii versione in Tripart. lib. 5. cap. 44. hęc scribit: *Initio docuit, animam à Deo Verbo in dispensatione incarnationis non assumptam, deinde quasi poenitentia ductus corrigens semetipsum adjecit, animam quidem assumptam, quae tamen non haberet mentem, sed Deum Verbum esse pro mente in hominem assumptam*. Quod etiam narrat Augustin. lib. de haeres. cap. 55. dicens: *Apollinaristas Apollinaris instituit, qui de anima à Christi Catholica dissenserunt, dicentes sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse. In quaestione testimoniis evangelicis victi, mentem, qua rationalis est anima hominis, non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt*. Idem reperitur apud Theodoretum lib. 4. cap. 8. ubi hujus Haeretici sententiam accurate exponens, ait: *Incarnatum dixit esse Deum Verbum, quod carnem & animam assumpsit, non rationalem, sed rationis expertem, quam naturalem, sive vitalem aliqui nominant: Mentem quidem diversum quiddam ab anima esse dicens, negavit assumptam, sed naturam suffecisse Divinam ad usum mentis explendum*.

10. Esset hic describenda haeresis tam Nestorii, quam Eutichetis, sed quia de hac fusius & ex instituto dicemus in proprio loco, ideo consulto omittimus. Haec breviter indicasse sufficiat, omnia Deo dante in hoc Opusculo rejiciemus. Interim.

QUÆSTIO I.

De cognoscibilitate, existentia, convenientia, & necessitate Incarnationis.

ARTICULUS I.

An solo naturali lumine cognosci possit Incarnationis possibilitas.

1. Excludit titulus lumen gloriae, per quod beati non in aenigmate, sed facie ad faciem Deum videntes, sic intuentur in Patria, sicut audierunt in via juxta illud psal. 47. *Sicut audivimus, sicut vidimus*. Excludit & lumen fidei, per quod profitemur veram realemque unionem in unitate suppositi Verbi Divini naturam humanam terminantis, quam Patres & Concilia incarnationem appellant; & tantum inquiritur, utrum intellectus creatus sive humanus, sive Angelicus solo naturali lumine potuerit incarnationis mysterium agnoscere.

2. Non posse incarnationem tanquam impossibilem demonstrari tanquam certum existimo; Cum enim fides nostra hujusmodi mysterium fateatur, velut impossibile ac falsum nequit ostendi, quia licet mysteria nostrae fidei sint supra,

ſupra, non ſunt tamen contra rationem, ut 1. cont. Gen. cap. 7. probat Doctor Angelic. nec unquam verum opponitur vero. At ex hoc non habetur niſi evidentia illa, quam negativam dicunt. Videndum igitur ſupereſt de poſitiva. Qua in re.

3. Dicendum. Nullum intellectum creatum evidenter cognoſcere poſſe myſterium incarnationis, ſive ut peractæ, ſive ut fieri potuiſſet. Eſt communis Theologorum ſententia cum S. Th. hoc ſupponente in 3. p. diſ. 1. Scoto q. 1. Durando, Marſilio &c. contra aliquos Scotiſtas, præſertim Pontium aſſerentem poſſe evidenter probabiliter, Madernum, aliosque paucos recentiores, docentes ſaltem intellectum Angelicum tanta eſſe poſſe præditum cognitione.

Prob. In natura nullum eſt medium, quod cum incarnationis myſterio connexionem ſervet ac proportionem, ergo nullus intellectus naturali lumine poteſt ejuſdem cognoſcere poſſibilitatem. Prob. ant. Myſterium incarnationis eſt juxta eſſentiam ſuam ſupernaturale, & miraculum quodcumque aliud miraculum excedens, aliam cauſam non habens niſi Deum, qui fecit potentiam in brachio ſuo, ergo in natura nullum eſt medium, quod &c. Poſtulat totum hoc Perſona Verbi Divini, vel alterius Divinæ Perſonæ, quæ ſicut naturæ viribus comprehendi aut cognoſci non poteſt, ita non ſinit, percipi unionem illam, quæ inter creatam naturam Divinamque Perſonam myſterium incarnationis conſtituit, immo ſi intellectus ſibimetipſi relinquatur, vel nunquam tale myſterium cogitabit, vel ſi quæſtionem hanc ſibi finget, aut anceps in aſſenſu pendebit, vel in errorem incidet, cum plura argumenta inveniet, quæ in hujuſmodi errorem inducant, de quibus inferius dicetur; Erigat igitur ſe intellectus creatus, & contendat tanta cognitione clareſcere, ſed falſum dicat, quod de hoc myſterio ſcribit Apoſt. ad Eph. 3. *Sacramentum abſconditum à Sæculis in Deo*. Falſum, quod ait Ambroſ. in 2. cap. 2. ad Corint. concludens; *Abſcondita eſt ergo Dei ſapientia, dum non in verbis, ſed in virtute eſt, non humana ratione poſſibilis, ſed ſpiritus efficacia*. Falſum, quod Auguſt. epiſ. 3. ad Voluſian. *Fatemur, Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe*. Falſum tandem, quod in hæc Auguſtini verba addit Concil. Toletan. 2. *Si ratione oſtendi poſſet, non eſſet mirabile, ſi exemplo, non eſſet ſingulare*; ex quibus omnibus certo certius evincitur quod à nobis aſſeritur.

4. Opp. 1. Intellectus ſaltem Angelicus cognoſcit omnipotentiam Dei, & potentiam obedientialem creaturæ ſe extendentem ad quidquid non repugnat, ergo poteſt evidenter poſitive incarnationis poſſibilitatem agnoſcere. Confirm. Poteſt evidenter poſitive cognoſci unio Verbi Divini terminantis naturam humanam, & implentis munus ſubſiſtentiæ creatæ, ſed in hac unione conſiſtit myſterium incarnationis, ergo. Prob. maj. Poteſt cognoſci dari in Deo ſubſiſtentiam, in homine pariter ſubſiſtentiam propriam eſſe ſeparabilem à natura, & munus ſubſiſtentiæ Divinæ adimplentis munus ſubſiſtentiæ creatæ nihil imperfectionis habere, ergo poteſt &c.

5. Reſp. ant. eſſe verum de cognitione quædam confuſa & generica, non clara & in particulari, falſum enim eſt ab intellectu Angelico diſtincte cognoſci omnes terminos & effectus non repugnantes, inter quos præſertim eſt myſterium incarnationis juxta dicta, & quamvis hæc non repugnantia negative cognoſcatur, poſtquam incarnationis ſubſtantia propoſita eſt per revelationem, (quod dico, quia ſine revelatione nec quidem menti occurreret) cum ſolvantur omnia argumenta, quæ in oppoſitum afferri poſſunt, negando ea principia, quæ non probabuntur, non tamen cognoſcitur poſitive, nec eorum falſitas poteſt

potest evidenter ostendi. Ad confirm. ne. maj. ad prob. transf. prima pars maj. negatur secunda. Cum enim subsistentia creata sit modus intime afficiens naturam, non potest evidenter cognosci separari posse à natura, cum sæpe contingat, rem non posse esse sine modo, ut quantitatem sine figura; & etiam hoc transmisso, adhuc tertia pars est falsa, nam quis sibi persuadeat, Deum immortalem fieri mortalem? Quis potius non diceret, ejus vilescere dignitatem, si carnis infirmitates assumeret, & cœtera hujusmodi?

6. Dices. Potest Angelus cognoscere, accidens existere posse sine subjecto, & hoc pacto conservari supplente Deo munus subjecti per validiorem concursum, ergo etiam cognoscere potest posse naturam existere sine propria subsistentia supplente Deo munus subsistentiæ propriæ subsistentia perfectiore, nempe Divina.

Sed contra; transf. ant. quod si negaretur, non video rationem apte probantem oppositum, ne. conf. In hoc enim mysterio non tantum Deus separat res omnino distinctas, sed modum rei omnino intrinsecum, illum supplendo non solum per efficientiam, ut in primo casu, sed per intimam unionem, quod majus est, & in quo nihil imperfectionis esse, constat tantum ex necessitate explicandi incarnationem, quam fides docet, & non quam lumen naturale pertingat.

7. Opp. 2. Angelus videt humanitatem Christi subsistere, quia illam videt operantem, actiones autem sunt suppositorum, sed non cognoscit illam nisi subsistentem subsistentia Divina, quia si haberet subsistentiam propriam, illam cognosceret, cum Angelis sit debita cognitio rerum naturalium, ergo. Hinc Luc. 4. Dæmonibus tribuitur hujusmodi notitia, dum dicitur. *Exibant Dæmonia à multis, clamantia & dicentia, quia tu es Filius Dei.*

Resp. hoc argumento ad summum probari, incarnationis mysterium ab Angelis fuisse cognitum postquam fuerit perfectum, ut videntur affirmare Athan. lib. de humanit. Christi, & Cyril. 8. contra Julian. nihilominus absolute dico; Angelos, non videntes subsistentiam creatam in Christo, dubitasse, an sibi talis subsistentia à Deo ob latentia ipsius consilia fieret occulta, & opera Christi mirabilia poterant tribui homini, in quo Deus speciali modo operaretur, quin tamen illi esset personaliter unitus, cum per alia argumenta hujusmodi unio appareret impossibilis; Dici etiam potest; Angelis Sanctis fuisse statim mysterium revelatum, & revera in Christi Nativitate exultantes cecinerunt; *Gloria in excelsis Deo &c.* Ad additum, respondet S. Ambrosius, *Dæmones explorando tentasse, & tentando explorasse*, & revera teste S. August. si cognovissent, hominem illum fuisse Deum, nunquam in cor Judæ posuissent, ut illum traderet, nec Judæorum, ut illum crucifigerent, cui adhærens Scot. in 3. dist. 20. qu. unica in fine in illa verba Apost. *Si cognovissent, Dominum gloriæ non crucifixissent*, inquit, hoc esse dictum de Dæmonibus, qui non excitassent Judæos, ut illum morti traderent, propterea postea contrarium suaserunt per uxorem Pilati, quæ dixit: *Nihil tibi, & justo huic, multa enim passa sum in ista nocte in visu propter eum.* Secundo assero, cognovisse aliquo modo Christum mediis miraculis, quæ erant illis quodam supernaturale lumen, & ideo nunquam per solum lumen naturale; sed revera neque miracula poterant evidentiam progignere, cum essent aliquid extrinsecum, & commune etiam alteri homini; *Qui enim crediderit*, dixit Christus, *hæc & majora faciet*. Quod si inquit, se Lazarum suscitare, ut cognoscant se missum à Patre, ad summum haberi poterat evidentia, quam vocant in attestante, quæ juxta principia mea evidentiam, de qua hic est sermo, non profert.

8. Sed quid dicendum de Sybillis, quæ mysterium hoc prædixerunt, ut refert

ĸrt Lactant. lib.4. Divin. instit. cap.15. & Clem. Alexand. lib.6. Stromat.? Facile respondemus dicentes, hoc ex sola naturali cognitione progredi non potuisse, præsertim quod non solum erat de re supernaturali, sed etiam futura; Id igitur factum est, vel quia Propheticos legerint libros, quibus fidem aliquam adhibuerint, ut de Platonicis, qui de Æterni Verbi generatione non nulla scripserunt, ait S.August. lib.10. de Trinit. cap. 19., vel quia Propheticum lumen ipsis fuerit concessum, ut docet S.Th. 2.2. q.2. art.7. ad 3.

9. Prætermisi argumentum illud; Mysterium incarnationis est evidenter credibile, ergo possibile, ergo verum, sicut si esset evidenter impossibile, esset evidenter falsum; etenim hoc generatim fit contra omnia mysteria nostræ fidei, & alibi à nobis rejectum fuit. In re autem nostra hoc tantum contingit supposita Divina revelatione, quæ si excluderetur, intellectus creatus nec ullam quidem de incarnatione cogitationem haberet, immo &c. ut dictum fuit in probatione.

ARTICULUS II.

An possit ostendi contra Judæos, Incarnationem esse peractam.

10. MEssiam Hæbraice, Græce Christum, Latine Unctum jam venisse, nemo, qui se Christianum profitetur, licet Hæreticus, inficiatur, & si forte refragaretur, jam contradiceret textibus Scripturarum dicentium Joan.1. *Verbum caro factum est*. Ad Roman.9. *Christus est secundum carnem, qui est super omnia benedictus*. Mat. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi &c.* Videndum itaque superest, utrum contra Judæos hæc veritas fidei ex veteri Testamento, quod tantum ipsi admittunt, possit demonstrari; sed jam illam demonstro, & quamvis ex pluribus capitibus hoc à me fieri posset, attamen brevitati consulturus, & clarioribus Scripturæ usurus testimoniis, proferam celebriora illa jam satis evulgata.

11. Primo Gen.49. legitur: *Non auferetur sceptrum de Juda, nec Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*. In qua prophetia ostendit Jacob certum ac determinatum signum Messię, nimirum, Judam regnaturum esse in posteris suis, nec nisi post adventum Messiæ regnum ejus defecturum, atqui regnum Judæ jam defecit, ergo jam venit qui mittendus erat, idest Messias.

12. Plura sunt, quæ reponunt Judæi, & nos potiora producemus, cum reliqua potius risu excipienda sint, quam digna responsione, ut advertunt Doctores, præsertim Suarez disput. 1. sect. 1. hujusmodi sunt, esse Echmalotarcham quemdam ex Tribu Juda oriundum, qui Judæorum Imperium in Asia teneat, & Patriarcha nuncupetur; Apud Majemotidem in Jad Chazacah esse quatuor Israelitarum Tribus, Danitidem, Gaditidem, Aseritidem, & Nephtalidem in Æthiopia Sabbathio flumine septas, & omnibus copiis circumfluentes: reliquas sex in Asia ad Eurum suis legibus utentes; ab omni tamen commercio atque hominum aditu seclusas propter vastissimas solitudines interjectas. Primo itaque dicunt; prophetiam hanc esse completam, sed negant, in ea de Messia fieri sermonem, nam in Textu Hebræo legitur: *Donec veniat Silob* in quo significatur Saul ungendus in Regem *in Silob* quodam loco, ubi diuturno tempore fuit arca Dei.

Secundo inquiunt, impletam esse tempore Jeroboam, quo divisum fuit Regnum, vel quando Nabuchodonosor Rex captivum duxit Populum in Babylonem, Regnumque Judæorum destruxit.

13. Paucis respondere possem dicendo, nec Saulem, nec Jeroboam, nec Nabuchodonosorem fuisse gentium expectationem, ergo prophetia illa nequaquam

quam in iſtis potuit ſuam aſſequi veritatem; addantur deinde alia verba, quæ ſequuntur, videlicet, *lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum, pulchriores ſunt oculi ſui vino, & dentes ejus lacte candidiores* & dicant, ſi de illis poſſint hæc affirmari; Falſum tamen eſt quod primo opponitur, etenim in primis, quomodo potuit auferri ſceptrum de Juda tempore Saulis, cum eo tunc ſceptrum illud nondum habuiſſet initium? nonne incæpit tempore David? Quod ſi pro ſceptro velint intelligi quamcumque aliam judicandi poteſtatem dignitatemque, multo antea quàm ungeretur Saul, hæc ablata fuit, ideſt toto tempore Judicum; Deinde, unde habent, Saulem unctum eſſe *in Siloh* & tunc ibi fuiſſe arcam Dei? Non *in Siloh* ſed *in Cariathiarim* fuiſſe, Scriptura teſtatur 1. Reg. 7. & Saul dicitur unctus *in Maſphat*. Firmum igitur eſſe debet, per *Siloh* ſignificari Meſſiam, ut invenitur apud Rabbinos Chriſto antiquiores teſte Galatino lib. 4. cap. 4. & in Caldaica verſione, magnæ authoritatis apud Hebræos, legitur, donec veniat *Meſſias*; nec immerito, hoc enim nomen apud interpretes ſignificat abundantiam panis, & *Syloides* idem eſt, quod *Pacificus* & Filius Mulieris ſine opere Viri, ut Cajetan. cum laudato Galatino affirmat, quæ omnia de Chriſto vere dici omnes Scripturæ teſtantur.

14. Falſum eſt etiam, quod ſecundo dicunt, tempore namque Jeroboam diei non poteſt veniſſe *Siloh* cum fuerit in Sichem coronatus, ut 3. Reg. 7. neque ablatum fuerit ſceptrum de Juda, ſed tantummodo imminutum, per quod rejicitur, quod poſtremo opponebatur.

15. Tertio dicunt; ante adventum Meſſiæ à nobis crediti prophetiam hanc fuiſſe adimpletam, defecit ſiquidem ſceptrum Judæ tempore Sedeciæ, & ultimæ captivitatis Babylonicæ; defecit præterea poſt Jechoniam, poſtquam ceſſarunt Reges Judæ, cum Jeremias c. 22. appellet Jechoniam virum ſterilem, de cujus ſemine nullus erit, qui ſedeat ſuper ſolium David; Rurſus Machabæi, qui erant ex Tribu Levi, utpote Sacerdotes, regnarunt annis 165. ergo.

Sed contra. Falſum eſt quod primo dicitur, etenim, ut notavit Joſeph lib. 11. Antiquit. cap. 7. tunc præcipua poteſtas reſidebat in Sacerdotibus & Pontificibus, & Zerobabel Princeps Juda Dux erat totius Populi, ut refert Genebrard. lib. 2. Cronol. atque, ut omnia paucis perſtringam, affero verba Cyrilli lib. 8. contra Julian. quæ ſunt iſta: *Quomodo igitur ceſſaſſe dicitur Regnum David in Sedechia, cum Zorobabel poſt captivitatis tempus in Regni ſolio conſederit, fueritque de Tribu Juda & David, tranſmiſſumque ſit ſceptrum uſque ad Regnum Herodis, qui fuit alienigena?* Fatemur tamen, tunc Regium Diadema propter Perſas adhibitum non fuiſſe, qua ratione in Hiſtoriis horum genealogia fuit prætermiſſa. Propter hoc non conceditur, quod ſecundo loco opponebatur, nam poſt Jechoniam defierunt quidem Reges, non tamen Duces, ut legitur Agæi 1. prophetia autem non ſolum Reges, ſed etiam Duces complectitur, immo ad quamcumque primariam poteſtatem extenditur. Præterea; aliud eſt, nullum ex ſemine Jechoniæ ſuper ſolium David ſediſſe, & aliud, nullum abſolute ſediſſe; Hoc certe non infertur ex primo, ut ex terminis patet. Ad ultimum. Reſpondet Hieronym. & Liran. cum aliis. Machabæos fuiſſe ex Tribu Judæ juxta lineam Maternam, ſiquidem Tribui Levi & Judæ ſpecialiter datum erat mutua poſſe inire nonnubia, ut teſtatur Philo Hebræus, & colligitur ex 1. Paralipom. cap. 2. His conſonum eſt quod ſcribit Theophan. in Symphon. novi ac veteris Teſtamenti contra Judæos, ſcilicet Tribum Leviticam & Judaicam propter Matrimonia unam effectam eſſe, & ob iſta regalis ſplendoris ac nobilitatis participem factam fuiſſe; Finem igitur accepit Principatus Judæorum in adventu Chriſti; cum

cum Rex Herodes alienigena tunc in Judaico Populo regnare cœperit, à quo & Concilium Sanhedrin sua fuerit auctoritate privatum, quodve ab alio Herode, cujus tempore mortuus est Christus, prorsus extinctum fuit; potissimum vero in eversione & captivitate Jerusalem à Romanis facta, dum totus fere populus ille deletus fuit, & tribuum distinctio ita confusa, ut nulla dignitas superfuerit, aut fingi potuerit.

16. Facilius se expediunt Doctores illi, qui existimant, per Judam, cui promissum fuit sceptrum usque ad Christum, non esse intelligendam specialem tribum ab aliis distinctam, sed totum Judaicum Populum; Hoc enim pacto constat, aliquem semper vel in una vel in alia Tribu Ducem ac Gubernatorem, à quo dirigeretur, extitisse. Explicationem istam tradiderunt Euseb. lib. 3. de demonst. cap. 2. Justin. in Dialog. contra Tryphon. August. lib. 18. de Civit. cap. 55. præter Ambros. lib. de Bened. Patriarc. cap. 4. & Chrysost. hom. 67. in Genes. Si quis hoc sustinere velit, non contradicam; Videtur tamen expositio hæc historiæ parum consentanea, etenim benedictiones illæ datæ sunt singulis, eorumque posteris singillatim, & sicut cœtera, quæ in aliis verbis Judæ dictis continentur, indicant peculiaria pro Juda ejusdemque successoribus, ut sunt illa. *Juda te laudabunt fratres tui, & adorent te Filii Patris tui*, quæ certe dicta sunt propter Christum, ita & illa: *Non auferetur sceptrum de Juda &c.* Judæ ejusdemque Tribui, non vero toti Judaico Populo debent aptari. Ita senserunt præter Eucher. Chrysost. Diodor. aliosque, Epiphan. hær. 20. August. 22. contra Faust. cap. 45. Orig. hom. 37. &c.

17. Dicunt quarto. Prophetiam illam non fuisse absolutam sed conditionatam, idest, auferendum esse sceptrum de Juda, si Judæi peccaverint, quod quidem evinci potest ex ps. 88. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, si custodierint Filii tui Testamentum meum*. Et ex oratione Salomon. 3. Reg. 8. *Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super Thronum Israel, ita tamen, si custodierint Filii tui viam suam*. Hoc igitur pacto esto ablatum sit sceptrum de Juda, non probatur Messiam venisse, sed Hebræos peccasse.

Sed contra. Judæorum peccatis comminatus est Deus alias pœnas, *visitabo* enim *in virga peccata eorum, & in verberibus iniquitates eorum* non tamen Principatus terminum & excidium, *misericordiam*, siquidem, *meam non dispergam, ab eo*. Revera toties peccavit Populus, nec tamen ablatum fuit sceptrum, sed interdum interruptum. Ratio autem cur superior expositio probari non possit, est, quia si illa promissio non fuisset absoluta, sed conditionata, non existente peccato populi, etiamsi Messias venisset, debuisset sceptrum in Juda perseverare, & sic etiam misso, qui mittendus erat, illa prophetia fuisset falsa, quod perperam & impie diceretur.

18. Plures tamen ex Judæis laudatæ Prophetiæ testimonio convicti Messiam venisse, professi sunt, sed hunc vel fuisse Herodem, ut notavit Hieronym. contra Luciferian. & Epiphan. hær. 20. vel Vespasianum Augustum, quod videtur probasse Josephus lib. 7. de bello Judaico cap. 12. & profecto, ut tradunt historiæ, Christi Regnum sibi aptari contendit, cum & Templum pacis erexerit, & Magicis præstigiis quædam signa protulerit, ut quæ de Christo scripta erant, in ipso completa esse viderentur. Sed facile falsitatis convincuntur ex superioribus, neque enim vel Herodes vel Vespasianus fuit de Tribu Juda, & de familia David, immo, ut legitur apud Eusebium lib. 3. cap. 11. omnes posteros David conquisivit ad necem, neque de ipsis verum est, fuisse gentium expectationem.

19. Secundum argumentum contra Judæos sumitur ex verbis Angeli ad Danielem cap. 9. *Septuaginta hebdomadæ abbreviatæ sunt super Populum tuum, & super*

super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, ut ungatur Sanctus Sanctorum, & post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus Populus, qui eum negaturus est, & Civitatem & Sanctuarium dissipabit Populus cum Duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio, & in dimidio hebdomadæ deficiet Hostia & Sacrificium &c. sed istæ hebdomadæ jam elapsæ sunt, ergo.

20. Ad probandam minorem, qua probata dicendum erit, aut prophetiam falsam esse, quod nec Judæi audent asserere, aut (quod solum intendimus) Messiam advenisse; advertendum est, hebdomadam in Scriptura Sacra sumi vel per septem dies, ut apud nos, & habetur Levit. 23. vel pro uno anno, in quo sensu dicitur Gen. 29. Jacob implevisse hebdomadam pro Rachel, vel pro septem annis, ut mos erat apud Hebræos celebriores, sed quomodocumque sumantur, jam elapsæ sunt, ergo. Quod si aliqui, quibus videtur favere Origen. tract. 29. in Mat. unicuique hebdomadæ tribuunt septuaginta annos, id inconsulto statuunt, cum hujusmodi hebdomada nullibi in Scriptura legatur, & hoc dato nihil certi in præfata prophetia contineri poterit, quia unusquisque arbitrio suo poterit determinare hebdomadas, ad centum, vel mille & plures annos complectendos, ne convinci possit hebdomadas illas fuisse completas.

21. Utrum vero hebdomadæ istæ complecterentur septem annos solares, vel lunares quæstio est inter Doctores Catholicos; annus solaris complectitur dies 365. cum quadrante, lunaris vero 354. Rursus quando nam initium habuerint. Quidam voluerunt incepisse eo tempore, quo Jeremias cap. 29. de Templi reædificatione prophetavit; ita Galatinus, Liranus, & Burgensis. Quidam à tempore, quo loquutus est Angelus Danieli; ita singillatim Origen. Quidam à primo anno Cyri, quando Judæis in Patriam redeundi, & Templum reædificandi fecit facultatem. Ita Clemens Alexandrin. Quidam a tempore Darii Histaspis, qui anno 2. Regni sui Judæos reædificationem Templi intermissam continuare concessit. Ita Euseb. & Cyril. Jerosolymit. Quidam ab Imperio Artaxersis Longimani, qui septimo anno Regni sui misit Esdram in Jerusalem cum magna pecuniæ copia, vel anno 20. quando Nehemiæ permissum fuit iterum Jerusalem ædificare, & ejusdem muros instaurare. Ita Julius Africanus, Theodoret. Beda, Rupert. & videtur opinio magis consentanea, cum prius solum Templi reædificandi facta fuerit mentio & sola promissio. Sed quidquid de hac re sit, satis nobis est probasse, hebdomadas illas jam pertransiisse, quamvis propter humanę Historię incertitudinem initium earumque finem exacte explicare non possimus. Quod si non pertransiissent, jam prophetia falsitatis convinceretur, siquidem Civitas & Sanctuarium dissipata sunt, statuta desolatio peracta est, Hostia & Sacrificium defecerunt, nec tamen nisi post illas hebdomadas hæc eventura erant; Itaque &c.

22. Dices. Si prophetia intelligi debet de Christo, in ipsa manifesta est repugnantia, nam statutæ sunt septuaginta hebdomadæ ad delendam iniquitatem, & postea dicitur Christus occidendus post hebdomadas sexaginta duas, ergo debuisset occidi ante adventum. Consequentia tenet, quia deleta est iniquitas, quando occisus est, tunc enim morte sua mortem omnium superavit, in hebdomada autem secunda super sexagesimam nondum erat, si verum est, ipsum mortuum esse 33. ætatis suæ anno.

23. Sed contra. Hoc dato nunquam ex laudata prophetia colligi posset adventus Messiæ, quem tamen Hebræi expectant, pro quovis enim tempore hujusmodi repugnantia inferretur. Verum, si accuratius omnia legissent, nequaquam con-

contradictionem aliquam invenissent; nam legitur: *Usque ad Christum Ducem hebdomadæ septem, & hebdomadæ sexaginta duæ erunt.* Et additur. *Et post hebdomadas sexaginta duas* (intellige præsuppositis prioribus septem) *occidetur*. Tempus autem hoc extenditur usque ad Christum Ducem, non quantum ad Incarnationem, & Nativitatem, sed ad ejusdem manifestationem per prædicationem, & miracula, quando in Baptismate testimonium accepit à Patre dicente: *Hic est Filius meus dilectus*, & cum post tres annos mortem subjerit, recte infertur, in septuagesima hebdomada finem accepisse peccatum, & in dimidio hebdomadæ Hostiam & Sacrificium defecisse.

24. Illorum evasionem non memoro, qui dicunt, Prophetiam hanc vel non fuisse, nisi circa temporalem Hebræorum liberationem, vel impletam esse in Cyro, qui Isaiæ 44. dicitur Christus, vel in Hircano, vel in Pontificum successione, quæ perseveravit per sexaginta novem hebdomadas, vel in Herode Agrippa, qui in Templi destructione temporibus Titi occisus fuit, etenim hæc levissima sunt, multisque falsitatibus interjecta, neque placet aliunde refellere, quam per ipsa verba Prophetiæ, quæ, ut constat, neque per temporalem liberationem, neque per adductos suam potest assequi veritatem. Per quem enim finem accepit peccatum, & adducta justitia sempiterna, nisi per Jesum Christum, in quo non est inventum peccatum, & qui factus est propitiatio pro totius Mundi peccatis? Quis unctus est tanquam Sanctus Sanctorum, nisi Christus, qui, ut habetur ps. 44. *Unctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis?* Et cum sit Sanctus non ex accidente, sed substantia, immo totius sanctitatis origo, recte dicitur *Sanctus Sanctorum*. De plenitudine enim ejus omnes accepimus.

25. Omitto alia Scripturarum testimonia, omitto miracula, vitam, ejusdemque mortem, quæ omnia evenerunt, sicut in Scripturis de Messia ab Hebræis expectato promissa sunt & prædicta. Tot enim cæca Hebræorum mens in tenebris delitescit, ut ipsa lux evadat in tenebras, & de ipsis dictum fuerit, quod pluries legitur in Scripturis: *Videntes non videant, intelligentes non intelligant.*

26. Solent autem Judæi positive hæc opponere. Primo Messias in fine Mundi promittitur juxta illud Isaiæ 2. *Erit in novissimis diebus*. Secundo habetur, *adorabunt eum omnes Reges Terræ, omnes gentes servient ei*. Tertio promissa est pax summa, ita ut scriptum sit; *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Rursus; *habitabit Lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit*; sed hæc omnia & alia similia non sunt completa, ergo nondum Messias venit. Adde, quod, si jam venisset, judicii dies ignota non esset, scriptum est enim, *in medio annorum vivifica illum*.

27. Frustra tamen hæc moliuntur; tempus enim Messiæ vocatur novissimum, quia post eum non adveniet nova lex, novusque Legislator, vel ibi sermo est de secundo ejus adventu, quando Hebræi Judicem sentient, quem noluerunt recipere Redemptorem. De Regum adoratione jam notum est, & de gentium conversione quis non videt? quo pacto autem sumi debeat ille terminus *omnes* satis aliæ Scripturæ declarant, idest pro multis, aut majori parte, præsertim quod in adducto textu additur, *& ibunt Populi multi.* Natus est etiam Messias noster tempore summæ pacis, tunc enim toto Orbe in pace composito exiit Edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis, atque per ipsum habitavit lupus cum agno & pardus cum hædo accubavit, dum Apostoli missi sunt ad barbaras gentes, de quibus dictum fuit. *Ecce ego mitto vos in medio luporum*. Verum hæc omnia apud Sacrarum Scripturarum interpretes explicata reperies. Ultimum nullius momenti est,

cum ly *in medio annorum* non cogamur explicare de medio annorum mundi, sed potius Christi, videtur enim ætas triginta trium annorum media hominis ætas, & in Christi persona dictum fuit; *Ego dixi in dimidio annorum meorum, vadam ad portas inferi* quando eo suscitato & ad inferos descendente expectantes animas solvit, & triumphali pompa ad Cœlestem Gloriam, quam æterna redemptione inventa acquisivit, ipse perduxit.

ARTICULUS III.

Utrum Incarnatio fuerit conveniens.

28. Multifariam sumi posse quod conveniens dicitur, non est qui dubitet inter Theologos. Primo quia aliquid sit possibile. Secundo non solum quia sit hujusmodi, sed etiam expediens & decens, vel quia afferat aliquam utilitatem, vel quia sit consentaneum virtuti naturalique alicujus rei propensioni; Tandem aliquid esse potest conveniens respectu sui idest bonum sibi, vel respectu alterius, ideft bonum alteri.

29. Incarnationem fuisse convenientem in primo sensu non potest in dubium revocari, cum non solum fuisse possibilem, sed peractam Fide Divina teneamus. Secundus modus convenientiæ, non explicatus per aliquam utilitatem, quam Deus ab incarnatione receperit, hanc enim à creatura, quæ omnia habet à Deo, Deus nequit habere, & de ipso dixit Propheta: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; sed per ordinem consentaneum Divinæ Sapientiæ, & bonitatis propensioni, quæ se creaturæ communicet, locum facit difficultati, quæ primo resolvetur de convenientia per respectum ad Deum, deinde ad creaturam.

30. Dicendum primo. Incarnationem fuisse convenientem Deo. Ita omnes Theologi.

Prob. communi Doctorum ratione juxta S. Damasc. lib. 3. cap. 1. Illud conveniens est Deo, quod dirigitur, atque est maxime aptum ad ostendendam Divinam bonitatem, sapientiam, justitiam, ac omnipotentiam, sed in incarnatione servantur hæc omnia, ergo. Prob. mi. ostenditur Divina bonitas, quia miserias pauperum non despexit; sapientia, quia adinventa est pro peccato difficillima satisfactio; justitia, tam Deo satisfaciendo, quam per hominem hostem illum superando, qui hominem vicerat; tandem omnipotentia, cum nihil majus esse, aut excogitari possit, quam Deum in ejusdem personæ unitate naturam humanam assumere, ac vere fieri hominem, ergo. Quod si ad Divinam bonitatem inspiciendam revertamur, magis certe incarnationem Deo convenientem fuisse cognoscemus. Si enim conveniens est, idest boni naturæ consentaneum, esse sui diffusivum, ut docet S. Dionys. 4. de Divin. nomin. conveniens erit, & summi boni naturæ consentaneum, modo summo se diffundere, atqui per incarnationem Deus modo summo se diffundit, nec magis ad extra se diffundere poterat, ergo. Communicat se Deus in ordine naturæ, & confert dona sua, sed naturalia; communicat se in ordine gratiæ, & confert dona supernaturalia, sed creata; communicat se in ordine gloriæ, & donat se ipsum, sed in esse objectivo, intelligibili, & accidentali; in incarnatione vero communicat se ipsum, sed in esse proprio personali & substantiali. Hinc recte Augustin. *Cum Deus sit omnipotens, plus dare non potuit, cum sit sapientissimus, plus dare nescivit, cum sit ditissimus, plus dare non habuit*; Et quamvis incarnatio totius Trinitatis, vel unius tantum personæ assumentis omnia individua, vel naturam perfectiorem fuisset major communicatio, ut inquiunt extensive, non fuisset tamen intensive, cum hæc habeatur, ex quo natura assumpta habeat idem esse personale cum natura Divina, quod obtinetur, sive natura assumatur à pluribus, sive ab unica per-

persona; ex alia parte ad majorem mysterii æstimationem expediens fuit, hoc opus unicum esse ac singulare, sicuti gratia & gloria ad majorem sui commendationem paucis communicantur.

31. Dices; Quod bonum se diffundat non est semper naturæ boni conveniens, ergo ratio superior non probat, incarnationem fuisse convenientem ex parte Dei. Prob. ant. Quod majus bonum se magis diffundat, non est semper conveniens naturæ majoris boni, sic Angelus est majus bonum, quam homo, nec tamen magis se diffundit, quia homini, non Angelo conceditur fæcunditas, ergo.

Sed contra; argumentum est verum, si non supponatur capacitas se diffundendi, & ideo si in Angelo foret capacitas fæcunditatis, fæcunditas esset ipsi conveniens, nunc vero supponitur in Deo communicabilitas per incarnationem, ergo actualis communicatio per istam erit illi conveniens; Et certe in re nostra supponenda est ex fide hujusmodi communicatio, aliter nihil probari posset, cum quis posset concludere, conveniens esse Deo producere creaturam perfectissimam, & videri per visionem sui comprehensivam, quia sic maxime se communicaret, quod tamen non contingit, quia utraque censetur impossibilis, ut suo loco probatur.

32. Hic tamen adnotandum arbitror, bonum esse diffusivum sui, multifariam intelligi posse. Primo; Bonum potest se diffundere in genere causæ finalis, quia movet ac allicit ad sui amorem; quæ diffusio appellatur causalitas intentionalis. Secundo; Potest se diffundere communicatione etiam reali, quando communicatio sui per efficientiam ex ejusdem bonitate procedit, vel producendo sibi similia, vel propriam perfectionem elargiendo, qui modus communicationis in suo genere perfectus est, præsertim si est ad alium perficiendum sine propriæ perfectionis diminutione; ut contingit in creatione proveniente à Deo, non tamen in generatione proveniente ab homine vel ab alio vivente, cum semper fiat per substantiæ propriæ partem communicatam, nec in propriorum bonorum largitione facta à viro liberali, cum fieri nequeat sine talium bonorum privatione, qui modus, esto procedat ex recta, honestaque propensione, attamen sine imperfectione non est. Tertio; Potest se diffundere intrinsecus, per hoc quod aliquid secundum esse proprium alteri communicetur, & oriatur perfectio tam illius quod communicatur, quam alterius, cui fit communicatio, & hæc contingit inter materiam & formam. Tandem potest se diffundere neque propter perfectionem ejus, quod se communicat, neque cum privatione boni, quod communicatur; atque hoc genus communicationis optimum est, & tanto præstantius, quanto excellentius est bonum, quod communicatur, quodve admittitur etiam in natura Divina Divinisque personis, ut docet fides. Hisce positis; Divina bonitas & perfectio per incarnationem non communicatur iis modis, ex quibus aliqua imperfectio progreditur, sed solummodo priori ac posteriori, in quo maxima perfectio relucet, uti compertum est.

33. Opp. 1. In mysterio incarnationis Divina Majestas deprimitur sub Angelis, juxta illud: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*. Læditur justitia, cum obligetur innocens ad satisfaciendum pro reis; confunditur æternitas, cum sic Deus habeat initium, progressum, & finem; tandem immutabilitas tollitur, cum Deus incipiat esse, quod prius non erat, ipsique adveniat nova relatio ac denominatio realis, quæ sine mutatione esse non potest, ergo incarnatio non fuit Deo conveniens.

34. Resp. Scandala hæc pusillorum jam in Evangelio à Christo fuisse prædicta. Assumpsit Majestas Divina naturam Angelis inferiorem juxta naturalem conditionem, longe tamen superiorem in donis gratiæ; Quem hominem tu conside-

fideras, Angeli adorant; donatum est illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; Qui fuit sub Angelis positus, fuit etiam gloria & honore coronatus, & super opera manuum Dei constitutus. Miraris Deum conceptum in carne? Scias de Spiritu Sancto natum ex Virgine. Miraris jacentem in Præsepio? Scias à Regibus adoratum. Miraris fugientem in Ægyptum? Scias ibi idola fuisse subversa. Credidi pauperem, sed miracula perpatrantem; Credidi captum à militibus, crucifixum, sepultum, sed milites prosternentem, & vocis imperio sublevantem, terram concuti, solem obscurari, petras scindi, & tandem virtute propria resurgentem ad Patris dexteram collocatum. Siccine depressam asseres Divinam Majestatem? Cum opposita juxta se posita magis elucescant, Divinæ fulgor perfectionis humanæ infirmitatis unione magis enituit. Non habebat Deus quomodo cresceret ascendendo, invenit quomodo cresceret descendendo. *Cui* enim inquit Plinius ad Trajan. *nihil ad augendum fastigium superest, hoc unum restat, si descendat.* Si tamen quid vile sentis de Christo, memineris, duas in ipso naturas sine substantiæ confusione reperiri; Quæ tibi videntur sordida, tribuæ formæ servi, qua minor est Patre, non formæ Dei, qua æqualis est Patri. Neque justitiam lædi suspiceris, si innocens pro nocente puniatur, sponte enim, & maximæ liberalitatis conatu factus est fidejussor nocentis, satisfaciens ut homo sibi ipsi ut Deo; nec detrectes, si immensum & circumscriptum, si æternum, ac temporaneum prædicamus; An non affirmas hominem corruptibilem secundum corpus, incorruptibilem secundum animam? Cur non ergo de Christo asseres immensitatem, & restrictionem, tempus, ac æternitatem? Sed de ejusdem immensitate, quamvis in utero Virginis, audias quid dicat Augustin. in epist. ad Volusian. *Non habet hoc Doctrina Christiana, quod ita sit Deus infusus carni humanæ, ut curam gubernandæ universitatis vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum quasi contractam transtulerit; Deus non mole, sed virtute magnus est, unde magnitudo virtutis ejus nullas in angusto sentit angustias.* Non tandem cogites mutationem aliquam in Deo contigisse, nostra enim suscipiens in se immutabilis perseverat. Nihil per incarnationem Deus acquisivit intrinsecus vel recepit; Non est hujusmodi unio intelligenda vel adinstar subjecti, vel formæ, sed præcisè adinstar termini, & tota mutatio facta est in natura assumpta, non in Verbo assumente; Quare, castigatius loquendo, potius dici debet, Verbum Divinum univit sibi naturam humanam, quàm univit se naturæ humanę, ut rectè perpendit & respondet S. Th. hic ad 1., se habere autem adinstar termini, nulla imperfectio est sub consideratione termini, sed solum sub consideratione creati. Quod si velis, argumentum à te propositum concludere, dicas, vel mundum non esse à Deo in tempore conditum, neque modo animas rationales creari, vel Deum in hujusmodi creatione mutari, quia de non creante fit creans; sicut ergo dum creat, tota mutatio est in effectu producto, ita, dum sibi naturam univit, tota mutatio fuit in natura unita.

35. Dices. Disparem valde rationem esse, nam Deus in creatione non est id, quod creatur, nec enim Deus dicitur v.g. Cœlum, dum Cœlum creat; at in incarnatione Deus dicitur, & est homo, ergo sicuti, si Deus creando Cœlum diceretur Cœlum, Deus mutaretur, ita si Deus se incarnando dicitur homo, debet mutari; ratio autem est, quia denominatio Creatoris est merè extrinseca, in re autem nostra intrinseca est, & inde fit, in primo casu esse solum mutationem in re creata, non sic in secundo.

Sed contra conc. assumptum, & assero

fero disparitatem, quia si Deus creando Cœlum, diceretur Cœlum, non contingeret hoc, nisi vel quia Cœlum esset subjectum, in quo reciperetur Deus, vel Deus, in quo reciperetur Cœlum, & ideo Deus deberet mutari; at Deus dicitur, & est homo, & quidem intrinsece per intimam unionem, non per receptionem, sed per solam terminationem. Quare denominatio intrinseca tunc solum infert mutationem, quando habetur aliquid recipiendo, non quando solum aliquid intrinsece terminando, & idem dic de intrinseca relatione, quod tamen à me falsum sustinetur in quæstionibus Philosophicis, Anselm. enim 21. cap. Menol. inquit: *Ego nec major, nec minor homine post annum nascituro, omnes autem istas relationes habere potero sine aliqua mei mutatione*.

36. Instabis. Si daretur aliquis locus, quem Deus de novo occuparet, Deus mutaretur, ergo si daretur aliqua humanitas, quam Deus de novo terminaret, mutaretur.

Sed contra. Vel iste locus est præexistens, vel de novo productus, si hoc secundum ne. ant. si primum conc. ant. & ne. conf. disp. est, quia si Deus fieret de novo præsens loco præexistenti, non esset actus purus nec infinitus in replendis locis, & non esse præsentem non oriretur ex defectu loci, sed ipsius Dei, qui proinde acquireret novum *ubi*. E' contrario Deum non terminare humanitatem, non est defectus ex parte Dei. Præterea; occupare omnia loca spectat necessario ad immensitatem, sicut omnia tempora ad æternitatem, non sic ad subsistentiam Divinam terminare humanitatem, sed solum libere, quando voluerit, & quam voluerit; & ratio hujus est, quia non est assignabilis alius effectus primarius immensitatis, è contra est assignabilis alia terminatio prima facta per subsistentiam, nimirum terminatio naturæ Divinæ.

37. Ex his collige, quare Deus nequeat aliquid velle & intelligere in tempore sine sui mutatione, quia nimirum, objectum supponitur ab æterno intelligibile & eligibile, & ideo si Deus illud de novo intelligeret ac vellet, esset mutatio in ipso Deo, præsertim quod intelligere & velle sunt actus immanentes, qui recipiuntur in suo principio. E' contrario posse aliquid agere, ut experientia docemur, proinde etiam posse terminare. Rursus habes, quid respondeas aliis argumentis similibus, ut sunt, transire de non esse ad esse, de contradictorio in contradictorium inferre mutationem, hæc enim vera sunt, si fiant per receptionem, non si per solam terminationem, & præterea, in re nostra non fit transitus de non esse ad esse simpliciter, sed tantum de non esse unito ad esse unitum. Addo tandem; Hæc & similia argumenta non fieri contra convenientiam incarnationis, sed contra possibilitatem, ideo sunt contra dogma fidei, non contra Theologicam Quæstionem.

38. Opp. 2. Quæ distant inter se infinite non junguntur convenienter, sicut, si quis pingeret humanum corpus, & ipsi adderet caput equi, sed Deus & caro distant infinite, sicut summa simplicitas à summa compositione, ergo. Confirm. inconveniens esset, si summæ bonitati uniretur malitia, ergo etiam inconveniens fuit, summum spiritum uniri corpori, consequenter &c.

Resp. majorem esse veram, quando non servatur ordo perfectibilis & perfectivi, servatur autem in re nostra, cum naturæ humanæ non desit potentia obedientialis dicta ad hanc unionem, & subsistentia Divina, seu Verbum habeat tanquam naturalem inclinationem sese ita communicare, uti probatum fuit; atque ex hoc habetur contra adductum exemplum disparitas. Neque dicas totam perfectionem terminativam subsistentiæ Divinæ absorberi ab infinita terminabilitate, quæ est in natura Divina, proinde non posse aliam terminare naturam; nam, præter quam quod hujusmodi instantia destruit mysterium, cum ejus

ejus probet impossibilitatem, solvitur dicendo, absorberi tanquam à suo termino adæquato primario, non sic secundario, sicut scientia Dei habet pro adæquato objecto primario ipsum Deum, pro secundario vero creaturas omnes. Ad confir. negatur conf. quia corpus est quid bonum à Deo creatum, & in sua linea ad Deum tendens,& ideo potest ipsi conjungi, malitia vero neque est à Deo, neque ad Deum, & ideo neque est conveniens nec est possibile, quod ipsi uniatur.

39. Opp.3. Si incarnatio fuit conveniens Deo, non incarnatio fuisset inconveniens, cum absentia convenientiæ inferat inconvenientiam, sed hoc non est dicendum, ergo.

Resp. argumentum hoc valere de convenientia afferente aliquam utilitatem & perfectionem, non de illa, quæ instituta est ad manifestandam libere perfectionem, aliter inconveniens fuisset Deo, si mundum non condidisset, & nunc etiam inconveniens esset multa non producere, quæ potest, & per quæ amplius dignitatem ac summam perfectionem suam posset ostendere; Porro incarnatio fuit Deo conveniens secundo modo, non primo sicut præmissum fuit.

40. Hæc de incarnationis convenientia ex parte Dei dicta sunt, abstrahendo ab hac vel illa Persona Divina; quæri autem posset, utrum fuerit conveniens etiam ex parte personæ, quæ naturam humanam assumpsit; & affirmative sentiendum; ad quod quidem declarandum nulla potest ab intrinseco ratio promoveri, sed solum quædam sese exhibent congruentiæ. Decebat enim, Verbum illud, per quod omnia facta sunt, omnium esse reparatorem, illamque personam mediatoris munus suscipere, quę media est inter Patrem & Spiritum Sanctum, immo per quem homo aptius fieri poterat Filius Dei adoptivus, quam opere Filii Dei naturalis? Hic dicitur sapientia Patris, per quem erudiendus erat homo, qui per ignorantiam peccavit, juxta illud, *omnis peccans est ignorans*. Et cum Filius æterni Patris sit ejusdem substantialis imago,per hunc redimendus erat homo, qui est imago similitudinis. Plura alia invenies apud Sanctos Patres,prȩsertim Damascenum, ac Bernardum.

41. Nunc breviter perpendenda convenientia incarnationis ex parte humanitatis assumptæ, tum totius speciei humanæ, immo totius universi; in qua re pro sententia affirmativa nullam video dubitandi rationem. Si enim assumptam humanitatem consideremus, hæc juxta suam potentiam obedientialem passivam ad sanctitatem substantialem & gratiam unionis erecta fuit, ita ut verum sit dicere; Verus homo est verus Deus, effecta fuit digna cultu latriæ, & adeo sublevata, ut quo altius attolleretur, non haberet, ut loquitur S. August. de prædest. Sanct. cap. 25. Si vero totam humanam speciem intueamur, hæc fuit per incarnationem reparata, condecorata Dei filiatione, & ad hæreditatem æternam evecta. Si tandem totum universum, jam constat bonum partis fieri bonum totius, & cum in homine rerum omnium gradus contineantur formaliter juxta illud Greg. hom. 29. in Evang. *Habet esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis* per illius utilitatem toti universo commodum derivasse, compertum est. Alias duas congruentias afferre placet. Una est, quia, cum in substantiis creatis una natura integra sit in una persona, in substantia Divina una natura sit in pluribus personis, decens fuit modum adinveniri, quo duæ naturæ integræ essent in una persona. Alia est, quia, cum fuerit productio ex viro sine fœmina, ut fuit productio Evę; sine viro & sine fœmina, ut fuit productio Adami, ex viro & fœmina, ut est productio ordinaria; conveniens fuit, ut etiam daretur productio ex fœmina sine viro, ut sic in universo omnes rerum differentiæ apparerent.

42. Con-

42. Contra hoc videtur esse, incarnationem non fuisse convenientem ex parte naturæ Angelicæ, etenim per illam non servaverunt Angeli suam connaturalem in homines præeminentiam, effecti homine inferiores. Verum nullius momenti censendum est, etenim non sunt inferiores natura humana utcumque, sed ut illi addita fuit perfectio excedens totam naturam Angelicam, cui si forte aliquod contigit detrimentum, multa deinde per plura dona supernaturalia gratiæ, & gloriæ utilitas collata fuit.

43. Esset quoque contra primum argumentum illud, quo dicitur, cum per incarnationem spoliata fuerit natura humana propria subsistentia tanquam perfectione sibi connaturali, adhuc in ipsa servari ad propriam subsistentiam propensionem; Verum nullus est ingenii tam rudis, ut quid sit respondendum ignoret, si perfectionem subsistentiæ Verbi Divini tanto perfectiorem humana, quanto creatum per increatum exceditur, perpendat, præter alia, quæ dici possent.

44. Superest ad hujusce rei complementum inquiramus, utrum convenientius assumpta fuerit natura humana, quam Angelica, vel quævis alia irrationalis, & utrum incarnatio convenientius facta fuisset vel ab initio, vel sub fine mundi.

Quantum ad primum, respond. affirmative. Ex parte enim naturarum irrationalium deerat convenientia dignitatis, cum licet habeant eandem potentiam obedientialem passivam ad unionem cum Verbo, attamen si elevarentur, non possent Verbum unitum vel formaliter cognoscere, vel diligere, sicut potest natura rationalis; inquit autem August. in Manuali cap. 26. *Ut familiarius diligeretur ab homine Deus, in similitudinem hominum Deus apparuit.* Propter quod dixit Christus Luc. 12. *ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur.* Ex parte vero naturæ Angelicæ deerat convenientia necessitatis, vel quia tota natura Angelica peccato non erat infecta, sed solum aliqui suo peccato personali, vel quia Angeli juxta S. Thom. inflexibiles sunt; Vel ut ait Scot. in 3. dist. 20. qu. unica Angeli non alterius tentatione, sed propria voluntate ceciderunt, ideo non fuit conveniens eos reparari, quia, ut dicit Ansel. lib. 1. Cur Deus Homo, cap. 21. *Sicut Angeli ceciderunt nullo nocente, ita nullo adjuvante surgere debent.*

45. Quantum ad 2. sentio negative. Etenim incarnatio, cum sit peccati remedium, peccatum non debuit præcedere, nec statim post peccatum fieri, ut homo in propria infirmitate humiliaretur; & Christus multiplici prophetiarum apparatu prænuntiaretur, multisque suspiriis, lacrymis peteretur ac votis. Totum hoc explicat S. August. tract. 31. in Joan. inquiens. *Multi dicunt, quare non antea venit Christus? quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo per quem facta sunt tempora; Sciebat enim, quando venire deberet. Primo per multam seriem temporum & annorum præcedendus fuit, non enim aliquid parvum venturum erat: diu fuerat prædicendus, semper tenendus: quanto major Judex veniebat, tanto præconum longior series præcedebat.* Non debuit etiam usque ad finem Mundi differri, ut successores possent pro collato beneficio gratias rependere, novos ritus, novamque legem à Christo datam exercere, & tandem, ut loquitur S. Thom. ad manifestandam Divinam virtutem, quæ non solum homines salvos faceret per fidem Christi venturi, sed etiam præsentis ac præteriti, & sic ejus exemplis & doctrina facilius & alacrius ad virtutem excitarentur. Fateor tamen in hac re verum esse illud, quod ait Chrisost. hom. 27. in epist. ad Rom. *Si quæsieris qua ratione tunc tandem apparuit, periculosam rem facies, mysteria Dei curiosè examinans, & rationem illorum exigens: neque enim talia* cu-

curiose inquirenda, sed diligenda sunt, & amplectenda: obedientiam enim fides exigit, non curiositatem.

ARTICULUS IV.

Utrum Incarnatio fuerit necessaria.

46. IN Deo nullam reperiri physicam necessitatem ad opera externa, constans est omnium Theologorum opinio; Incarnationem itaque non fuisse Deo absolute necessariam physice, compertum est. Fuisse tamen necessariam moraliter, ita ut, licet non incarnatio fuerit possibilis, attamen moraliter impossibilis, fuit sententia Raymundi Lullii, & magis affirmarunt Granad., & Ruitz. In multiplici autem sensu fieri potest difficultas; Primo simpliciter & absolute. Secundo ex suppositione vel orbis conditi, vel hominis elevati ad finem supernaturalem, vel peccati commissi & reparandi, ideo per diversas assertiones est dirimenda.

47. Dicendum primo. Incarnationem non fuisse necessariam neque moraliter. Hoc ita commune est apud Theologos, ut oppositum saltem ut temerarium censeatur.

Prob. Opus incarnationis summæ Divinæ liberalitati, ac dilectioni tribui debet, ita ut verum sit illud Apostoli ad Ephes. 2. *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccato, convivificavit nos Christo* & cap. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum ejus.* Et Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum Unigenitum daret*, sed hoc non bene servatur per libertatem physicam cum necessitate morali, ergo. Prob. mi. Si in hoc esset tantum libertas physica cum necessitate morali, non recte diceretur propter nimiam charitatem, sed propter honestatem & excellentiam incarnationis, ergo. Hoc magis confirmatur, si consideremus Sanctorum Patrum, Prophetarumque suspiria, inania enim hæc fuissent, si ad incarnationem fuisset in Deo moralis necessitas, ut manifestum est in omnibus rebus, ad quas hujusmodi necessitas datur.

48. Liceat tamen moralis necessitatis naturam perpendere, & si in hac plures imperfectiones, Deum dedecentes, includi demonstrabo, à Deo esse rejiciendam procul dubio concludendum erit. Jam vero demonstro. Primo; Quia sequeretur, Deum non habere perfectissimum dominium suarum creaturarum, ille enim perfectus Dominus est, qui potest ponere, & non ponere, producere, & destruere; at Deus in adversariorum sententia ita se haberet ad opus incarnationis, ut moraliter illud non potuisset non ponere, ergo. Quia moraliter est impossibile mille talos coenses projicere, licet physice possibile sit, quis dicet esse in perfecta hominis potestate eos ita projicere? Rationem hanc primam confirmavit S. Augustin. lib. 13. de Trinit. cap. 10. qui loquens de hoc mysterio hæc habet: *Parum est, ut istum modum, quo nos per mediatorem Dei & hominum Christum Jesum Deus liberare dignatur, asseramus bonæ, & Divinæ congruum dignitati, verum etiam ut ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent.* Atqui non omnia æqualiter subjacerent, si ad aliqua haberet necessitatem moralem, ergo ad nihil hanc habet. Secundo; Moralis necessitas ad aliquid explicari non potest, nisi per difficultatem maximam oppositum superandi, ut experimento compertum est, at excogitare in Deo difficultatem istam respectu non incarnationis, quis non videt, Divinam omnipotentiam quàm maxime deprimi? Adde tandem, omnia, quæ probant necessitatem moralem, probare etiam necessitatem physicam, ut patebit.

49. Dicendum secundo. In nulla suppositione vel creationis universi, vel ele-

elevationis hominis ad finem supernaturalem, vel peccati commissi & reparandi fuisse necessariam Incarnationem.

Prob. prima pars. Nulla est connexio & ordo inter decretum creationis vel ipsam creationem, & inter decretum incarnationis vel ipsam incarnationem, ergo ex creationis suppositione incarnatio necessaria non fuit. Prob. ant. decretum creationis vel ipsa creatio est in ordine pure naturali, incarnatio est in ordine supernaturali, & quidem substantiali, quia hypostatico, sed inter ea, quæ sunt ordinis naturalis & supernaturalis, præsertim substantialis, nulla datur connexio, ergo. Prob. mi. Id, quod est ordinis naturalis, nullam habet exigentiam activam vel passivam ad id, quod est ordinis supernaturalis, cum hoc dicatur propter excessum super omnem naturam creatam, ergo. Juxta hanc doctrinam docent omnes sapientes Theologi, & nos in secundo Tomo probavimus, possibilem esse statum puræ naturæ, cum Deus non teneatur ipsi conferre dona supernaturalia, à fortiori itaque non tenebitur ad incarnationem, quæ inter omnia supernaturalia donum maximum est.

50. Prob. secunda pars. Elevatio hominis ad finem supernaturalem haberi poterat sine incarnatione, ergo ex illa suppositione non infertur necessitas incarnationis. Prob. ant. elevatio hominis ad finem supernaturalem haberi formaliter potest per dona supernaturalia creata, nimirum habitum gratiæ, virtutes infusas, & actualia superna auxilia, sed hæc omnia haberi poterant sine incarnatione, ergo. Prob. mi. Potest ex dictis haberi ordo naturæ sine gratia, ergo etiam haberi poterat ordo gratiæ sine incarnatione, distantia enim quæ est inter naturam & gratiam est tantum in ordine, & finiti à finito, quæ est inter gratiam & incarnationem est in substantia, & finiti ab infinito ex parte unius extremi, proinde &c.

51. Prob. tertia pars. Supposito peccato adhuc incarnatio commendatur à Scripturis & Patribus opus à summa Dei dilectione proveniens juxta dicta num. 47. quibus addo illud Apost. ad Tit. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris Nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam.* Ergo supposito peccato commisso non fuit necessaria incarnatio; Immo peccatum magis aptum erat ad removendam Divinam largitatem ab incarnationis beneficio. Verum quis negabit potuisse relinquere totum humanum genus sine remedio, sicut reliquit Angelos peccatores? Sufficiat quod legitur Sap. 12. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti?*

52. Prob. quarta pars. Non deerat Deo alius modus reparandi hominis lapsum; Primo quia gratis poterat dimittere debitum. Secundo; poterat acceptare opera alterius hominis peccatoris, supplendo misericordia sua satisfactionis defectum, vel poterat creare alium hominem cum plenitudine gratiæ & facultate satisfaciendi pro homine peccatore, ergo ex suppositione peccati reparandi incarnatio non fuit necessaria. Juxta hanc rationem loquuntur communiter Sancti Patres. *Sunt stulti, qui dicunt, non poterat aliter sapientia Dei hominem liberare*, ait S. Augustin. lib. de Agone Christ. cap. 11. præter testimonium laudatum supra num. 48. *Veraciter confitemur, quod redemptionem generis humani alio modo perficere potuisset, si voluisset.* Inquit Hugo de S. Vict. lib. 1. de Sacram. par. 8. cap. 10.

53. Opp. 1. contra primam. Divina voluntas necessitatur moraliter ad id quod est melius, secus imprudenter ageret, sicut imprudenter ageret homo, si proposito ab intellectu bono perfectiore, illud non eligeret, sed incarnatio melior est non incarnatione, ergo necessitatem moralem habuit ad incarnationem. Confirm. Non datur ad extra opus excellentius incarnatione, & magis manifestans attributa Divina, immo, ut

ut includens personam Verbi, est infinite amabile, sed ab infinita amabilitate Deus necessario trahitur, & ut diligens se ipsum, debet suam gloriam promovere, sicut si quis efficaciter diligeret Petrum, Petro vellet omne bonum, ergo.

54. Resp. si perpendantur termini hujusce argumenti, jam vides, non solum probari necessitatem moralem, sed physicam, & metaphysicam, cum nullo modo possit Deus imprudenter agere. Directe dis. maj. ad id quod est melius per ordinem ad Deum conc. maj. per ordinem ad objectum ne. maj. dis. mi. incarnatio est melior non incarnatione secundum se conc. per ordinem ad Deum, subdistin. ex Dei electione conc. ex aliqua in Deo necessitate ne. mi. & cons. Si consideremus res in se ipsis, datur una melior alia, si autem per ordinem ad Deum, qui infirma mundi eligit, ut fortia quæque confundat, una non est melior alia, cum Deus à nulla possit aliquam perfectionem acquirere, utpote continens perfectissimo modo quamcumque lineam perfectionis. Quod igitur unum eligat, aliud relinquat, non ex objecti perfectione, sed ex propria oritur libertate. Non sic contingit in homine, qui recipiens perfectionem ab objectis, imprudenter ageret, (si tamen hoc dici potest) si proposito meliore bono, hoc non amplecteretur. Hinc ait Hugo de S.Vict. in sum. tract. 1. cap.14. tom.3. *Nihil ipse ex debito, sed sola bonitate facit: Homines ex debito faciunt, quia meliores inde fiunt, vel deteriores, si non faciunt*. Quod si argumentum hoc urget, jam dicendum erit, æqualiter debuisse Deum omnia producere, melior enim est creatio non creatione, generatio non generatione, & cum sit possibilis Mundus isto perfectior, alioquin daretur creatura perfectissima, teneretur Deus ad hujus productionem. Perperam hoc admittes. Ad confirm. conc. primas duas partes, sed nego teneri Deum ad manifestandam gloriam suam, cum ex hujusmodi manifestatione felicitas, beatitudo, & perfectio Dei non augeatur, & cum Deus potuisset magis manifestare attributa sua per aliquod aliud opus præter incarnationem, habuisset & haberet ad hoc necessitatem, quod non: Miror, à te non dici, necessitari ad incarnationem etiam Patrem, & Spiritum Sanctum, quia etiam horum incarnatio melior est non incarnatione, & magis saltem extensive gloria Dei manifestaretur; Quod vero additur de infinita amabilitate, quæ est in Verbo, non est ad rem, nam ex hoc sequitur necessario amari Verbum, & quidem summe necessario, non solum moraliter: Ex dictis habes quid postremo respondeas, efficaciter enim diligens Petrum vult ipsi omne bonum, quia Petrus ulterioris boni capax est acquirendi, non sic Deus, qui à nulla creatura bonum aliquod potest accipere.

55. Ut autem omnia solvantur quæ contra assertum nostrum opponi possent, firmiter tene, etiam hominum & beatorum actus meliores esse, non quia tendant in objectum ex se melius, sed melius per ordinem ad Divinam voluntatem, ideo tam in Cœlo quam in Terra dicitur, *Fiat voluntas tua*; & si aliquando voverint, se facturos quod melius est ex parte objecti, ut legitur de SS. Theresia, & Andrea Avellino, ideo hoc faciunt, quia se existimant ita Divinæ voluntati magis uniri, quod si hoc non esset, actus illorum quacumque virtute carerent; Quare quod est melius objective, melius est materialiter, quod est melius, quia magis juxta Divinam voluntatem, est melius formaliter. Tandem adverte, Deum quidem non posse velle malum, posse tamen nolle bonum, & ipsum nolle bonum, ex quo ipse nolit, ob fines ignotos nobis, sed Deo notissimos, melius est; Quamobrem, si in re nostra noluisset incarnationem, non incarnatio melior fuisset incarnatione.

56. Ob. 2. contra primam partem secundi asserti. Deus est optimus & perfe-

fectissimus artifex, sed hoc dato inter creationem universi, & incarnationem datur connexio, ergo. Prob. mi. Si Deus est perfectissimus &c. debet proferre quod est perfectionis & complementi in Universo, sed ita inter creationem, & incarnationem datur connexio, quia incarnatio spectat ad hujusmodi perfectionem & complementum, ergo.

57. Resp. argumentum nimis probare, nam sequitur Deum teneri ad producendum quemcumque perfectionis gradum, & universum perfectiorem: in forma, conc. maj. quæ servatur per hoc, quod Deus possit, non per hoc, quod Deus debeat, & ejusdem perfectio relucet in modo, quo res producit, non in ipsis rebus productis, unde etiam in minimis est maximus, nec plus potentiæ re ipsa exercet creando animam rationalem, quam muscam; ne.mi. ad prob. dis. maj. debet proferre quidquid est perfectionis & complementi debiti & connaturalis conc. indebiti & supernaturalis ne. maj. è contra dis. mi. ne. cons. quæ omnia clara sunt ex prob. nostra.

58. Ob.3. contra secundam partem. Datur major connexio inter dona supernaturalia creata necessaria ad hominis elevationem ad finem supernaturalem & incarnationem, quam inter dona naturæ, & dona supernaturalia, ergo licet inter ista non detur connexio, datur tamen inter illa; Prob. ant. per dona supernaturalia potuerunt homines de congruo mereri incarnationem, ut suo loco tradetur, non sic per dona naturæ potuerunt mereri dona supernaturalia creata, ergo datur &c. Confirm. Elevatio hominis ad finem supernaturalem continet ipsam incarnationem, ergo; Prob. ant. primo. Ex quo homo sit elevatus ad finem supernaturalem factus est hæres Dei, & cohæres Christi, ut ait Apost. ad Rom.8. sed cohæreditas cum Christo continet incarnationem, ergo. Secundo. Homo elevatus ad finem supernaturalem debet exercere operationes supernaturales, sed operationes supernaturales esse nequeunt sine incarnatione, cum hæc sit principium morale omnium operationum, ergo.

59. Resp. dato ant. negari conseq., nam hæc major habitudo non erit sufficiens ad inferendam connexionem, atque hoc eruitur ex eodem argumento, nam si conceditur tantum meritum congruum incarnationis, jam non habetur ipsius infallibilitas, ergo neque necessitas. Sed in principiis meis probatio antecedentis est falsa, & tantum vera quantum ad circumstantias, non quantum ad substantiam. Ad confirm. ne. ant. ad prob. dis. maj. factus est cohæres Christi ab extrinseco, & ex suppositione incarnationis jam factæ,& Christi, quem Deus libere voluit conc. ab intrinseco, & ex naturâ elevationis ne. maj. & sic ad reliqua, operationes enim supernaturales haberi potuissent per dona actualia. Breviter, elevatio ad finem supernaturalem per gratiam Christi reduplicative includit incarnationem, sed in hoc sensu nulla quæstio; elevatio ad finem supernaturalem simpliciter & specificative non includit, & in hoc sensu conclusum fuit; Et revera, si Adam non peccasset, Christus per Thomistas & communiorem recentiorum non fuisset, & tamen fuisset hujusmodi elevatio.

60. Ob.4. contra ultimam. Reliquit Deus Angelos in propria damnatione, ergo non potuit relinquere homines, ergo ex suppositione peccati commissi & reparandi fuit necessaria incarnatio; Prob. conseq. Si Deus reliquit Angelos in propria damnatione, debuit eorum numerus restaurari, sed non poterat restaurari nisi per hominum salvationem, ergo. Prob. mi. non poterat restaurari per alios Angelos, quia Angeli de novo producti non essent æquales aliis, si non peccassent, siquidem de novo producti, si non peccassent, perseverantiam habuissent visa vindicta in prioribus, priores vero, si non peccassent, nullam vindictam peccati vidissent, ergo non po-



potuit restaurari nisi &c. Ita argumentatur S.Ansel.lib.1. *cur Deus homo* cap.16. ubi habet. *Indignum fore Divinæ bonitati, quod natura humana, quæ ab ipso Deo creata est, in æternum abiret interitum ob diaboli adversus homines fraudem*. Hanc, ut arbitror, sententiam sumpsit ex Athanas. lib. de Incarn. Verbi, ejusque corporali adventu sub initio, ubi habentur hæc alia verba; *Quinimmo indecentissimum erat, Dei amorem in hominibus extingui, vel per ipsorum incuriam, vel per Dæmonis impostituram. Pereuntibus igitur rationalibus hominibus, unaquæque cum illis tanto opificio abolescente, quid quæso Deum, qui bonus erat, oportebat facere?* & addit; *Absurdum, indecorumque erat, ejus opera interire, idque potissimum sub ipsius opificis conspectu*. In hanc sententiam videntur devenisse plures alii Sancti Patres. Vigil. lib. contra Eutich. Ambros. in illud ad Hebr. 9. *Et ideo novi testamenti &c.* August. serm.8. de verbis Apost. Chrysost. hom.10. in Joan. &c.

61. Resp. in argumento plura reperiri, & omnia falsa. Primo; non fuit necessaria restauratio Angelorum, sicut non fuit necessaria creatio; Quid enim Deus accipere potest ab Angelorum consortio? Si potuit in sui æternitate omnibus Angelis carere, quare sine Angelorum prævaricantium restauratione esse non poterat? Secundo; restauretur numerus Angelorum, an debuit restaurari per homines? cur non vel per ipsos Angelos, quos ad pœnitentiam revocaret, vel per alios de novo productos, qui licet non essent æquales aliis, quid infertur? Quod si etiam per homines, deerat ne alius modus præter incarnationis opus ipsos ad salutem perducendi? Jam satis in prob. diximus. Hinc est, S.Anselmum à Theologis excusari, præsertim à S. Bonavent. in 3. dis. 2. art. 1. qu.1. dicente, ibi loqui de necessitate immutabilitatis posito incarnationis decreto; Quod si velis illum explicare, intellige de indignitate & indecentia negativa, quatenus, fuit valde conveniens & decens hominem reparari per hominem qui Deus esset, ut à nobis dictum fuit. Eodem pacto alios Patres explico; Porro Athanas.serm.3. contra Arian. inquit; *Poterat sine ullo adventu Christi solummodo loqui Deus, & solvere maledictionem*. Tutius tamen dices, Patres loquutos esse de reparatione hominis per condignam satisfactionem ex vi præsentis decreti. In re nostra illud ratum sit, quod ait Psalmista: *Deus ultionum Dominus libere egit*.

ARTICULUS V.

An Incarnatio fuerit necessaria ad satisfaciendum condigne pro peccato.

62. ALiis terminis hæc difficultas proponi solet, inquirendo, *utrum pura creatura potuerit de condigno pro peccato satisfacere*. Si enim hoc concludatur & probetur, certo infertur, incarnationem pro hujusmodi satisfactione nequaquam fuisse necessariam. Hic autem sumitur incarnatio pro unione hypostatica, non prout de facto peracta est cum Verbi persona, naturæ humanæ, sed vel humanæ, vel Angelicæ, vel cum persona Verbi, vel Patris, vel Spiritus Sancti; sicut non sumitur creatura pura, idest in statu puræ naturæ, sed ut seclusa à quacumque unione cum Divina Persona, ornata vero omnibus donis supernaturalibus gratiæ, & virtutum, omnibusque Dei auxiliis præmunita.

63. Potuisse puram creaturam de condigno satisfacere docuerunt Scot. in 3. dis. 20. qu. unica §. *Contra ea*. Alex. Palud., & modo omnes Scotistæ, quamvis diversis inixi principiis. Alii enim volunt, actum contritionis, & dilectionis Dei, ut authoris supernaturalis, super omnia ex Divina ordinatione & acceptatione habere vim satisfaciendi. Ita præsertim Herinx disp.1. qu.9. Alii vero ipsi

ipsi tantam concedunt virtutem, ut ab intrinseco vel tantam habeat bonitatem, quantam malitiam habet peccatum, vel etiam majorem, si majore conatu fiat, quàm fuerit commissum peccatum; & uterque dicendi modus cohærere videtur doctrinæ Scoti loco laudato, cum in diversis paragraphis utrumque docere, ex ejusdem verbis apertissime colligatur. Prior tamen modus nullo pacto placere potest, nam hoc admisso, non solum potuisset satisfacere homo justus, sed peccator, non tantum per actus supernaturales, verum etiam naturales, si Deus voluisset acceptare, quod tamen concedi non potest, & si concederetur, jam tota lis facillime soluta esset.

64. Negativam partem docet S.Th. 3.par. qu.1. art.2. & ubique, quam præter Thomistas sequuti sunt communiter recentiores tam ex Societate Jesu, quam ex Congregatione mea, sed diversa stabiliendo principia; etenim Thomistæ repugnantiam hujusmodi satisfactionis desumunt, ex quo peccatum sit infinitum simpliciter in ratione offensæ, satisfactio autem creaturę infinita esse non possit. Alii vero, asserentes, peccatum non esse infinitum, repugnantiam satisfactionis statuunt ex superiori ordine, in quo est offensa. Quare, ut ex æquo res ad examen revocetur, videndum est, utrum fundamentum Thomistarum firmum sit, deinde utrum aliorum ratiocinium sit approbandum. Ideo.

§. I.

Utrum peccatum in ratione offensæ sit simpliciter infinitum.

65. Punctum hoc in secundo Tomo Theologico à me pertractatum esse satis recordor, nec hic aliquid dicendum foret, ne eadem bis scriberemus; attamen majori Lectorum commodo consulentes, & si cui fortasse Tomus ille deesset, non inmerito, quæ ibi diximus, hic subjicienda existimavimus.

66. In quolibet peccato lethali tria à Theologis considerantur. 1. Malitia moralis, quæ consistit in privatione rectitudinis debitæ, quodve conceditur à saniori Thomistarum Schola. 2. Aversio à Deo & conversio ad creaturam. 3. Offensa; quatenus Deus, qui finis ultimi sibi vindicat dignitatem, bono commutabili creatoque postponitur. Certum est apud omnes Doctores, peccatum in prima consideratione dici non posse simpliciter infinitum etiam in determinata linea, etenim, sicut rectitudo debita est aliquid finitum, ita & aliquod finitum est ejusdem privatio. Insuper neque in secunda consideratione; quia, si de conversione ad creaturam sit sermo, necesse est hanc certis terminis coerceri, si vero de aversione à Deo, hic utique objectum omnino illimitatum est, attamen in actu non potest esse causa infinitatis, quia sicuti in actu bono non reperitur infinita bonitas, quamvis per ipsum habeatur conversio ad Deum, ita in actu malo non est infinita malitia, quamvis per ipsum habeatur aversio à Deo. Difficultas est igitur de peccato mortali, prout in ipso perpenditur ratio offensæ, quæ Deo infertur. In qua quidem resolvenda est pro parte negativa Scotistarum Schola cum suo Doctore in 3. dis.20. qu. unica in 2. dis.37. qu. 1. & ubique. Pro affirmativa vero sunt plures Thomis. Cajet. Nazar. Gonet. Coninch. Salmantic. asserentes S.Thom. hic art.2. ad 2. & in qu.28. de verit.art.2. & alibi. Scotistarum sententiæ subscribunt Suarez disp.2. de pecc. sect.3. Card. de Lugo de Incarn. sect.4. Vasq. p. 2. disp. 99. cap.8. quos sequuntur reliqui PP. Societatis communiter. Dixi superius, pro affirmativa esse plures Thomis. nam oppositum docuerunt Palud.in 3.dis.20. qu.2. art.2. Sot. in 4. dis.19. qu.1. art.2. ad 1. Corrad. 1. 2. qu.83. art. 4. Cabrera, aliique. Qua de re quid de mente S. Th. sentiendum sit, quis extra ipsius Scholam dijudicabit, si proprii ipsius Sectatores ipsum in contrarias sententias de-

deduxerunt? In hac igitur re, in qua ipsa Scoti sententia tot etiam Thomistas præfefert Sectatores.

Dicendum. Peccatum, ut est offensa Dei, non esse absolute infinitum.

67. Prob. primo. Quod absolute infinitum est, incrementum aliquod non potest suscipere, id enim est infinitum, quo nec majus est, nec esse potest, ut tradidi in physicis, & hac ratione repugnat per me & per Thomistas creatura perfectissima, quia quacumque data perfectione semper ulterior dari potest, & quando agimus de qualitate, debet infinitum excludere terminum tam intrinsecum, quam extrinsecum, atqui nullum est peccatum, quo non possit majus & gravius excogitari, nec ullum est, quod omnium peccatorum gravitatem contineat, ergo. Argumentum hoc sumitur etiam à S. Thom. 1. contra Gent. cap. 43. num. 2. dicente. *Ut albedo sit infinita debet excludi omnis excessus*. Et 1.2. qu. 87. art. 4. *Non enim est infinitum infinito majus*. Hoc confirmo paritate meriti Christi, quod, cum juxta Thomistarum sententiam in linea meriti sit infinitum, tale est, ut majus meritum esse non possit, immo quodcumque opus Christi in linea meriti sit æquale; Ex quo amplius sic. Si peccatum esset absolute infinitum in ratione offensæ, omnia peccata essent æqualia, quia saltem in ratione formali non potest esse unum infinitum majus alio, sed hoc non est dicendum, cum fuerit error Joviniani & Stoicorum, dicentium; omnibus peccatis eandem inesse gravitatem, paremque pœnæ reatum, contra quos agunt duo præcipui Ecclesiæ Doctores, nimirum S. Hierony. lib. 2. contra Jovin. & August. epist. 29. ad Hieronym. ergo. Minor præterea patet, & videtur declarata verbis Christi Jo: 19. *Qui me tradidit tibi majus peccatum habet*. Et certe, si datur una virtus major alia, ut constat in charitate, cur non etiam unum alio majus erit peccatum?

68. Duplici modo respondent Thomistæ. Primo peccatum non esse quidem infinitum in ratione malitiæ moralis, aversionis à Deo, & conversionis ad creaturam, seù in ratione offensæ activæ, in quo sensu peccata suscipiunt incrementum, & sunt inter se inæqualia, esse tamen infinitum in ratione offensæ passivæ, quæ consistit in ablatione passiva juris Divini, & supremi dominii, finisque ultimi, in quo sensu non datur unum peccatum majus alio. Hoc confirmari potest exemplo meritorum Christi, quæ si perpendantur juxta ordinem ad objecta, à quibus accipiunt bonitatem moralem, sunt simpliciter finita & inter se inæqualia, si vero juxta respectum ad personam Verbi, à qua procedunt, sunt simpliciter infinita, & inter se æqualia, ita ut quodlibet opus sub hac consideratione mereatur quidquid à merito respici potest. Porro error Joviniani & Stoicorum erat, omnia peccata esse æqualia sub quacumque ratione. Ita Asturicens. Alvarez, Godoi &c.

69. Secunda responsio est. Infinitum in linea entis non posse incrementum accipere, quia hujusmodi infinitum est in omni linea, & ideo debet esse unum, ut probat Arist. 1. de Cœlo infinitum tamen in determinata linea posse esse inæquale, & hac ratione probat S. Thom. 3. par. qu. 10. art. 3. quod licet in scientia Dei, absolute loquendo, contineantur plura, quàm in scientia animæ Christi, nihilominus Anima Christi cognoscit infinita. Hinc cum peccatum in ratione offensæ non sit infinitum nisi in linea determinata, poterunt esse peccata inæqualia, & unum majus alio, proinde argumentum à nobis expositum nihil concludit. Ita Araujo & Joan. à S. Th. quod approbant Salmantic. tanquam minus durum.

70. Neutra tamen responsio argumenti nostri adimit robur. Non prima; & sic ostendo. Per adversarios peccatum non est infinitum in ratione malitiæ moralis, aversionis à Deo, & conversionis ad creaturam, ergo neque in ratione offensæ. Prob. conf. Peccatum in ratio-

ratione offensæ sequitur tanquam sui radicem malitiam moralem, aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam, ergo si &c. & quemadmodum peccatum veniale non est majus in ratione offensæ, quàm sit in ratione malitiæ moralis, ita peccatum lethale; nam si esse præter legem Divinam (quod ipsi dicunt de veniali) infert offensam juxta malitiam præter legem Divinam, cur non esse contra legem Divinam inferet offensam juxta malitiam contra legem Divinam? an quia offensæ desumitur à dignitate personæ offensæ? sed in primis quomodo desumat, ostendetur in solutione argumenti præcipui; deindè insto eodem argumento; Esse præter legem Divinam non desumit rationem offensæ à dignitate personæ, nisi juxta mensuram malitiæ moralis, ergo à pari esse contra legem Divinam non desumet rationem offensæ nisi juxta mensuram malitiæ moralis. Neque obstat, peccatum lethale lædere jus Divinum, & supremum Dominium, tum auferre à Deo rationem ultimi finis, siquidem hujusmodi ablatio non consistit in indivisibili, ut ostendi potest exemplo Regiæ potestatis, quæ quidem violatur tum per transgressionem legis, tum per injuriam immediate factam ipsi Regi, & tamen, majorem esse offensam in secundo casu, quam in primo, quis ibit inficias? Præterea. Non minus est jus & dominium in Deo ad præcipiendum in materia levi, quam in gravi, nam utraque linea est infinitum, & tamen offensa in materia levi non est infinita, quia ab ipsa materia limitatur, ergo à pari offensa in materia gravi non erit infinita, quia limitatur per eandem materiam, quæ cum æqualis non sit, esse potest capax majoris, vel minoris offensæ, proinde non infinitæ.

71. Exemplum desumptum à meritis Christi non tenet, nam admisso, merita Christi esse simpliciter infinita (quod quidem à me in sequenti opere falsum esse demonstrabitur) etenim horum infinitas non infertur ex bonitate morali habita ab objectis, sed tota progreditur à persona Verbi tanquam principio physico, & moraliter dignum reddente quod cumque, etiam minimum opus; Quare, si admitti deberet argumentum, sic adversarios cogerem. Meritum Christi, proficiscens à persona infinita, est infinitum in quacumque materia versetur, etiam minima, ergo peccatum, cujus offensa desumitur à persona infinita, erit infinitum etiam in materia minima, quod nemo concedet.

72. Secunda etiam Thomistarum evasio non suffragatur; transmitto enim unum infinitum excedere posse aliud in linea determinata, cum de hac re pertineat ad Philosophos disputationem resolvere, hoc tamen concedi nullo modo potest, quando infinitatis ratio ab eodem principio, seù forma colligitur, & ideo merita Christi semper æqualia sunt, quia quæcumque sint, semper vim suam habent à persona Divina, atqui omnia peccata lethalia in ratione offensæ desumunt eandem infinitatem ab eodem principio, nimirum à Divina dignitate, quæ denominatur contempta, ergo æquali modo erunt infinita; & hinc admitto exemplum adductum à S. Thom. de infinitis, quæ cognoscit Deus, majoribus illis, quæ cognoscit anima Christi, quia horum cognitio à diverso principio progreditur; Attamen exemplum est falsum, cum neque Deus, neque Christus infinitum cognoscat, nisi tanquam chimeram, cum per me, & per Thomistas hujusmodi infinitum repugnet; pro qua re videantur ea, quæ in physicorum libris exposui.

73. Præterea. Infinitum in omni linea, seù, ut terminis Thomistarum utar, in linea entis, non potest in ulla linea incrementum recipere, ergo infinitum in determinata linea non poterit incrementum recipere in hac determinata linea, sed hoc, loquendo de peccato, falsum est, nam etiamsi peccata considerentur intra eandem speciem, magis Deus offenditur per unum, quam per aliud,

aliud, puta, si unum fiat cum majori conatu & cognitione; atque hoc juxta prudentum hominum existimationem, ergo. Tandem redit quod superius dictum fuit. Merita Christi sunt infinita in determinata linea, & tamen inter se non sunt inæqualia, ergo licet peccata admitterentur infinita in determinata linea non esset inæqualia; quod magis promovetur, si ita dicamus. Quia merita Christi sunt infinita in ratione meriti (semper loquor in opposita sententia) quodcumque meretur quodvis excogitabile præmium, ergo si peccata essent infinita in ratione offensæ, quicumque esset debita quævis excogitabilis pœna, sed hoc est falsum, cum pœnæ etiam in inferno inæquales sint, sicut inæqualis est gloria, ad quod probandum non est, cur aliquid dicam, ergo. Dixi superius, *si fiat cum majori cognitione*. Qua de re.

74. Prob. secundo sententia nostra. Peccatum non est infinitum in ratione offensæ, si habeat à quo limitetur, sed ita est, ergo. Prob. mi. peccatum habet à quo limitetur in ratione offensæ, si habeat à quo limitetur in ratione liberi, ac voluntarii, nam ideo est offensa Dei, quia est Dei contemptus liber ac voluntarius, sed peccatum habet à quo limitetur in ratione liberi ac voluntarii, ergo. Prob. mi. Ut peccatum habeat à quo limitetur in ratione liberi ac voluntarii, nihil requiritur, nisi ut limitetur per minorem cognitionem, hæc enim, si minor sit, minuit liberum ac voluntarium, auget, si major, sed ita peccatum habet à quo limitetur, nulla enim cognitio esse potest infinita, ergo.

Hoc totum confirmo, ac brevius declaro. Si nulla esset cognitio, nulla esset offensa Dei, ergo si finita est cognitio, finita est offensa Dei, sed in quolibet peccato cognitio est finita, ergo. Patet hoc experientia, nam si eadem injuria fiat eidem personæ à viro & à puero, minor in ratione offensæ censetur ista, quam illa, nec alia ratione, nisi, quia à viro sit cum majori, à puero cum minori cognitione.

75. Argumentum hoc evertere conantur. Primo dicunt, ad constituendam offensam requiri quidem cognitionem personæ offensæ, quanta sufficit, ut personæ dignitas cognoscatur, majorem vero, vel minorem cognitionem de materiali omnino se habere, sicuti ad producendum effectum necessaria est existentia, tanquam conditio, majorem vero, vel minorem existentiam ad rem non facere ad magis vel minus producendum effectum. Secundo; dato argumento nostro, sequeretur v.g. perjurium, quod modo committitur, habiturum eandem gravitatem, etiamsi per impossibile Deus non esset infinitus, dummodo committatur cum eadem cognitione, sed hoc non, quia si Deus tanta dignitate non polleret, procul dubio neque tantæ foret gravitatis & offensæ perjurium, ergo quia offensa non desumitur à cognitione, sed à persona offensa. Constat hoc exemplo; Si percutias Plebejum, quem existimas esse Regem, non habet percussus jus eam satisfactionem exigendi, quod haberet, si revera fuisset Rex, ergo non à cognitione, sed à persona gravitas offensæ est repetenda.

76. Sed contra; ad primum falsum est, ad malitiam peccati cognitionem majorem vel minorem de formali se non habere, etenim, quod formaliter minuit, vel auget voluntarium, formaliter etiam minuit, vel auget malitiam, cum actus ideo sit malus quia est voluntarius, ut à nobis demonstratum fuit. Hinc negamus, ad malitiam cognitionem se habere adinstar conditionis, sicut ad producendum effectum se habet existentia. Sed si etiam id concederemus, parum evinceretur, nam etiam ad combustionem approximatio se habet ut conditio, & tamen ex majori approximatione habetur major combustio. Quare data hac responsione, negandum est suppositum exempli adducti, non enim datur una existentia major alia, cum hæc indivisim habea-

habeatur per hoc, quod res sit posita, ut inquiunt, extra suas causas, & tam existit v. g. musca, quam homo, quamvis sit major perfectio in homine, quam in musca, sed hæc major perfectio non est in homine, quia existit, sed in homine qui existit, ut homo est, non ut existens est.

77. Ad secundum male ponitur instantia, non enim dicimus, gravitatem offensæ sumi dumtaxat à cognitione, sed à cognitione & simul à persona, & inde fit, quod ubi decrescat vel cognitio, vel dignitas personæ offensæ, decrescat etiam offensa. Verum dici potest, quod in eo casu perjurium haberet eamdem gravitatem affective, si non effective, sicut si quis percuteret servum existimans esse Regem, eandem contraheret malitiam, ejusdemque pœnæ reus esset, cujus, si percuteret Regem. Quod si humana Respublica non punit eadem pœna occidentem revera hominem, quem putat feram, qua punit occidentem feram, quam putat hominem, hoc evenit, quia lex humana versatur solum circa actus exteriores, nec perpendit intentionem malam, dummodo actus exterior malus non sit. Cœterum absolute loquendo etiam in humanis cognitio & existimatio locum habet, si possit probari.

Pluribus aliis momentis nostræ sententiæ propugnatores eam stabiliunt, verum ea placet omittere tanquam leviora, & ne cogamur defendere, quæ parum urgent adversarios.

§. II.

Refelluntur argumenta contraria.

78. Primo se exhibet argumentum illud tritum, quod vocant calculatorium, & est adversariorum præcipuum. Offensa eo est gravior, quo dignior est persona, cui fit injuria, etenim, ut inquiunt, offensa est in offenso, tanquam in subjecto, & non solum tanquam in termino, seù objecto, sicut se habet actus charitatis erga Deum, atqui per peccatum lethale fit injuria personæ infinitæ, nempe Deo, erga est in ratione offensæ infinitum. Hoc magis roboratur primo. Peccatum contra Deum debet tot gradibus excedere offensam contra hominem, quot Deus excedit hominem, atqui Deus excedit hominem gradibus infinitis, ergo peccatum contra Deum debet excedere offensam contra hominem gradibus infinitis; ideo &c. Secundo. Supponamus, injuriam cum eadem consideratione fieri personæ dignæ, ut quatuor, & alteri dignæ, ut octo, facta huic erit gravis, ut octo, facta alteri erit gravis, ut quatuor, ergo gravitas offensæ tota repetitur à dignitate personæ, ergo si persona est infinitè digna, infinita erit offensa. Hoc est argumentum S. Th. hic art. 2. ad 2. & qu. 28. de verit. ubi habet hæc verba. *Qui rem aliquam digniorem indignori postponit injuriam ei facit, & tanto amplius quanto persona est dignior; Quicumque autem in re temporanea finem sibi constituit, quod facit omnis mortaliter peccans, ex hoc ipso, quantum ad affectum suum præponit creaturam creatori; Cum ergo Deus in infinitum creaturam excedat, erit mortaliter peccantis contra Deum infinita offensa ex parte dignitatis ejus.*

79. Resp. non recedendo à probationibus nostris; dis. maj. nisi fundetur in aliquo finito, & limitetur ab aliquo principio trans. maj. si fundetur in aliquo finito &c. ne. maj. conc. mi. ne. cons. ad quod explicandum omnia in antec. dicta aptanda sunt; Neque obstat, offensam per peccatum respicere Deum, tanquam subjectum, nam in primis hoc verum est tantum extrinsece, nihil enim in Deo recipi potest, deinde, quamvis etiam intime concederetur, attamen Deus licet in se infinitus, non potest tamen peccato communicare infinitatem in ratione offensæ, cum non aliter p eccatum sit offensa, nisi quia est malum, est autem solum finite, uti probatum fuit, & ne hujusmodi infinitas à subjecto infinito trans-

transfundatur, habetur limitatio tum à finito conatu peccantis, tum à cognitione, tum à deliberatione, tum ab ipsorum peccatorum inæqualitate. Cœterum, si infinitas personæ infinitam redderet offensam, etiamsi nulla esset cognitio & deliberatio, offensa esset infinita, si infinita esset persona, quod non; & prætera sequeretur, quod sicuti persona offensa talis est, ut contineat omnium rerum perfectiones, ita unum peccatum contineret omnium rerum imperfectiones, & sic omnes etiam offensas, quod non.

80. Optime propterea respondent adducto argumento sententiæ nostræ propugnatores, injuriam crescere juxta dignitatem personæ geometrice, non aritmetice, ita ut quo dignior est persona, gravior sit offensa, non tamen, ut quantum excedit persona, excedat etiam offensa, quemadmodum eo nobilior est actus, quo nobilius est objectum, nec tamen tanta nobilitas est in actu, quanta in objecto, uti compertum est. Hinc facilis responsio alteri argumento; nimirum, fortasse esse verum, nisi aliunde habeatur limitatio; clara tamen est retorsio, quæ sic conficitur. Obsequium & amor erga Deum debet tot gradibus excedere obsequium & amorem erga creaturam, quot gradibus Deus excedit creaturam, atqui Deus infinitis gradibus excedit creaturam, ergo erit quid simpliciter infinitum; Conseq. hanc non admitterent, neque ego illam; & quidem argumentum satis urget Thomistas, docentes, actum speciem desumere ab objecto.

81. Argumentum aliud nullum robur habet, si perpendantur termini, non enim nos negamus, gravitatem offensæ etiam derivare à persona offensa, unde si eadem sit cognitio tam personæ dignæ, quam personæ dignioris, major erit offensa, si fiat in istam; sed ut cœtera sint paria, debet cognitio personæ dignæ commensurari dignæ, & cognitio dignioris commensurari digniori; Si autem fieret suppositio, quod persona digna cognosceretur & offenderetur, profecto esset offensa, si tamen persona dignior non cognosceretur, & offenderetur, non esset offensa, semper ergo subsistit, offensam habere suam gravitatem juxta mensuram cognitionis, aliorumque, de quibus usque modo diximus, præsertim quia debemus in offensis fateri inæqualitatem, proinde majorem & minorem, nunquam ergo infinitam.

82. De mente S. Th. cogitent Thomistæ; non prohibemur tamen illum in contrarium afferre, atque ut plurima præteream, habet hic art.2. ad 2. Peccatum habere quandam infinitatem ex infinitate Dei, quod etiam repetit in 3. dist.20. qu.1. art.2. particula autem illa excludit infinitatem simpliciter, sicuti cum 1.p. qu.25.art.6. ad 4. dixit, humanitatem Christi ex quo sit unita Verbo, & Beatam Virginem, ex quo sit Mater Dei, habere quandam infinitatem, negavit infinitatem simpliciter. Itaque &c.

83. Infremunt Salmant. eorumque compilatores, inter quos Paulus à Concept. qui tali pacto nos urgere contendit. Quamvis in re nostra finita sit voluntas peccans, finita cognitio ac deliberatio, attamen per peccatum moraliter aufertur prædicatum Divinum, idest ratio ultimi finis, ergo adhuc offensa erit infinita simpliciter, nam privatio alicujus formæ aritmetice crescit juxta incrementum ejusdem formę, quia, ut docet Arist. 2. Ethic. cap. 1. *Mensura privationis est habitus*. Atque hoc magis demonstratur exemplo. Si quis enim eadem cognitione, deliberatione, & conatu destrueret tres imagines, quarum una esset valoris, ut quinque, altera ut decem, altera ut quindecim, quantitas damni cresceret aritmetice juxta valorem imaginum, ergo à pari in re nostra. Neque dicas, omnia hæc esse vera, si loquamur in linea physica, non sic in morali; Contra enim; Si peccans mortaliter causaret physice in Deo privationem alicujus prædicati Divini, & si of-

si offensa physice reciperetur in Deo, offensa physice esset infinita, ergo si peccans mortaliter causat moraliter privationem prædicati Divini, & offensa moraliter recipitur in Deo, offensa moraliter erit infinita.

84. Sed neque hujusmodi argumentatio sententiam concutit nostram, etenim privatio prædicati Divini per peccatum non consistit in indivisibili, & est inæqualis, sicuti probatum fuit, unde in forma dis. ant. per peccatum moraliter inæqualiter aufertur prædicatum Divinum conc. æqualiter ne. ant. & cons. ad cujus prob. dis. ant. privatio physica alicujus formæ crescit &c. conc. privatio moralis inæqualis ne. ant. & cons. Quid enim mirum, si privatio physica tanta sit, quanta est forma? consistit in destructione entitativa formæ, ergo quanta est formæ entitas, tanta est privationis non entitas; non ita loquendum de privatione morali, siquidem ista colligenda est à principiis moralitatem constituentibus, quæ cum possint esse majora, vel minora, & nunquam infinita, sequitur privationem moralem nunquam esse posse infinitam. Ex hoc habes, quid exemplo respondeas; damnum enim illatum in earum imaginum destructione physicum est, crescet ergo juxta illarum valorem, præsertim quia agitur hic de foro externo, non interno, sicut in disceptatione nostra; & de facto si probari posset, hoc non esse factum cum sufficiente cognitione, neque in foro externo ad reparandum damnum obligaretur. Accepto propterea responsionem datam in argumento, & instantiæ dictum est satis pro dispari ratione afferenda.

85. Totum hoc valet, etiam admisso, offensam moraliter recipi in Deo, tanquam in subjecto, quod tamen negari posset, quia hæc denominatio, *Deus offensus* est pure denominatio extrinseca, & sicuti Deus intrinsece neque moraliter mutari potest, ita neque moraliter intrinsece potest offendi.

86. Secundo proponunt argumentum desumptum ex pœna debita peccato mortali, sic. Peccato mortali debita est pœna simpliciter infinita in linea morali, id est in prudenti hominum existimatione, ergo quia est malum simpliciter infinitum moraliter; Consequentia patet, quia effectus continetur in virtute suæ causæ, ergo pœna infinita in culpa infinita, & aliter Deus esset injustus, quia puniret ultra condignum. Prob. ant. multifariam; Primo quia peccato mortali debita est carentia unionis hipostaticæ, hæc autem infinita simpliciter est, sicut unio moraliter est infinita; Secundo, quia peccato mortali debita est carentia cujuscumque boni, complexum autem omnium bonorum censendum est quid infinitum. Tertio, quia ipsi debita est æterna pœna, hæc vero est infinita saltem in duratione, at offensa finita non exigit vindictam infinitam, ideo &c.

87. Resp. per argumentum primum probari, etiam peccatum veniale esse infinitum, etenim etiam huic debita est carentia unionis hipostaticæ, ne. igitur ant. ad primam prob. sicuti gratiæ habituali non est debita unio hipostatica, ita peccato lethali non est debita carentia unionis; est itaque hujusmodi carentia extra lineam pœnæ debitæ peccato, sicuti unio est extra lineam præmii debiti gratiæ, quare licet unio sit quid moraliter infinitum, non sic carentia unionis, nisi in abstracto, & sine aliquo ordine ad aliquod subjectum, atque tenendum est, quantitatem pœnæ non esse attendendam præcise ex quantitate boni, quo quis privatur, sed ex majore exigentia, quam quis habet non carendi illo bono; Sic, si Principem redigas ad mediocrem statum, plus adimis, quam si à mediocri redigas ad statum mendici, & tamen plus pœnæ infertur in hoc, quàm in illo casu. Privat ergo peccatum lethale gratia, beatitudine, & Deo tanquam æternæ felicitatis objecto, quod non sufficit constituendæ pœnæ simplici-

ter

ter infinitæ, sicuti ex quo gratia conferat beatitudinem & Deum, non sufficit inferendo præmio simpliciter infinito, nec gratia dici potest simpliciter infinita. Ad 2. eodem modo dist. ant. debita est carentia cujuscumque boni debiti conc. cujuscumque alterius boni, quod sit extra lineam pœnę debitæ, ne. ant. & conf. & quamvis peccator indignus sit omni bono, ipsi tamen non est debitum omne malum, sicut nec justo debitum est omne bonum. Ad 3. argumentum nimis probat, cum eadem ratione dicendum foret, etiam gratiam hominis justi esse infinitam, quia ipsi debita est gloria æterna. Hoc itaque contingit, quia tandiu perseverare debet pœna, quandiu perseverat culpa, quare cum culpa in duratione æterna sit, quia nunquam retractabitur, sit etiam, pœnam infinitam futuram esse in duratione, ait enim August. de fide ad Petrum. *Permanente in eis injustæ affectionis malo permanet in eis debitæ retributionis damnatio*. Et hoc ex Divina dispositione, quæ statuit, ibi futurum lignum ubi ceciderit, non quia non potuisset aliter puniri peccatum.

88. Tertio proponitur argumentum sumptum ex natura peccati mortalis, quod nimirum est destructivum Dei, & peccans vellet, Deum non esse legislatorem, potentem ac vindicem justum, saltem affectu & conditionate. Neque dicas, ut supra, hoc esse verum moraliter, inæqualiter, modo finito, & solum extrinsece, juxta illud Job 35. *Si peccaveris, quid nocebis ei? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* vel hujusmodi affectum & conditionem destruendi Deum nunquam in actum exire & motum deliberatum; etenim demus hypothesim, in qua peccator directe & formaliter vellet Deum destruere, saltem in hoc casu peccatum erit infinitum simpliciter.

89. Argumentum hoc jam superius expositum fuit; accepto itaque responsionem datam, & semper retorsio est in actu charitatis, quo quis vellet Deo dare esse quod habet, sicut peccator vellet destruere esse quod habet, nec tamen actus charitatis est infinitus. Ad hypothesim dico, adhuc peccatum illud simpliciter finitum esse propter eandem rationem, & alias adductas in probationibus nostris. Sed quid dicendum de peccato commisso in occisione Christi? saltem hoc fuit infinitum, quia fuit physice in personam infinitam. Respondent Amicus, Lezana, aliique hoc concedendo de hoc speciali peccato, cum tamen hæc ratio de aliis non militet, ideo non est generatim concedendum; Assero tamen, neque hoc peccatum fuisse simpliciter infinitum, nam quod fuit destructum in occisione Christi non fuit Divinitas, sed Humanitas, & unio animæ cum corpore, quæ sunt aliquid finitum.

§. III.

An peccatum sit in supremo ordine offensæ.

90. Nunc perpendendum est alterum caput, juxta quod reliqui Doctores Theologi negantes peccatum esse infinitum, adhuc defendunt, puram creaturam non posse condigne satisfacere pro peccato, quia ejus satisfactio esse nequit in supremo ordine satisfactionis, è contra peccatum est in supremo ordine offensæ.

Dicendum; admisso, peccatum non esse infinitum simpliciter, neque dici posse simpliciter in supremo ordine offensæ. Ita Salmantic. quorum sententiam eligo, ut validius Scotistarum opinionem circa condignam satisfactionem creaturæ stabiliam.

91. Prob. assertum facillime, & brevissime. Peccatum per adversarios non est simpliciter infinitum in ratione offensæ, ergo neque in supremo ordine; Prob. conf. Ideo non est simpliciter infinitum, quia limitatur vel ratione materiæ, vel ra-

ratione cognitionis, vel ratione malitiæ moralis & aversionis, quæ sunt aliquid finitum, & ex hoc Deus, quamvis sit subjectum & objectum infinitum, non tribuit offensæ infinitatem, sed hoc idem probat limitari, ne sit in supremo ordine offensæ, ergo. Idem sic magis declaro; Quamvis peccatum sit contra Deum infinitum in dignitate, peccatum non est in ordine infinito, ergo quamvis sit contra Deum supremum in dignitate, non erit in ordine supremo; & sicuti, quia principia offensæ non sunt infinita, reddunt offensam finitam, ita, quia eadem principia non sunt in ordine supremo, non reddunt offensam in ordine supremo.

Hoc stabilito deveniendum est ad resolutionem difficultatis sub initio articuli propositæ; Qua in re

Dicendum; puram creaturam posse satisfacere de condigno pro peccato lethali.

92. Ratio afferti colligitur ex dictis, & ita proponitur. Potest pura creatura satisfacere de condigno pro peccato lethali, si hujusmodi satisfactio non debeat esse infinita, nec in supremo ordine satisfactionis simpliciter, sed hujusmodi satisfactio non debet esse &c. ergo. Prob. mi. Ut satisfactio sit condigna, aliud non requiritur, nisi quod talis & tanta sit, qualis & quanta est offensa, sed ut ita sit, non debet esse infinita, nec simpliciter in supremo ordine satisfactionis, quia offensa non est hujusmodi, ergo.

93. Sed demus, peccatum esse in hoc supremo ordine offensæ, adhuc nihil in nostram sententiam probaretur; etenim non repugnat, per rem ordinis inferioris per sui multiplicationem, ac continuationem aliasque circumstantias adæquari posse rem ordinis superioris, & falsum omnino est, requiri æqualitatem inter personam satisfacientem & offensam. Hoc exemplis ostendo. Sit rusticus, qui proditionis crimen committat in Regem, hujusmodi offensa esset superioris ordinis per respectum ad personam offendentem, & tamen, si postea Regem à manifesto mortis periculo, vel ab alia proditione liberaret, nova illi & ampliora subderet Regna, satisfactio in prudenti hominum existimatione esset æqualis, immo & excedens. Similiter, vita est superioris ordinis divitiis, & tamen juste morte damnatus, ad subveniendum Reipublicæ extremè laboranti, per pecuniam ad æqualitatem pro vita compensaret, ergo. Ratio autem horum omnium est, quia ideo requiritur dignitas æqualis personæ, quia dat virtutem satisfaciendi, reddendique quantum per injuriam ablatum est, si ergo aliunde hoc possit haberi, non est, cur ab æqualitate personarum hoc exigatur. Hoc valet præsertim in existimatione morali, si non, ubi est sermo de perfectionibus physicis; Sic argentum, quamvis multiplicatum nunquam auri conciam physice æquabit, æquabit tamen in existimatione morali; Fateor tamen, multa esse, quæ etsi multiplicentur, nunquam ad rem ordinis superioris perveniunt etiam moraliter, v.g. plura peccata venialia nunquam æquabunt unum peccatum lethale; at non video, cur ita loquendum sit de peccato lethali, ut per plures actus charitatis æquari non possit offensa per ipsum illata, nisi probetur, esse infinitum simpliciter, quod tamen contra nos usque modo probatum non est.

94. Amplius etiam contra Suar. aliosque, qui veram tuentur sententiam circa meritum possibile creaturæ; Ordo hipostaticus, ad quem per laudatas Authores pertinet Maternitas Virginis, est ordinis superioris, & tamen pura creatura potest pertingere ad meritum condignum Maternitatis, ergo res superioris ordinis potest &c.

95. Placet ulterius quod dicimus confirmare, supponendo hypothesim possibilem, in qua Deus conderet hominem justum, omnique dono supernaturali præditum, in cujus voluntate poneret omnium hominum voluntates, sicut actum

actum est in Adami voluntate. Hic homo mereretur sibi de condigno beatitudinem, ergo mereretur & aliis hominibus, sed non mereretur de condigno aliis, nisi aliorum peccata de condigno deleret, ergo. Prob. prima cons., Adam, in cujus voluntate erunt omnium hominum voluntates, peccando peccavit pro omnibus, ergo à pari hic homo merendo mereretur pro omnibus. Si autem dicas, posse mereri de condigno beatitudinem, quin deleret de condigno peccatum: inferam, ergo poterit homo esse beatus & peccator; non enim infallibiliter deleretur peccatum, & si respondeas, hoc non evenire propter condignam satisfactionem, sed propter incompossibilitatem peccati cum beatitudine; dicam primo; in ea ratione, in qua meritum ad gloriam esse non potest cum peccato, identicum esse cum satisfactione pro peccato. Secundo; ergo cœteri homines essent beati cum debito subeundi pœnam æternam, quod incongruum & inauditum omnino videtur.

96. Opp. 1. ex Sanctorum Patrum testimoniis. Basil. in psal. 48. *Non item hominem nudum, sed hominem Deum Jesum Christum, qui solus pro nobis omnibus propitiationem dare potest Deo*. Ambros. in cap. 9. ad Hebr. *Tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus, nisi Unigenitus aliquando Filius Dei moreretur*. Chrysost. hom. 20. in Joan. *Cecidit natura nostra eo casu, ut restitui non possit, nisi ab illa potentissima manu*. August. in Ench. cap. 108. *Neque per ipsum liberaremur mediatorem hominem Christum, nisi esset Deus*. Fulgen. de Incarn. & Grat. cap. 4. *Nullatenus humana natura ad auferendum peccatum sufficiens atque idonea fieret, nisi unione Verbi Dei*. Tandem Leo Papa serm. 1. de Nativit. Dom. *Si non esset verus homo, non præberet exemplum, si non esset verus Deus, non afferret remedium*; ergo nulla pura creatura potest &c.

97. Resp. valde inefficax argumentum, quod tamen validissimum existimant, ex Patrum authoritatibus in hac re colligi posse, nam si ipsorum verba perpendamus, inferemus etiam, ad condignam satisfactionem Christi mortem necessariam fuisse; jam Ambrosium tu ipse superius attulisti, audi & Athanas. qui lib. de Incarnat. Verbi sub initio ait: *Cum enim Patris sit Verbum, & supra omnes, merito etiam solus omnia recuperare potuit, & idoneus fuit, qui pro omnibus pateretur*. Similia hábent Iren. lib. 3. cap. 20. Justin. in exposit. Fidei, Cyril. Hierosolymit. catac. 13. aliique, nec tamen quis asseret, Christi mortem, sanguinisque effusionem ad condignam hominis reparationem necessariam fuisse. Ne quid igitur injuriæ Sanctis Patribus inferre videamur, dicendum est, vel ipsos loquutos esse de homine puro nullo gratiæ dono exornato, immo peccatore, utpote qui filius esset Adæ, non vero in suppositione nostra, quæ fieri potuisset, in qua homo esset maxima gratia prædìtus, & constitutus caput omnium hominum; vel juxta præsens decretum, in quo Deus voluit Verbum Divinum carnem assumere, & nullius hominis vel Angeli acceptare satisfactionem.

98. Opp. 2. Si pura creatura posset de condigno satisfacere pro peccato lethali, Verbum Divinum sine urgenti necessitate fuisset incarnatum, sed hoc non est dicendum, ergo. Maj. ostenditur, nam Apostolus ad Galat. 2. probat, gratis Christum mortuum esse, si lex Mosayca sufficiens fuisset justificationi conferendæ, ergo à pari.

Resp. dis. maj. si pura creatura posset, & Deus decrevisset condere hujusmodi creaturam, & se acceptaturum ejusdem satisfactionem conc. si opposito modo ne. maj. & sic Paulus explicatur. Cœterum, argumentum non tenet, nam etiam adversarii fatentur, Christum potuisse redimere genus humanum, & satisfacere de condigno, licet non fuisset passus & mortuus, nec tamen gratis, & sine urgenti necessitate passus & mortuus est.

99. Opp. 3.

99. Opp.3. Non potest pura creatura satisfacere de condigno pro omnibus beneficiis acceptis, ergo neque pro peccato; Prob. ant. Ipsa satisfactio pro beneficiis acceptis est novum beneficium à Deo acceptum, ergo. Confir. 1. Pura creatura non potest de condigno mereri remissionem peccati, ergo neque condigne satisfacere pro peccato; Prob.ant. Pura creatura merens de condigno remissionem peccati, vel esset constituta in gratia, vel non, si primum, ergo quo ad culpam deletum est peccatum per solam misericordiam Dei gratiam infundentis; si secundum, ergo cum esset inimica Dei, potuit de condigno mereri, quod non. Confirm. 2. Dicendo, puram creaturam posse satisfacere de condigno pro peccato, gravitas peccati minuitur, & facilius relaxantur homines ad peccandum, juxta illud Cypriani de operibus Cardinal. *Sine hoc holocausto poterat Deus tantum condonasse peccatum, sed facilitas veniæ laxaret habenas*, sed hoc fieri non debet, ergo neque dici debet, puram creaturam posse &c.

100. Resp.ne.ant.quantum ad hoc ne diceretur ingratus, si enim faceret quod posset, ut se gratum ostenderet, satisfaceret, nec ulterior satisfactio requireretur. Si vero velint adversarii, antecedens esse verum propter rationem adductam, concedam, sed disparitas clara est, quia nimirum daretur in beneficiis processus in infinitum, quia semper nova satisfactio esset novum beneficium, non sic daretur processus in infinitum in peccatis, quia certe talis satisfactio peccatum non esset. Ad primam corfir. ne. ant. juxta dicta in tract. de Gratia; ad prob. dico, hanc creaturam esse in gratia, & nego conf. Licet enim gratiæ infusio esset ex misericordia Dei, cum ad primam gratiam dari nequeat meritum de condigno, attamen actiones procedentes ab ipsa, non solum ab ipsa, sed etiam à creatura procederent, & per istas posset creatura satisfacere. Porro argumentum nimis probat, nam per hoc idem sequeretur, creaturam neque de condigno mereri posse visionem beatam, immo neque Christus potuisset de condigno satisfacere, cum satisfecerit per opera progredientia à gratia unionis; quæ gratis fuit collata Christo, ut suo loco tradetur. Ad 2. confirm. ne. maj. adhuc enim homines deberent abstinere à peccato, cum adhuc esset offensa Dei, adhuc hominem æterna gloria privaret, & exigeret ærumnas, mortemque hominis innocentis pro hominum capite constituti; & sicut, licet Christus satisfecerit de condigno, adhuc peccatum evitare debemus, ita in proposito, immo à fortiori, nam ex quo Christus satisfecerit, facilius veniam peccatorum possumus expectare, cum ipsius satisfactio non solum fuerit condigna, sed superabundans, ut ostendetur. Testimonium Cypriani non obstat, nam loquitur de condonatione mera gratuita; Præterea; argumentum hoc est morale & extrinsecum, nec petitur ex intima natura peccati, & satisfactionis.

101. Opp. 4. Si pura creatura potest &c. præsertim per actum, vel per plures actus ferventissimæ charitatis, sed hoc non, ergo. Prob.mi. 1. quia non tanti æstimari debet, vilem creaturam per obsequium subdi Deo, quanti ipsam per peccatum à Deo recedere, ut ipsa ratio naturalis suadet, ergo. 2. quia non tantum bonitatis est in actu charitatis, quantum malitiæ in actu peccati, etiamsi concedatur, peccatum non esse infinitum; & ratio est, quia in injuria non solum perpendi debet honor ablatus, sed etiam magnitudo contemptus, unde si quis Regi eundem honorem aufert, quem plebejo, v.g. dicendo, esse mendacem, multo major erit injuria facta Regi, quam plebejo, excessus autem iste non desumitur ex re ablata, quæ supponitur eadem, sed ex contemptu nobilioris personæ. Quare dixit Anselm. lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 11. *Non sufficit solum reddere Deo quod ablatum est, sed*

sed pro contumelia illa plus debet reddere, quàm abstulit.

102. Resp. conc. maj. ne. mi. ad primam prob. propositio est vera, si obsequium fiat eadem cognitione, eodemque conatu, non si majore, dictum enim fuit, peccatum, in quo consistit recessus à Deo, non desumere suam gravitatem à dignitate personæ, nisi juxta mensuram cognitionis, conatus, aliarumque circumstantiarum, quibus committitur. Quare cum creatura subdi possit Deo per obsequium factum majore cognitione & conatu &c. sequitur &c. præsertim si hujusmodi obsequia multiplicentur, in quo casu plura inferiora superiori possunt æquivalere, ut decloratum fuit. Juxta hanc doctrinam nego id, quod assumitur in secunda probatione, & ad exemplum dico, verum esse, nec à nobis negari, etiam per ordinem ad personam desumi gravitatem offensæ, attamen ex aliis capitibus limitari, ne detur in peccato tantus excessus, ut per actum charitatis æquari non possit, immo etiam excedi. De mente S. Anselmi dubium est apud Doctores, & nostra parum interest asserere, fuisse in sententia nobis opposita. Dicere tamen non prohibemur, vel id totum in nostro casu, quo majori conatu redderetur per charitatem quod per peccatum ablatum est, posse servari, vel Anselmum loquutum esse per quandam exagerationem, etenim ad condignam satisfactionem nihil ultra requiritur, nisi quod reddatur quod ablatum est ex Arist. 5. Ethic. cap. 4. Addo, per se loquendo plus bonitatis esse in charitate, quam malitiæ in peccato, charitas enim immediate est ad Deum, peccatum autem (nisi loquamur de odio Dei) tantum mediate est contra Deum.

Neque urgeas dicendo, peccatum necessario displicere Deo, charitatem vero tantum libere Deo placere; vel hominem peccando facere quod non debet, diligendo vero Deum facere quod debet, per id autem, quod alteri debemus, satisfacere minime possumus. Nam contra est; argumentum primum nimis probare, quia etiam satisfactio Christi libere tantum placuit Deo, potuisset enim illam non acceptare, & Deus ad omnia opera ad extra liber est, unde non fuisset condigna; conc. igitur ant. & nego conf. nam posito, quod Deus acceptet actum charitatis, sufficiens est in se ipso ad satisfaciendum, non quasi quod acceptatio det valorem intrinsecum, sed quia se habet ut conditio, sicut, quando agitur de merito condigno, loquuntur Theologi de Divina promissione & ordinatione. Secunda ratio excludit satisfactionem de rigore justitiæ, non vero condignam, ut dicemus, & rursus probaretur; neque pro peccato veniali condignam posse exhiberi satisfactionem.

ARTICULUS VI.

Utrum satisfactio Christi fuerit condigna & superabundans, & quomodo.

103. Omittimus errorem Pelagianorum, qui negantes peccatum originale & gratiæ necessitatem, negarunt consectarie Christum pro nobis satisfecisse, sed solum doctrina & exemplo homines docuisse, contra quos præter alia quam plurima est illud Apost. ad Rom. 3. *quem proposuit Deus propitiationem propter remissionem præcedentium delictorum* & aliud ibidem, *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*. Præterimus etiam errorem Abaylardi negantis, per Christum nos liberatos à Dæmonis jugo & servitute, qui per eosdem textus refelli potest, & contra quem egit S. Bernard. ep. 190., & Innoc. III. in rescripto ad Bernardum, ut constat ex ejusdem epist. 149. Examinandas tantum agredimur Catholicorum opiniones.

104. Et antequam ad istas progrediamur,

mur, nulla est controversia, Christi satisfactionem fuisse de condigno, & superabundantem, hoc enim apertissimis verbis traditur in Divinis Scripturis ps. 129. *Copiosa apud cum redemptio.* ad Rom. 5. *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Unde S.Leo serm. 12.de pass. domi. inquit. *Validius factum est donum libertatis, quam debitum servitutis.* Atque hoc ita asserendum est, ut non tantum satisfecerit pro culpa, sed etiam pro pœna debita peccatis, ideo ps. 68. legitur, *quæ non rapui tunc exsolvebam* & Isaiæ 53. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Quod si à potestate Dæmonis nos liberavit, ut fatentur omnes Catholici, etiam pro pœna satisfecisse, non est ambigendum, cum non alio titulo habere possit dominium, quam per pœnam exercendum. Magis hoc confirmatur, si perpendamus, mortem fuisse pœnam peccati, & hanc fuisse per Christum sublatam, juxta illud, *O' mors ero mors tua* & aliud, *absorta est mors in victoria.* Non ita, ut redempti per Christum non morerentur, nam licet potuerit hoc fieri, tamen non oportuit; Sed ita, ut in ipsa non permanerent, sed post illam ad vitam perpetuam resurgerent, convenientique tempore etiam corpore, ut recte ait Augustin. 23. de Civit. cap.4. Rursus per Christi satisfactionem januam Paradisi nobis apertam fuisse, quam quidem clausam prius fuisse, maximam peccati pœnam nullus ibit inficias. Neque ex hoc inferant Hæretici, nullam hominibus necessariam esse pœnitentiam, nullamque pro peccatis satisfactionem; etenim sic maxima Christi satisfactioni fieret injuria, cum præberetur occasio multiplicandi peccata, quo nihil magis contrarium Christi satisfacientis intentioni potest excogitari, & ita probaretur etiam contra Hæreticos neque baptisma, neque fidem ad salutem esse necessaria; Satisfecit quidem Christus pro nobis, sed tali pacto, ut illius satisfactio, si nulla in nobis esset cooperatio, nullum haberet effectum, juxta illud ad Hebr. 5. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Sed de hac re jam satis in tractatu de gratia, & alibi dictum est.

105. Hisce explicatis fit difficultas, quomodo Christi satisfactio fuerit condigna, & superabundans; Qua in re plures apud Doctores inveniuntur sententiæ. Apud Suarez duæ. Prima docet, opera Christi non habuisse ex se tantum valoris & dignitatis, sed solum ex Divina acceptatione, quia nimirum voluit Deus illa sibi offerri, & propter illa peccatorum remissionem promisit, valde tamen congruum fuisse à Deo acceptari, quod homini puro ex se non conveniebat, & hæc tribuitur Durando, Nominalibus, & pluribus Scotistis. Secunda docet, fuisse condignam & superabundantem ex proprio valore exclusa quacumque Divina acceptatione, & hæc fuit S. Th. & communior apud Theologos. Apud Mastrium tres, alia nimirum præter recensitas; docens, fuisse ab intrinseco condignam & superabundantem in actu primo, habuisse vero valorem intrinsecum in actu secundo ex Divina acceptatione, hoc est ad ponendam obligationem in Deo, ita ut, si in Christi satisfactione spectemus obligationem ex parte Dei ad remittendam offensam, hæc obligatio non posset oriri ex valore operum Christi, sed solum ex libera promissione, & acceptatione Divina, & hæc tribuitur ab ipso S. Thomæ, Scoto, Bonaventuræ, Alens. Cajet. & ferme omnibus Theologis.

106. Dicendum 1. satisfactionem Christi in actu primo fuisse condignam ex natura sua seclusa quacumque Divina acceptatione.

Prob. Illa satisfactio est de condigno ab intrinseco & ex natura sua, quæ æqualis est ab intrinseco gravitati & malitiæ peccati, sed hujusmodi est satisfactio Christi, ergo. Prob. mi. Gravitas & malitia peccati desumitur ex eo, quod sit contra Deum, satisfactio Christi desumi-

sumitur ex eo, quod sit à Deo, sed satisfactio, quæ fit à Deo, æqualis est gravitati & malitiæ, quæ est contra Deum, ergo.

Neque obstat, injuriam contra Deum esse contra Deum simpliciter, satisfactionem vero non esse à Deo simpliciter ut Deo, sed à Deo homine; nam hoc verum est, si spectetur principium *quo* operationum, seù physice, non, si principium *quod* & forma conferens valorem moralem & virtutem satisfactioni, hoc enim est persona Divina, consequenter Deus. Præterea; instantia nihil probat, nam sicut offensa illata Deo homini æqualis est formaliter offensæ illatæ Deo simpliciter Deo, ita satisfactio progrediens à Deo homine æqualis est formaliter satisfactioni, quæ esset formaliter à Deo ut Deo, si Deus simpliciter Deus posset satisfacere. Tandem, quemadmodum operationes progredientes à Deo homine, licet connotent humanitatem tanquam principium productivum, sunt ordinis Divini, seù, ut ajunt Theandrici, sicut operationes, quæ sunt à Deo simpliciter Deo, ita persona satisfaciens, licet homo, quia tamen Deus, erit in eodem ordine, in quo est simpliciter Deus.

107. Dicendum secundo. Satisfactionem Christi fuisse eodem modo in actu primo superabundantem.

Prob. hoc, per quod magis roborabitur assertio prima. Primo ex testimoniis superius laudatis, quæ, si satisfactio Christi non esset ex natura sua superabundans, nimis impròprie deberent explicari, sicut, si quis debitor centum aureorum solveret tantum decem, & acceptaretur à Creditore in plenariam solutionem, improprie diceretur plenarie solvere; Oppositum tamen à Redemptore nostro factum est, cujus exemplum dat S. Joan. Chrysost. hom. 10. in epist. ad Rom. hisce verbis: *Si quis propter debitum decem nummorum conjiciatur in carcerem, veniat autem alius, qui non solum solvat illos nummos, sed etiam innumera auri talenta largiatur, victumque in regalem aulam inducat, ita nobiscum factum est &c.*

108. Prob. secundo ratione non quidem desumpta ex capite infinitatis, nolo enim quæstionem hic promovere, utrum merita Christi fuerint infiniti valoris, sed ex alio capite sic. Plus honoris contulit Deo Christi satisfactio, quam fuerit injuriæ peccatum, ergo satisfactio Christi fuit superabundans. Prob. ant. 1. In satisfactione Christi persona satisfaciens & operans intrinsece se habet, & denominatio satisfacientis & operantis intus afficit personam satisfacientem & operantem, at in injuria per peccatum illata, persona offensa, seù Deus se habet tantum moraliter & extrinsece, sicut denominatio offensi extrinseca est, ut dictum fuit, ergo plus honoris &c. Secundo; peccatum in ratione offensæ ex dictis finitum est, ergo etiamsi satisfactio Christi finita fuisset, plus tamen contulit Deo, quam peccatum abstulerit, non enim repugnat, finitum excedi à finito; Et profecto, quis unquam per peccatum ita se erexit in Deum, sicut Christus per opera sua humiliavit se ipsum Deo factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis? Itaque &c.

109. Neque dicas, Christi satisfactionem limitari ab humanitate ne sit superabundans; nam hoc ad summum probat, limitari in esse physico non morali, cum enim actiones sint suppositorum saltem denominative, suppositum in actiones istas moraliter influit, ita ut dignitas actionis juxta prudentum hominum existimationem non desumatur à natura, sed à supposito, ut patet in genuflexione facta v. g. à Rege, & à Rustico, quæ licet eadem physice sit, moraliter tamen est inæqualis; Quare optime ait Paulus supra, *humiliavit semetipsum* non dicit, humanitatem suam, ad innuendum, virtutem humiliationis non esse ab humanitate sumendam, sed à supposito, seù ab humanitate ut existente

in

in hoc supposito; Dixi, *ad summum in esse physico, non morali*, quia etiam admisso, limitari in esse morali, inferretur tantummodo, Christi satisfactionem non fuisse infinitam, hoc autem non requiritur, ut dicatur superabundans, ut dixi in probatione.

110. Dicendum 3. Satisfactionem Christi tantum valoris habuisse in actu secundo quantum dedit intentio, & ordinatio Christi, & obligationem ex parte Dei ad remittendam offensam non esse formaliter ortam à Divina acceptatione, sed à Christi intentione; assertum hoc est præter omnes. Dixi *formaliter* nam Divinam acceptationem non excludo, immo necessariam assero, ita tamen ut se habuerit de consequenti, quatenus si Christus voluisset, operationes suas alium valorem habere in actu secundo, Deus infallibiliter acceptasset; Unde non provenisset intentio & ordinatio valoris operum Christi à Divina acceptatione, sed Divina acceptatio à Christi intentione modo tamen infra explicando.

Prob. Valor finitus in actu secundo satisfactionis Christi non fuit formaliter à Divina acceptatione, sed à Christi intentione, ergo tantum habuit valoris satisfactio Christi in actu secundo quantum dedit intentio Christi; Prob. ant. Si Christus voluisset, satisfactionem suam esse tantum pro centum hominibus, vel si voluisset tali pacto, ut nullum opus adultorum ad salutem esset necessarium, satisfactio Christi fuisset tantum pro centum hominibus, & sine aliquo proprio opere salvi fierent adulti, ac posita hac Christi voluntate Deus infallibiliter acceptasset, ita ut eorum salus non esset formaliter à Divina acceptatione, sed à Christi intentione, quæ Divinæ acceptationi præsupponeretur, ergo.

Confir. Non ideo Christus voluit, satisfactionem suam esse pro hominum redemptione, quia Dus eam acceptavit, sed ideo Deus acceptavit, quia Christus sic voluit, ergo valor satisfactionis Christi fuit formaliter à Christi intentione, & tantum de consequenti à Divina acceptatione. Verum tamen censeo, quod docent Salmantic. Joan. à S. Th. Alvar. Suarez, aliique, fuisse pactum saltem virtuale inter Deum & Christum, ut quidquid Christus offerret ad quemcumque finem, à Deo acceptaretur, quod non tollit, Christi intentionem fuisse priorem Divina acceptatione.

111. Moveor ad hoc dicendum, quia licet satisfactio Christi fuerit condigna & superabundans, non poterat tamen ferre jus legale ad obligandum Deum ex vi præcise satisfactionis, jus enim legale fundatur in aliquo accepto, atqui Deus, cum sit supremus omnium Dominus, nihil ab alio potest accipere, ergo. Constat hoc etiam in humanis, nam si Petrus v.g. ferret injuriam Paulo, esto offerret satisfactionem superabundantem, non teneretur Paulus ad illam acceptandam, & cedendum juri suo, nisi esset aliquod pactum, vel libere offensam remitteret; ratio autem eadem militat in casu nostro, nam sicut Petrus supponitur non superior Paulo, ita Christus non est superior Deo, ergo sicut &c.

Pactum autem inter Deum & Christum revera fuisse, evinci potest ex variis Scripturæ locis, præsertim Isaiæ 53. ubi legitur. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*. Et cap. 49. *Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas &c.* Ex alia parte fuit à Christo acceptatum, *ipse enim pertulit peccata nostra in corpore suo*. 1. Petri 2. & ad Hebr. 10. *Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam*.

112. Neque valet dicere, in rebus fortunæ ac famæ obligari personam læsam ad acceptandam satisfactionem nullo præsupposito pacto, nam si Petrus debeat centum Paulo, & reddat centum, non habet amplius Paulus jus ad quid

quid aliud exigendum, & si Petrus famam Pauli deturpavit, & hæc reintegretur, alia restitutio secluso quocumque pacto non est necessaria, ergo à pari: non valet inquam, cum sit magna disparitas inter restitutionem pro bonis fortunæ, & famæ, & satisfactionem pro honore læso ab ipso offendente, contrarium vero contingit, quando quis per contumeliam, & injuriam deprimitur, sicut in casu nostro; Sed quidquid sit de hac re, contra nos nihil evincitur, quia à fortiori tenet conclusio nostra, si dicamus, Deum debuisse acceptare satisfactionem Christi, etiamsi nullum præcesserit pactum.

113. Opp. 1. contra primam assertionem; Suppositum Divini Verbi non est principium *quod* operationum Christi, ergo satisfactio Christi non fuit ab intrinseco condigna. Prob. ant. Suppositum Divini Verbi ita concurrit ad operationes Christi, sicut concurrit tota Trinitas, sed hæc non est principium *quod* operationum Christi, ergo. Maj. patet, quia operationes ad extra communes sunt toti Trinitati. Confir. Si suppositum Divini Verbi esset &c. passio & mors ejusdem fuissent superfluæ, sed hoc non est dicendum, ergo. Prob. maj. Si &c. Christus satisfecisset per primum opus, sed ita passio & mors &c. ergo. Maj. constat, quia primum opus tantæ dignitatis fuisset, quanta quibuscumque operibus tribui potest.

Resp. ne. ant. ad prob. vera est propositio in sensu physico, & ut causa universali, non moraliter, & ut causa particulari; Quemadmodum enim suppositum Verbi Divini terminat humanitatem, non sic terminat suppositum Patris vel Spiritus Sancti, ita diverso modo suppositum Verbi Divini est principium *quod* operationum Christi, ac sit tota Trinitas; Cum enim actiones sint saltem moraliter suppositorum, suppositum Verbi erit principium *quod* operationum, quod non erit tota Trinitas. Ad confir. ne. maj. ad prob. dis. maj. per primum opus, si hoc fuisset à Christo directum ad satisfaciendum conc. si non fuisset directum nego. Christus autem cum non direxerit alia opera ad satisfaciendum, nisi ut per passionem mortemque suam complenda, sequitur, hanc superfluam non fuisse.

114. Opp. 2. Satisfactio Christi non ita placuit Deo, sicut displicuit peccatum, ergo non fuit condigna saltem ab intrinseco. Prob. ant. 1. Peccatum displicet Deo, quantum ei placet propria bonitas, sed non placuit Christi satisfactio, quantum placet propria bonitas, ergo. Maj. ostenditur, nam peccatum affectu destruit Divinam bonitatem, tantum autem displicet destructio boni, quantum placet bonum, quod destruitur; Minor etiam, quia satisfactio Christi libere placuit Deo, sua autem bonitas placet necessario; ex quo sic probatur 2. illud primum antecedens. Peccatum displicet Deo necessario, satisfactio Christi placuit libere, ergo satisfactio Christi non ita placuit Deo, sicut displicuit peccatum.

Resp. ne. ant. ad prob. ne. maj. bonitas enim Divina convenit Deo physice & intrinsece, peccatum vero est contra Deum solum moraliter & extrinsece, destruens Deum tantum affective, & in affectu contrario superavit Christi voluntas omnes alias pravas voluntates, magis amans Deum, quam odio habuerint, vel habere possint omnes peccatores; Quare ad prob. hæc est vera, si destructivum boni & bonum sint in eadem linea, non si è contra, ut in casu nostro. Ad secundam prob. primi antecedentis, hoc transmisso conc. non tenet, sed solum probat, Deum non teneri ad acceptandam Christi satisfactionem, quod non infert, non fuisse condignam, sicuti, licet pretium oblatum sit æquale rei, pro qua offertur, potest Dominus rei illud non acceptare, si nolit rem vendere; Quapropter valor non dependet ab acceptatione, sed illi præsupponitur; Hoc etiam ostenditur exemplo; Rex v.g. percutiat

cutiat Regem, injuria necessario in hominum existimatione displicet Regi, deinde Rex, qui percussit, pro percusso Rege vitam exponat, libere tantum hæc satisfactio placet, quia posset respui, & tamen esset satisfactio condigna, ergo à pari; Præterea argumentum nimis probat, ut alibi dictum fuit. Sed quid dicerent, si negarem antecedens transmissum? Et tamen negari quid prohibet? nam sicuti suppositum Divini Verbi necessario placet Deo, ita necessario placet satisfactio ut progrediens à tali supposito; Placuit quidem libere in radice, & nullo supposito pacto, sicuti liberum fuit Deo unire suppositum Verbi naturæ humanæ, & pactum illud cum Christo statuere; formaliter tamen, eoque pacto supposito placuit necessario. Neque dicas, Deum erga opera ad extra nullam necessitatem habere, nam hoc verum est radicaliter, nulloque pacto interjecto, vel verum est de operibus, quæ sint à pura creatura, non de illis, quæ sint ab homine Deo, ut sunt opera Christi.

115. Opp. 3. Christus ut homo non potuit reddere æquale pro beneficiis acceptis ab humanitate sua, ergo multo minus potuit reddere æquale pro alieno peccato; ant. ostenditur ex communi illo 8. Ethic. 13. *Diis, Parentibus, & Magistris nunquam satis*. 2. Hoc ipsum, quo redderet æquale pro beneficiis acceptis, inferret, non posse reddi æquale pro alieno peccato, etenim primo titulo exhauriretur totus valor operum Christi. 3. Plus est malitiæ in offensa, quam bonitatis in Christi satisfactione, & prob. plus boni est carentia peccati, quàm sit unio hypostatica, si quis enim posset eligere vel peccati carentiam, aut unionem hipostaticam, illam deberet eligere, ergo quia plus est malitiæ in offensa, quàm bonitatis sit &c. conf. tenet, quia si major est bonitas in uno contradictorio, major est malitia in alio extremo contradictorio.

Resp. argumentum primum jam rejectum esse in antec. & certe Christus ex gratitudine perfecte satisfecit, cum dederit æquale, & plus dedisset, si plus dari potuisset; Quod si ipsa gratiarum actio censetur novum beneficium collatum Christi humanitati, hoc non officit, nam unicus actus Christi sufficiens erat pro omnibus beneficiis tam præteritis, quàm præsentibus, & futuris, & ipsa gratiarum actio respiciebat implicite se ipsam tanquam objectum, sicuti qui vult per charitatem Deo omne bonum, vult etiam implicite ipsum actum charitatis. Dictum illud Arist. valet in sensu formali, non æquivalente, & tenet inter puras creaturas, nam certè nec Deo possumus tribuere esse, & conservationem, nec parentibus vitam, nec Magistris, ut Magistris, doctrinam, quamvis tamen aliunde saltem in affectu reddere possimus æquale. Ad 2. eadem res potest pluribus titulis satisfacere, si ad eorumdem satisfactionem dirigatur, præsertim si exhauriatur quidem intensive, non extensive, ut in re nostra. Ad 3. ne. ant. ad prob. pariter, ad prob. conc. ant. ne. conf. non enim anteced. est verum, quia major bonitas sit in carentia peccati quàm in unione hipostatica, sed quia carentia peccati est bonum debitum, unio hipostatica est bonum indebitum. Cœterum, sicut non tam placet Deo homo carens peccato, quam homo justus, ita non tam placet carentia peccati, quam placeat Christi satisfactio.

116. Opp. 4. Ut satisfactio Christi esset ab intrinseco condigna, deberet Christus infinite Deum excedere in dignitate, sed hoc fieri non potest, ergo. Prob. maj. Qui peccavit in Deum infinite distat à Deo, ergo qui satisfacit Deo, ut condigne satisfaciat, debet infinite Deum excedere, ut servetur proportio. Præterea; Per peccatum summe dignus subditur summe indigno, per satisfactionem vero Christi summe dignus subditur summe digno, sed plus est, summe dignum subdi summe indigno, quam summe dignum subdi summe digno, ergo

ergo quid plus est in peccato, quàm in Christi satisfactione. Rursus. Si Christus peccasset, non potuisset de condigno satisfacere pro peccato proprio, ergo neque potuit pro alieno.

Resp. argumentum corruere, si revocentur ea quæ dicta sunt in anteced. non enim attendenda est satisfactio penes distantiam inter personam satisfacientem & offensam, sed inter injuriam & satisfactionem; nihilominus ne. maj. ad prob. conc. ant. dis. cons. si aliunde non habeatur compensatio & proportio conc. si aliunde habeatur ne. cons. habetur autem hæc compensatio & proportio, ex quo multo magis suppositum Verbi det valorem operibus & Christi satisfactioni, quàm persona offensa tribuat gravitatem offensæ, ut dictum fuit in prob. præsertim quod ut servetur proportio æqualitatis, sicut per peccatum homo depressit Deum infra hominem, ita Christus per satisfactionem se ipsum depressit infra hominem, juxta illud *opprobrium hominum, & abjectio plebis*. Per hoc patet ad 2. distinguendo maj. sed etiam ea transmissa, minor est vera, si cœtera sint paria, non si è contra. Hoc autem contingit in casu; per peccatum enim summe dignus subditur summe indigno solum moraliter & affective, è contrario in Christi satisfactione summe dignus subditur summe digno effective & physice per actus sibi physice unitos, & ab ipso physice saltem denominative progredientes, proinde &c. Ad 3. In primis plus requiritur ad satisfaciendum pro peccato proprio, quam pro alieno, nam in primo casu quis esset peccator, & nihil posset de condigno promereri, ideo neque satisfacere. Secundo dico, tunc Christum non futurum amplius Christum, quia destrueretur unio hipostatica, licet enim hæc componi possit juxta Scotistas cum facultate remota peccandi, non potest tamen componi cum peccato, quare dato uno impossibili sequitur quodcumque aliud, ut ajunt Philosophi.

117. Sed dices. Si quis, peccando, existimaret Deum destruere in re, & hoc animo & motivo peccaret, hujusmodi offensa excederet valorem satisfactionis Christi, siquidem hæc non tanti valet, quanti bonitas Dei in se, utpote infinita in tota entis plenitudine, ergo saltem pro hujusmodi peccato Christus non satisfecit de condigno. Sed contra; admissa hac suppositione, quam fieri non posse arbitror, adhuc offensa non excederet valorem satisfactionis Christi; licet enim Divina bonitas in se pluris valeat, quàm satisfactio Christi, illa tamen non potest communicare majorem gravitatem offensæ, nisi in re destruatur, per hoc quod destruibilis existimetur, quod ostenditur exemplo. Si quis peccaret in creaturam, existimando, illam esse infinitam & indestruibilem, non per hoc offensa fieret major, quia creatura in se est finita & destruibilis, ergo à pari; immo dico, in data hypothesi peccatum in ratione offensæ futurum minus, nam cum hoc crescat geometrice juxta dignitatem personæ, & tunc dignitas Dei æstimaretur minor, minor etiam fieret offensa.

118. Opp. 5. contra satisfactionis superabundantiam. Nihil est satisfactioni Christi concedendum, quod sit deordinatum, sed, si fuisset satisfactio superabundans, fuisset deordinata, ergo. Prob. mi. 1. Si &c. Christus plus potuisset satisfacere, quam Deus remittere, sed hoc deordinatum est, ergo. 2. Si &c. plus esset ex parte medii, quam requireretur ad finem, finis enim fuit reparatio nostra, propter quam satisfactio tanquam medium fuisset excedens, sed ponere ex parte medii plusquam requiratur ad finem, deordinatum est, ergo. 3. Si &c. Deus illam non potuisset exigere saltem ex justitia, creditor enim non potest exigere ultra id, quod alter debet, sed hoc non est dicendum, ergo. Tandem; Si &c. Christus potuisset plus mereri, quam Deus remunerari, Christi namque satisfactio fuisset supra æternam

nam

nam gloriam, sed hoc non, cum Deus sit summe liberalis, & largiatur præmium ultra condignum, ergo.

Resp. conc. maj. ne.mi. ad primam prob. dis. maj. quam Deus remittere ex defectu termini, cui fiat remissio conc. maj. ex defectu Dei ne.maj. sic distincta min. ne.cons. Quod enim Deus remittere nequeat quantum Christi exigeret satisfactio, oritur, quia impossibilis est offensa à Deo remittenda, quæ valorem satisfactionis exæquet, in quo nihil est deordinati, cum non posse impossibile, non inferat imperfectionem in agente, sed solum repugnantiam in termino. Ad 2. trans. maj. dis. mi. ponere ex parte medii plusquam requiratur ad finem, deordinatum est, si finis possit obtineri per minus conc. si non possit, ne. mi. & cons. Res ita se habet in casu nostro; Voluit Christus per satisfactionem suam nos reparare, aliter non poterat nisi per satisfactionem superabundantem, dum ab ipso progredi non poterat satisfactio condigna, quin simul & indivisim esset superabundans, non igitur adhibitum est medium deordinatum, cum posito decreto non acceptandi aliam satisfactionem, nisi quam Christus exhiberet, medium aliud non inveniretur; Juxta hanc doctrinam solvitur, quod tertio opponebatur, distinguendo maj. Si &c. Deus illam non potuisset exigere, si potuisset dividi condignitas à superabundantia conc. si non posset dividi, & Christus sciens, & volens factus est fidejussor ne. maj. trans. mi. ne. cons. Posito, quod Christus voluerit pro peccatis nostris satisfacere, debuit satisfacere de condigno, ut poterat, non poterat nisi superabundanter, ergo; atque ita factum est, ut Deus justissime posset superabundantem satisfactionem exigere. Hoc patet exemplo; Si quis furetur nummum argenteum, & non habeat ad restituendum, nisi nummum aureum excedentis valoris, hic tenetur ad dandum nummum aureum pro argenteo, & ille, cui ablatus fuit argenteus, potest ex justitia aureum exigere, ut omnes docent; ita in re nostra, si æqua lance perpendatur. Ad ultimum; confunditur satisfactio cum merito Christi, cum tamen diversum sit utriusque correlativum; præmium enim correspondens merito Christi magis extenditur, quam debitum correspondens ejusdem satisfactioni, hoc siquidem est debitum peccati, quod solum est in ordine creato, è contra præmium correspondens merito Christi posset etiam esse aliquid in ordine increato, ut esset unio alterius Divinæ personæ, si ad hanc fuisset à Christo directum. Sed, cum argumentum hoc versetur circa merita Christi, alium sibi postulat locum.

Prætereo argumenta illa, quibus probatur, Christi satisfactionem non fuisse infinitam, etenim nos non probavimus satisfactionis superabundantiam ex ejusdem infinitate, ideo &c.

ARTICULUS VII.

Utrum satisfactio Christi fuerit ex toto rigore justitiæ.

119. ETSI satisfactio Christi fuerit ex dictis condigna, immo & superabundans, attamen fuisse ex toto rigore justitiæ haudquaquam probatur, cum ad satisfactionem in priori sensu aliud non requiratur nisi æqualitas & excessus inter datum & acceptum, ablatum & restitutum, honorem & offensam, è contra ad satisfactionem in sensu posteriori plures servari debeant conditiones.

120. Prima conditio est, satisfactionem non dependere, nec originem ducere à gratia creditoris, quo enim crescit unius gratia, eo minuitur justitia, juxta illud Apost. ad Rom. 11. *Si autem gratia non ex operibus*. Secunda est, esse ad alterum; quemadmodum enim nemo proprie sibi ipsi facit injuriam, ita nemo sibi ipsi reddit honorem & satisfactionem. Tertia est, faciendam esse ex

ex bonis propriis, etenim per id, quod est sub alterius dominio tanquam in re, & non solum cum jure ad rem, non potest alteri debitum solvi. Quarta est, oblatum pro satisfactione aliis titulis non esse debitum, si quis enim debeat centum titulo furti, & centum titulo mutui, solvendo centum, adhuc debet alia centum; Duas alias conditiones recensent aliqui Doctores, nimirum, satisfactionem esse à persona offendente, & personam offensam teneri ad eam acceptandam. Perpendendum itaque est in re nostra, utrum omnes conditiones istæ fuerint in Christi satisfactione completæ.

121. Affirmativam sententiam sustinent Thomistæ omnes cum S. Th. in 3. dis. 20. qu. 1. & hic art. 2. ad 2. Sot. Medina, Suarez, Valentia, Hurtad. Arriaga, Puteobonellus; Negativam vero omnes Scotistæ, præter Pontium, cum Scoto in 3. dis. 19. & 20. quibus adhærent Nominales, plurésque Recentiores, Vasquez, Molina, Lugus, Aversa, Cacheranus, eo tamen principio ductus, quo negat, justitiam perfectam & strictam versari posse inter Deum & creaturam, quam difficultatem non est hujusce loci resolvere. Quid à nobis sentiendum sit, colligetur ex quo statuemus, utrum omnes dictæ conditiones servatæ sint, nec ne.

122. Et primo, si sermo sit de alteritate, dico, hanc sufficienter fuisse servatam, quod probo. Licet in Christo per respectum ad Deum non sit alteritas propter naturam Divinam, attamen est propter naturam humanam, cui correspondent propria voluntas, propriæque operationes, sed alteritas in natura & voluntate sufficit justitiæ rigori, ergo. Prob. mi. 1. Non plus requiritur ad satisfaciendum alteri, quam ad alteri obediendum, illumque honore prosequendum, sed alteritas in natura, & voluntate sufficit ad alteri obediendum &c. ergo etiam sufficit ad &c. mi. patet in Christo, qui ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*, quique de se ipso dixit Joan. 8. *Honorifico Patrem meum*. 2. Illa alteritas sufficit, quæ servat diversum jus, diversamque potestatem, sed alteritas in natura & voluntate servat diversum jus &c. ergo. Denique dici potest, servari etiam alteritatem in supposito, quantum exigit rigor justitiæ; Quamvis enim suppositum Verbi Divini, ut in natura Divina, non sit diversum re à supposito ejusdem Verbi, ut in natura humana, est tamen diversum virtute, sed hæc virtualis alteritas sufficit ad satisfaciendum ex rigore justitiæ, ergo. Prob. mi. Si quis v. g. sit tutor pupilli, & creditor, est tantum virtute diversus, & tamen potest sibi ut creditori ex rigore justitiæ satisfacere, ergo alteritas illa virtualis sufficit ad &c. Atque ex hoc constat, quomodo idem Verbum Divinum fuerit creditor, & debitor, offendens & satisfaciens, & se ipsum sibi ipsi obtulerit, juxta illud Alberti Magni: *Ipse est exhibens, ipse recipiens*. Juxta igitur hanc conditionem, si aliud non obesset, dici posset satisfactio Christi ex rigore justitiæ.

123. Obstat ne alia conditio, quod satisfactio non dependeat à gratia creditoris? Videtur affirmative sentiendum, quod sic probo. Christus satisfecit per opera procedentia ex gratia unionis, & auxiliis Dei, quæ liberè à Deo collata sunt huic homini Christo, sed sic non fuit servata dicta conditio, ergo. Hoc clarius sic promoveo. Christus pro nobis meruit, & satisfecit in quantum homo, & quamvis satisfecerit ut homo Deus, attamen illa propositio sine aliquo addito concedi debet, & traditur ab omnibus Sanctis Patribus, sed ut homo meruit & satisfecit ex acceptis, & ex gratia creditoris, ergo.

124. Dices, hoc verum esse, si per ly *homo* intelligatur natura humana, non ita, si intelligatur suppositum; sic enim gratia unionis, & alia auxilia actualia collata fuerunt humanitati, non supposito, quia hoc erat Divinum, quod nullam

dam gratiam accipere poterat; aliis terminis gratia unionis convenit principio *quo* non principio *quod*, valor autem satisfactionis ab isto, non ab illo desumitur, & ideo actiones sunt suppositorum; Hæc est communis Thomistarum responsio.

Sed contra: conc. ly *ut homo* intelligendum esse de natura humana, sed licet gratia unionis facta sit humanitati, non supposito, nihilominus principium formale satisfactionis liberæ non fuit suppositum, sed humanitatis, atqui in satisfactione præcipue spectari debet principium liberum, ergo præcipue spectari debet humanitas, sed ita satisfactio fuit ex gratia creditoris, ergo; & quamvis valor satisfactionis Christi procedat à supposito Christi, tamen quod ab eo procederet, ut à supposito humanitatis, haberi tantum potuit à gratia unionis, quæ gratis & liberaliter data fuit.

125. Aliter proinde respondet Suarez dicens, non semper gratiam creditoris auferre rigorem justitiæ, sed tunc solummodo, quando gratia datur eo fine, ut alius per eam satisfaciat, & quando solutio fit ex ipsa re, quæ à creditore donatur, non vero si ex aliis, quæ sequenti tempore propria comparantur industria; Unde si quis acceperit centum à Paulo, cui centum debet, si ex centum acceptis lucretur alia centum, potest per hæc ex perfecta justitia Paulo satisfacere; Tandem gratia debet conferri eidem, qui debet satisfacere. Porro in Christi satisfactione attendendum est, non reperiri primum, quia gratia unionis non est collata humanitati eo fine primario, ut pro peccatis satisfaceret, sed ut Divina bonitas communicaretur, & ideo etiam Adamo non peccante fuisset prædicta unio; neque secundum, nam Christus non satisfecit formaliter per gratiam unionis, sed per labores & fructus proprio labore, & conatu comparatos, non denique tertium, nam gratia unionis non est facta huic homini Christo, qui satisfecit, sed humanitati, quæ non satisfecit.

126. Sed neque hujusmodi responsio satis placet; non tenet primum, quia licet gratia unionis secundum sui substantiam non fuerit formaliter & primario collata ad solvendum debitum, fuit tamen sic collata virtualiter & secundario, si vero consideretur juxta modum, quo peracta est, fuit formaliter & primario collata ad debitum solvendum, cum peracta sit in carne passibili in remedium peccati. Quare si Adam non peccasset, fuisset quidem illa, sed diverso modo, ut dicemus. Præterea in aliorum sententia falsum dicitur à Suarez. Non tenet secundum, nam transmisso, Christum formaliter non satisfecisse per gratiam unionis, negari tamen non potest, id factum esse tanquam à fonte totius meriti Christi; Hoc dico, quia Mastrius male argumentatur, dum dicit, id esse causam causati quod est causa causæ, nam hoc dici non potest, nisi in radice & remote, ut notum est. Porro labores fructusque Christi non fuerunt ex industria conatuque propriis, sed ex gratia auxiliisque Dei; Propter hoc exemplum adductum nihil probat, immo ex illo sic argumentum propono. Si quis daret centum, ut ex illis alius lucraretur, si ad tale lucrum quis concursum auxiliumque præberet, non posset ex lucro habitis alius satisfacere ex rigore justitiæ, præsertim si esset concursus indivisibilis, sed Deus ad opera Christi auxilium suum, concursumque præbuit, & quidem indivisibilem saltem ex parte effectus, ergo Christus per sua opera non potuit &c. Non tenet tertium, & jam superius rejectum est. Sed res utcumque se habeat; Satisfactio ex rigore justitiæ est perfectissima satisfactio, sed illa, quæ excludit quamcumque gratiam creditoris, perfectior est illa, quæ non excludit, quia gratia creditoris esset saltem conditio *sine qua non* per respectum ad alia, ergo satisfactio ex rigore justitiæ etiam istam exclu-

dit, licet formaliter non sit ad satisfaciendum.

127. Sit tamen quod usque modo diximus, argumentum insufficiens, occurrit alia conditio, idest, non fieri satisfactionem ex iis, quæ sub dominio sunt creditoris, quam certe in Christi satisfactione non defuisse, nullo pacto possum concedere; & sic brevissime demonstro. Opera, per quæ Christus satisfecit, erant quid creatum, nec enim in principio increato reperiri potest vis satisfaciendi, quia satisfaceret alteri increato, & sic daretur increatum increati, sed omne creatum est sub perfecto dominio Dei, ergo opera, per quæ Christus satisfecit, erant sub perfecto dominio Dei, ideo &c.

128. Respondent Thomistæ, ut supra, satisfactionem Christi fuisse per opera Divini suppositi, proinde per opera existentia sub dominio ejusdem suppositi; sed hoc jam rejectum fuit, & sic ulterius refellitur. Vel erant opera Divini suppositi, ut existentis in natura Divina, & hoc dici non potest, vel existentis in natura humana, & tunc semper verum est, fuisse opera creata, proinde sub dominio Divino, in quo sensu dicit Apostolus: *Vos Christi, Christus autem Dei*. Et quamvis etiam admitteretur, valorem habitum à Divino supposito esse aliquid infinitum, semper tamen est in linea creata, & redit argumentum.

129. Respondet Suarez. Christum satisfecisse per opera, quæ revera erant sub dominio Dei, attamen hoc justitiæ rigorem non impedire, quia satisfactio confundi non debet cum restitutione; hæc siquidem versatur inter data, & accepta, illa vero in actione consistit, per quam tantum honoris tribuatur personæ offensæ, quantum fuit illatum injuriæ, & hæc actio fieri potest per operationem, quæ sit sub dominio creditoris, seù offensi.

Sed contra. In primis hujusmodi responsio eam conditionem non servat, quæ juxta omnes servari debet, sed negat illam esse necessariam, unde quæstio finita est; deinde à pari sic argumentor. Restitutio, quæ versatur inter datum & acceptum, non potest ex justitia fieri per rem existentem sub alterius dominio, ergo neque satisfactio, quæ consistit in actione, fieri potest per actionem existentem sub alterius dominio. Tandem, falsum principium assumitur, quo distinguitur satisfactio à restitutione, nam in ea linea, in qua est satisfactio, est etiam restitutio, si est in re, est restitutio in re, si in honore, est restitutio in honore, satisfacere enim alteri, est illum priori statui restituere, & si de honore agimus, est illi pristinum honorem referre, sed nemo potest honorem alteri dare per id, quod est alterius, ergo.

130. Respondet Arriaga. Valorem operum Christi fuisse ipsius Dei, materiam tamen hujus valoris fuisse Christi, quia sub ipsius potestate erat operari, vel non operari, proinde satisfecit ex propriis, quia, si operatus non esset, ut potuisset, nulla fuisset satisfactio. Hoc ostendit exemplo. Valor pecuniæ est formaliter à Principe, si quis tamen præbeat Principi materiam, ex qua cudatur pecunia, per hanc ex propriis Principi ex justitia satisfacit, ergo à pari, licet valor operum Christi fuerit Dei, quia tamen materia hujus valoris fuit Christi, per hanc &c. Ad hoc revocatur aliorum responsio, qui dicunt, Christum satisfecisse libere, ergo per actiones existentes sub proprio dominio, Christus enim erat Dominus suorum actuum.

Sed contra; admitto responsionem, sed dico, materiam hujus valoris, seù operationes Christi ita fuisse sub potestate, & dominio Christi, ut tamen fuerit dominium Deo subordinatum, & quamvis Christus potuerit operari, vel non operari, attamen operando, non poterat suam operationem Dei dominio subtrahere, sicut ancilla potest parere, vel non parere, si tamen pariat, partus est Domini; Quare ipsa libertas Christi, ipsud-

ipſudque dominium erat ſub dominio Dei. Hinc facile ſolvitur exemplum illud, nam valor pecuniæ eſt Principis, materia autem, cui valor imponitur, eſt dantis illam, nihil ergo mirum, ſi per illam ſatisfacere poteſt, at non ſic in re noſtra, ut dictum fuit.

131 Dices. Sed res ita ſe habet in caſu noſtro; Prob. Dominium, quod habet Deus circa res creatas, eſt dominium univerſale, ſeù, ut vocant, altum, ſicut dominium, quod habet Princeps in res ſubditi, dominium vero Chriſti circa operationes ſuas, eſt dominium privatum, ſeù, ut ajunt, baſſum, ſicut dominium, quod habet ſubditus, ergo ſi ſubditus per dominium privatum poteſt Principi ex juſtitia ſatisfacere, etiam Chriſtus Deo.

Sed contra: ne. ſub. ad prob. diverſo modo eſt dominium altum Dei, ac dominium Principis, nam hoc eſt imperfectum & limitatum, nec abſorbet ipſum dominium privatum, ſed ſolum in caſu urgentis neceſſitatis, è contra illud perfectiſſimum eſt, nec ſeparari poteſt à quocumque particulari privatoque dominio, nec à Deo aliquo pacto poteſt dimitti.

132. Reſpondent tandem aliqui Recentiores, opera Chriſti juxta entitatem phyſicam non fuiſſe propria Chriſti, fuiſſe tamen ſecundum dignitatem, quam recipiebant à ſuppoſito Verbi, quod ſolum terminabat humanitatem. Verum hæc reſponſio prorſus rejicienda eſt, ne dicam, damnanda, nam ſic admittitur aliquod dominium in Verbo, quod non admittitur in Patre, & Spiritu Sancto; nec valet ratio, nam terminavit quidem Verbum humanitatem, quam nec terminavit Pater, nec Spiritus Sanctus; ſed dominium non ſtat penes perſonalitatem, ſed penes voluntatem; Quare, dominium Chriſti ratione ſuppoſiti fuit vel penes voluntatem humanam, vel Divinam; ſi penes Divinam, cum hæc ſit communis toti Trinitati, etiam tale dominium fuit toti Trinitati commune, ſi penes humanam, jam hoc dominium, utpote creatum, erat ſub dominio Dei, & ſic ſemper ſubſiſtit, nihil fuiſſe in Chriſto, quod non eſſet ſub dominio Dei, ergo per nihil potuiſſe ex rigore juſtitiæ ſatiſfacere. Hæc eſt ea conditio, quæ potiſſimum ad negandam Chriſto ſtrictam ſatisfactionem me impellit, & quod de ſatiſfactione dico, etiam de merito affirmo.

133. Supervacaneum igitur eſt ad alias conditiones examinandas deveniamus, præſertim cum à pluribus gravioris notæ Doctoribus tanquam neceſſariæ rejiciantur, & potius deberemus probare illarum neceſſitatem, quam quod à Chriſto ſervatæ non fuerint; Certum enim eſt, neque ſatisfactionem oblatam eſſe ab ipſa perſona offendente, neque Deum abſolute debuiſſe Chriſti ſatisfactionem acceptare, ſicuti & iſtam aliis titulis, puta gratitudinis, obedientiæ, Religionis, fuiſſe debitam.

ARTICULUS VIII.

Refelluntur argumenta contraria.

134. PLura ſunt expoſita, & rejecta, quæ contra noſtrum ſtatutum aſſertum opponi poſſunt, majoris tamen claritatis cauſa uberioriſque doctrinæ alia ſubdenda ſuperſunt. Primo Chriſtum ſatisfeciſſe ex toto juſtitiæ rigore magis conſonum eſt Scripturæ & Patribus, ergo ita dicendum. Ad antecedentis probationem primo Scripturas afferamus; Ecce, 1. ad Corint. 1. *Factus eſt nobis juſtitia, ſanctificatio, & redemptio*. Ad Roman. 3. *Quem propoſuit propitiationem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ*. Ad Coloſ. 2. *Delens, quod adverſus nos erat Chirographum, & expolians Principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans &c.* Secundo producamus Sanctos Patres; extat autem in hac re teſtimonium Procli Ciziceni in hom. de Na-

Nativit. apud Concil. Ephes. Tom. 6. cap. 7. ubi sic. *Necessarium erat, ut in ejusmodi pretium penderetur, quod exactum debitum adamussim justitiæ exæquaret.* Sed præ omnibus Patribus sit Sanct. August. qui in Ench. cap. 49. hæc habet. *Ut diabolus veritate justitiæ, non violentia potestatis oppressus, & victus, quoniam ipsum sine ullo peccati merito iniquissime occiderat, per ipsum justissime amitteret quos peccati merito detinebat.* Et 13. de Trin. cap. 14. *Diabolus non potentia Dei, sed justitia superandus erat.* Quæ auctoritates, aliæque similes ex energia, & exaltatione, quæ tribuitur Christi satisfactioni, de justitia juxta strictissimum sensum sunt intelligendæ. Omissus est alius Scripturæ textus ad Rom. 5. *Sicut per unius delictum, ita per unius justitiam*, ut sic argumentari liceret. Ex toto rigore justitiæ peccatores damnantur propter Adæ peccatum, ergo multo magis ex toto rigore justitiæ peccatores redimuntur propter Christi satisfactionem, non enim, *sicut delictum, ita & donum, sed multo majus donum, quam delictum*, prosequitur idem Apostolus.

135. Resp. ne. ant. ad prob. conc. ant. ne. conf. ibi enim mentio est justitiæ, non tamen justitiæ ex rigore, ad quod clarius explicandum, sciendum est, quod sicuti aliud est meritum congruum, quod non est æquale præmio in valore & dignitate, sed in eo, quod deficit supplet liberalitas retribuentis, aliud condignum, quod est æquale præmio, & accedente promissione oritur obligatio in retribuente ex justitia propria dicta, ut distincta à justitia communiter & metaphorice appellata, prout convenit Divinæ sanctitati, fidelitati, & gratitudini, aliud tandem meritum de rigore justitię, quod non solum est ęquale præmio, vel etiam excedens, sed etiam est ex propriis bonis merentis cum aliis conditionibus superius recensitis, ita etiam datur triplex satisfactio, quæ eodem modo est explicanda. Hoc posito, auctoritates Scripturæ & Patrum procedunt de Christo, qui factus est justitia & redemptio pro peccatis nostris condigna & superabunda, ut dictum fuit, non tamen justitia & redemptio juxta conditiones requisitas ad rigorem justitiæ, uti probatum fuit; Servatur autem energica dicendi vis in Scripturis & Patribus per hoc, quod licet satisfactio Christi non fuerit ex toto rigore justitiæ, fuit tamen ita condigna & superabundans, ut nulla alia dignior, aut major dari potuerit; Argumento desumpto ex alia auctoritate respondeo concedendo ant. negando consequentiam, nam, ut peccator ex rigore justitiæ damnetur, nihil aliud requiritur præter peccatum, nec aliæ conditiones exiguntur; ratio autem est, quia demeritum & offensa in Deum est à solo homine, satisfactio autem est à Dei gratia, & fit per bona dominio Dei perfecte subjecta. Fuit ergo majus donum, quam delictum, quia donum fuit superabundans, non fuit tamen majus quantum ad satisfaciendum ex toto rigore justitiæ, quia hoc fuit impossibile: antecedens tamen concessum per Vasquez, pluresque alios est falsum, cum negent, peccatum esse proprie injustitiam Deo factam.

136. Opp. 2. Satisfactio Christi fuit condigna & superabundans, ergo fuit etiam ex toto rigore justitiæ. Prob. conseq. 1. Si satisfactio non fiat ad alterum, si fiat ex acceptis, & bonis existentibus sub alieno dominio non est condigna, & superabundans, ergo si satisfactio Christi &c. 2. Satisfactio ex toto rigore justitiæ nihil plus exigit, quam quod reddatur quantum ablatum est, sed, si satisfactio Christi fuit condigna & superabundans, redditum fuit Deo quantum ablatum erat, ergo si &c.

Resp. conc. ant. ne. conf. ad primam prob. conc. primam partem, nego alias, & hoc constat in merito condigno, nam licet meritum hoc haberi nequeat sine gratia Dei, nihilominus est con-

condignum, quin sit ex toto rigore, ergo falsum est, id requiri ad condignitatem & superabundantiam, quod requiritur ad justitiæ rigorem, & si hoc velint, nõn esset cur Doctores conditiones illas instituissent ad distinguendas satisfactiones in condignam, & in strictam ex rigore justitiæ; & sic quæstio hæc esset de puro nomine, & omnino superflua, nam semel statuto, satisfactionem Christi fuisse condignam, esset etiam stabilitum fuisse ex rigore justitiæ. Ad 2. prob. ne. maj. nam ultra æqualitatem, quæ reddi debet, servandæ sunt aliæ conditiones &c.

137. Opp.3. Meritum Christi, proinde etiam satisfactio, est majoris dignitatis & ordinis, quàm meritum cujuscumque creaturæ, ergo in merito Christi non reperitur aliqua gratia creditoris, nec aliquid supplens ejus defectum; Demus tamen, in ejus satisfactione fuisse Dei liberalitatem, adhuc nihil probatur, nam justitia stricta reperiri potest etiam quando jus habetur ex liberalitate retribuentis, ut constat in donatione, per quam dominium transfertur in donatarium, per quod juste & ex rigore exigit donatum, ergo.

Resp. conc. ant. ne. conf. nam, non ideo meritum Christi est majoris dignitatis & ordinis, quam meritum cujuscumque creaturæ, quia fit ex rigore justitiæ, meritum enim hujusmodi repugnat, sed quia provenit à conditione dignioris personæ, & majori gratiæ plenitudine, quam gratis omnino accepit à Deo. Ad additum; argumentum illud ad summum valet in humanis, in quibus donatio transfert vere & proprie dominium accepti in donatarium, apud Deum tamen locum non habet, cum ejus donatio dominium transferre non possit, nec Deus minus est Dominus rei, postquam illam donaverit, quam antea, quia ejus dominium est sibi intrinsecum, & essentiale; dixi *ad summum in humanis* nam etiam in istis, si donatarius ante donationem non erat potens ad solvendum debitum illi, qui donavit, ex dono datis non potest ex rigore justitiæ debitum solvere, ut adnotant Doctores.

138. Opp. ultimo. Satisfactio Christi ita obligat Deum ad non puniendum, ut si puniret, injuste ageret, ergo ex stricta justitia pro peccato satisfecit; & si promissio simplex obligat Deum ex fidelitate, promissio sub conditione operis onerosi obligare debet plusquam ex fidelitate, consequenter ex vera & perfecta justitia.

Resp. idem argumentum fieri, dum sermo est de merito condigno; oritur igitur obligatio ex titulo justitiæ retributivæ & vindicativæ, nequaquam ex justitia commutativa & stricte accepta, uti probatum fuit.



QUÆSTIO II.

De causis extrinsecis Incarnationis.



CUM in re nostra tres recenseantur causæ extrinsecæ, nimirum finalis, meritoria, & efficiens, de his agendum est in præsenti Quæstione, & quia causa finalis ultima quidem est in executione, prima tamen ordine intentionis, ideo de ista primus sermo instituendus esse videtur.

ARTICULUS I.

An finis primarius incarnationis fuerit remedium pro peccato, ita ut Adamo non peccante Verbum non fuisset incarnatum.

1. NON leve dissidium fit in hac disputatione inter Scholasticos, quorum plures sequentes S. Thom. hic qu.1. art.3. finem primarium incarnationis, quomodocumque consideratæ, tam quo ad modum, quam quo ad substantiam, peccati remedium fuisse contendunt. Aliqui vero cum Scot. in 3. dis.7. qu.3. asserunt, finem primarium ipsius in substantia inspectæ fuisse excellentiam Mysterii, Divinarumque perfectionum manifestationem, ideo per primos, si non fuisset peccatum Adæ, Verbum Divinum carnem non assumpsisset, assumpsisset vero per secundos, quamvis non eodem modo, idest non in carne passionibus subjecta. Fit autem quæstio juxta præsens decretum, nam quid per aliud facturus esset Deus, supposito, Adamum non peccasse, quis potest agnoscere?

2. Pendet potissimum hujus difficultatis resolutio ex hoc, quod determinetur, utrum prior in Deo fuerit visio circa peccatum, & decretum ipsum permittendi, an vero visionem peccati decretum incarnationis præcesserit; Si enim decretum incarnationis præcessit permissionem peccati, præcessit etiam remedium peccati, & ita fuisset facta incarnatio etiam sine permissione, & remedio peccati. Novum autem esse non debet, in Divinis decretis reperiri ordinem prioris & posterioris, non quidem re, aliter daretur in Deo aliquod successivum, & in re distinctum, sed sola ratione cum fundamento in re, etenim ex rebus jam completis & productis intellectus humanus unam videt causatam & dependentem ab alia, unam se habere veluti finem, aliam veluti medium, & cum ex alia parte cognoscat, nos velle prius, quod est independens, & se habet ut finis, postea quod est dependens & medium, sumit fundamentum concipiendi, in eodem actu reali Divinæ voluntatis unum priusquam aliud fuisse decretum. Hoc conceditur & traditur ab omnibus Theologis, & reperitur in Divina Scriptura dicente Judith cap. 9. *Hæc fecisti priora, & illa post illa cogitasti*. Hisce positis, ut clarissime in hac re, quam involutam apud Doctores invenies, me geram.

Dico primo; decretum incarnationis præcessisse visionem peccati, & ideo Christum fuisse decretum ante permissionem peccati.

3. Prob. Est commune apud Theologos, quæ pendent à libera Dei voluntate ostendi non posse aut probari nisi ex Divinis Scripturis intellectis & explicatis juxta sensum & doctrinam Sanctorum Patrum, & Conciliorum, sed decretum incarnationis pendet à libera Dei voluntate, & ex Divinis Scripturis intellectis & explicatis juxta sensum & Doctrinam Sanctorum Patrum habetur,

tur, præcessisse visionem peccati, ergo. Prob. 2. pars min. Ex Divinis Scripturis intellectis & explicatis &c. habetur de Christo proverb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, & ut legunt septuaginta, *Dominus creavit me initium viarum suarum*; in quæ verba ait Cyril. Alexandr. lib. 5. Thesaur. cap. 4. *Quærendum est, quis est, qui dixit, Dominus creavit me*. Et respondet: *Christus jam homo factus*; Atque in hunc sensum veniunt Clem. Rom. lib. 5. Constit. cap. 19. Nazianz. orat. 36. Nyssen. lib. de Fide ad Simplicium. Chrysost. serm. de Sancta Trinit. Ambros. 1. de Fide cap. 7. Hieronym. lib. 2. in Mich. August. serm. 58. de Verbis Domini. Fulgent. contra object. Arian. resp. 3. Conc. Eph. tom. 1. cap. 4. Sardicen. in epist. ad omnes Fideles; Hispalen. 2. cap. 13. Præterea; ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante Mundi Constitutionem*. Ad Colos. 1. *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*; sed hæc omnia indicant, decretum incarnationis præcessisse visionem peccati, ergo. Prob. mi. hæc omnia non possunt intelligi de Christo juxta existentiam, & nativitatem, nam sic non fuit primogenitus omnis creaturæ, neque in initio viarum suarum, neque ante mundi constitutionem, non de Christo, ut Deus est, quia sic non est creatura, neque Deus est ejus Dominus, cum dominium exigat superioritatem, ergo.

4. Dices; Christum appellari primogenitum omnis creaturæ, sed non probari, remedium peccati esse decretum in aliquo signo post Christum, sed simul cum Christo, ita ut inter decretum remedii pro peccato, & Christi sit essentialis connexio; & rursus argumentum sic expositum nimis probare, quia si Christus fuit primogenitus & decretus ante omnes creaturas, probaretur, quod etiam nulla existente creatura, adhuc fuisset incarnatio, quod non.

Sed contra. Ubi reperitur ratio finis, vel Christus fuit decretus propter remedium peccati, vel remedium peccati propter Christum; Si primum, Christus se habet ut medium, & ideo non est primo decretus contra Scripturas adductas. Si secundum, jam Christus est finis, & remedium peccati est medium, ideoque decretum incarnationis præcessit prævisionem peccati; Præterea; adducta instantia nimis probat, etenim decretum incarnationis non est tantum connexum cum remedio peccati, sed etiam cum omnium creaturarum productione, ergo omnium creaturarum productio erit finis incarnationis? nequaquam; ergo à pari. Ad 2. non tenet paritas, quia si nulla fuisset creatura, nullum fuisset incarnationis motivum; Quid enim fuisset hæc excellentia mysterii? quomodo fuisset Divinorum attributorum manifestatio? sed de hoc infra.

5. Prob. 2. ratione. Quilibet juxta rectum ordinem volens prius vult finem, quam media, & inter media prius vult nobiliora, & quæ sunt ad finem magis idonea, sed Deus est juxta rectum ordinem volens, ergo prius vult finem, quam media, & prius nobiliora, sed opus incarnationis est nobilissimum inter omnia opera, & omnibus aptius ad manifestandam gloriam Dei, quæ est finis, propter quem Deus omnia operatur, ergo. Confir. Christus debebat esse caput omnium prędestinatorum juxta illud ad Rom. 8. *Quos præscivit & prædestinavit, conformes fieri imagini filii sui* sed decretum prędestinationis antecedit decretum permissivum peccati, præsertim per Thomistas, ergo etiam Christus fuit decretus ante prævisionem peccati, consequenter &c.

6. Hisce positis, statuendus est ordo signorum in Divinis decretis respicientibus incarnationem. In primo signo Deus intelligit se ipsum sub ratione primi & ultimi boni; in secundo omnes creaturas, inter quas etiam ipsum Christum (ecce cur superius dixi, de hoc in-

sra) in tertio volens suæ bonitatis manifestationem, elegit Christum ad gloriam, & ad unionem hipostaticam, sub quo veluti capite omnes prædestinati ad gloriam pervenirent; in quarto prævidit Adæ peccatum; in quinto passionem & mortem Christi in peccati remedium.

7. Contra hunc ordinem statutum argumentatur Cajetan. dicens, tres ordines esse distinguendos, naturæ, gratiæ, & unionis hipostaticæ; in primo signo videntur ea, quæ spectant ad ordinem naturæ; in secundo quæ ad ordine gratiæ, in tertio quæ ad ordinem unionis hipostaticæ; cujus ratio est, quia ordo naturæ præsupponitur gratiæ, & ordo gratiæ unioni hipostaticæ, ergo cum peccatum spectet ad ordinem naturæ, prius prævidit peccatum, quàm unionem hipostaticam.

8. Sed contra. In primis hic ordo inventus à Cajetano à cœteris Thomistis rejicitur. Secundo non servat Scripturas à nobis superius expositas. Tertio loquitur inconvenienter, nam certe mors prædestinatorum spectat ad ordinem naturæ, nec tamen fuit decreta à Deo ante ipsam prædestinationem, & peccatum illorum, qui Christum crucifixerunt, pertinet, ut ipse ait, ad ordinem naturæ, nec tamen Deus prius voluit illius peccati permissionem, quàm Christi incarnationem; Sed, ut alia prætercam, refellitur hic dicendi modus, quia probat, ordinem naturæ esse fundamentum gratiæ, istique præsupponi, sicut ordinem gratiæ unioni hipostaticæ quantum ad exequutionem, non quantum ad intentionem in Divinis decretis, in quibus, sicut res supernaturales statuuntur ut finis, & res naturales ut media, ita prius decernuntur res supernaturales, quam naturales, quamvis istæ in exequutione sint illis priores.

9. Dico 2. Ante prævisionem peccati Christus non fuit decretus ut Redemptor passibilis & mortalis, sed solum ut caput omnium electorum, & ideo Adamo non peccante Verbum non assumpsisset carnem passibilem & mortalem.

Prob. primo auctoritatibus. Ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum, ut eos, qui sub lege erant, redimeret*. 1. Joan. 3. *In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*. In Concil. Niceno. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis*, sed ex hisce, aliisque innumeris, explicatur connexio inter incarnationem, & remedium pro peccato, ideoque etiam permissionem peccati, ergo ante prævisionem peccati Christus non fuit decretus ut Redemptor in carne passibili, & mortali.

10. Prob. 2. ratione. Deus non prædefinivit Adamum, & posteros mortales, nisi post prævisionem peccati, nec enim ideo, quia Deus voluit nos mortales, prædefinivit peccatum, sed ideo voluit nos mortales, quia prævidit peccaturos, ergo à fortiori non prævidit Christum Redemptorem passibilem & mortalem ante prævisionem peccati, ejusdemque remedii. Confir. Deus nec voluit, nec fecit mortem, sed hæc solum per peccatum fuit introducta, ergo multo magis hoc de Christi morte est intelligendum, ita ut non fuerit decreta, nisi præviso, permissoque peccato.

11. Dico 3. Etiam Adamo non peccante Verbum Divinum carnem assumpsisset. Hoc sequitur ex dictis; amplius tamen.

Prob. Bonum incarnationis fuit maxime amabile, sed non est dicendum fuisse amabile cum dependentia à peccato, ergo. Maj. ostenditur, quia est summa communicatio ad extra, & ideo summum bonum; prob. mi. si fuit amabile cum dependentia à peccato, fuit tantum amabile secundum quid, &, ut ajunt, ex occasione, sed ita non fuit maxime amabile, ergo. Maj. declaratur exemplo potionis amaræ; quæ, quia sumitur cum dependentia ab infirmitate sananda, non est bona nisi secundum quid, ex quo probatur etiam minor; & si dicas, incarnationem fuisse bonam tam in se, quam

quam ex occasione peccati reparandi, inferam, ergo de primario fuit bona ex se, de secundario tantum ob remedium peccati, ergo independenter à peccato reparando adhuc fuisset.

12. Confirm. ex Doctrina S.Th. 1.p. qu. 89. hæc habentis. *Dicendum, quod in statu innocentiæ fuisset generatio ad multiplicationem generis humani, alioquin peccatum hominum fuisset valde necessarium, ex quo tantum bonum consequutum est*. Ex quibus verbis sic argumentum expono. Anima rationalis est per se intenta à natura, non tantum secundum speciem, sed etiam secundum numerum, & ideo per S. Thom. fuisset idem numerus animarum, licet non fuisset peccatum, sed incarnatio est bonum majus, quam hominum propagatio, & anima Christi cum gratia unionis multo magis fuit per se intenta, quam fuerint, ac sint omnes aliæ animæ, ergo licet non fuisset peccatum, adhuc &c. Præterea. Licet non fuisset peccatum Christus fuisset caput omnium electorum, & de facto fuit caput Adami etiam pro statu innocentiæ, ergo licet non fuisset peccatum, Christus fuisset, quo pacto enim potest quis esse caput, si nunquam futurus esset? Ideo S. August. lib. de natura & grat. cap. 25. ait: *Non dicamus, ut esset causa misericordiæ Dei, necessarium fuisse peccatum*.

13. Opp. 1. ex Scripturis & Patribus, ex quibus existimant adversarii firmum pro sententia propria argumentum proponere. Luc. 15. *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent, non veni vocare justos, sed peccatores*. Cap. 19. *Venit filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat*. 1. ad Timot. 1. *Venit Christus in hunc mundum peccatores salvos facere*. Et generatim loquendo expectabatur Messias, ut finem acciperet peccatum, & deleretur iniquitas. Nunc ad Patres. Irenæus lib. 5. adversus hæreses cap. 14. *Si enim non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset, & si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus*. Athanas. serm. 3. contra Arian. *Cum homo efficitur, tunc causa subjicitur, cur eum oporteat carnem gestare, necessitas quippe, indigentiaque hominum anterior est, quàm illius nativitas, qua sublata carnem non induisset*. Leo Magnus serm. 3. in Pentecost. *Si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset, nec diabolica fraude deceptus, à lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non fieret, neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri filius Dei formam servi, & similitudinem carnis peccati assumeret*. Cyril. 5. Dialog. de Trinit. *Si non peccassemus, neque factus esset nobis similis, neque sustinuisset, & si non esset mortuus, non esset assequutus, ut adoraretur à nobis, & à Sanctis* (intellige Angelis) & lib. 2. in Joan. cap. 3. *Quoniam primus Adam libertate sua non bonum, ut debuit, sed malum elegit, atque ideo morti addictus Spiritum Sanctum amiserat, qui malignos, ut scribitur, fugit, neque habitat in corpore subjecto peccatis, de Cœlo nobis secundum Adam misericordia misit*. Gregor. Magnus in 4. Reg. cap. 1. *Et quidem si Adam non peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret, non enim venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam, si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, cum venire non oporteret*. Postremo afferam S. Augustinum (Hunc enim tanquam apud me omnium maximum, Patrum ordine non servato, ultimo loco frequenter producere soleo) Hic autem de Verbis Apost. serm. 8. inquit. *Si homo non peccasset, Filius hominis non venisset*. Et serm. 9. *Nulla causa fuit veniendi Christo, nisi peccatores salvos facere, tolle morbos, tolle vulnera, nulla est causa medicinæ*. Accedit denique totius Ecclesiæ consensus; nam in Symbolo dicitur: *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis*. In benedict.

nedict. cerei Paschalis canitur. O' *felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.* O' *necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est*, & in quodam hymno dicit de Sanctissima Virgine refugio meo,

Peccatores non abhorres
Sine quibus nunquam fores
Tanto digna filio.

14. Resp. omnes istas auctoritates, aliasque similes explicandas esse de Christo in carne passibili, & considerata incarnatione, ut de facto peracta est, quod & nos concedimus, immo in secundo nostro asserto probavimus, non vero de adventu in carne simpliciter, seù de incarnatione quoad substantiam. Ratio est, quia ex una parte servari debent auctoritates, quas nos adduximus pro prima nostra assertione, & ex alia Scripturæ, & Patres loquuntur tantum de incarnatione, prout spectat ad fidem & mores, relinquendo disputationi totum id, quod pertinet ad speculationem, sicut se habet res in nostro casu; Cœterum Patres, qui Scholastice rem hanc pertractarunt, vel sententiam nostram approbarunt, vel illam maximi fecerunt; Siquidem Sanctus Bonavent. dicit illam rationabilem, & subtiliorem, & S. Th. in 3. disp. 1. qu. 1. art. 3. appellat illam probabilem. Mirum est, adversarios tot Scripturarum, tot Sanctorum Patrum testimoniis suffultos sententiam suam tanquam dogma fidei non affirmare. Porro nostro dicendi modo faverent plurimæ ex laudatis auctoritatibus, nam si bene perpendantur, habentur verba, *similitudinem carnis peccati, sustinuisset, medicinæ, Redemptorem, Christi morte &c.* in ipsis igitur sermo est de adventu in carne passibili.

15. Dices. Auctoritates absolute dicunt, si Adam non peccasset, Verbum non venisset, ergo non possunt explicari de carne passibili. Prob. conseq. Si Verbum adhuc venisset in carne impassiblli, dicendo, Verbum non venisset, esset propositio falsa, ergo non possunt explicari &c. Prob. ant. Licet Verbum venturum sit in carne impassibili ad judicandos vivos, & mortuos, tamen, si quis diceret absolute, Verbum non veniet, diceret propositionem hæreticam, ergo à pari.

Sed contra: ne. cons. ad prob. dis. ant. si ly non venisset non limitaretur ex circumstantiis loquutionis, & modis explicandi conc. si limitaretur ad sic, & non aliter explicandum ne. ant. & cons. & ita ad paritatem; Si enim quis diceret, Verbum non veniet ad judicandum, & ex aliquo alio signo, vel loquutione cognosceretur, non esse venturum in carne passibili, propositio illa esset verissima; aliter dicendum foret, Christum respondentem Joan. 7. discipulis, *Vos ascenditis ad diem festum hunc, ego autem non ascendam* mentitum esse, quia revera ascendit.

16. Instabis. Si remedium peccati fuisset tantum motivum assumendi carnem passibilem, non absolute veniendi, fuisset tantum motivum quantum ad modum, non quantum ad substantiam, sed hoc dato non possent recte explicari Patres & Scripturæ, ergo. Prob. mi. quia Patres & Scripturæ dicunt absolutè, deficiente remedio pro peccato, Verbum non fuisse venturum, quod non valeret, si remedium pro peccato fuisset tantum motivum veniendi in carne passibili, sicut, si quis esset motivum, cur Rex veniret indutus hac, vel illa veste, non posset dici motivum adventus Regis.

Sed contra. Dico, in secundo signo remedium peccati fuisse motivum incarnationis tum quo ad substantiam, tum quo ad modum, unde adventus Verbi duplex motivum assignatur; Unum in primo signo ob mysterii excellentiam, & ad manifestanda Divina attributa, aliud in secundo signo ob reparationem lapsus, & per consequens propriè servantur loquutiones Patrum & Scripturarum, & licet non fuisset peccatum, adhuc venisset propter aliud motivum.

Hoc

Hoc totum explicatur exemplo. Statuit v.g. Medicus pergere Utinum invisurus amicum, pervenit ad illius aures, istum ægrotare, & se determinat iturum, ut eum sanet; Ita res se habet in casu nostro. In primo signo decrevit Deus incarnationem ob primum motivum, in secundo signo vidit peccatum, & decrevit incarnationem in carne passibili, ut peccatores repararet; Unde sicuti Medicus ivisset Utinum, quin amicus ægrotaret, & tamen postea infirmitas est causa ejus itineris, ita venisset Verbum, quin esset peccatum, & tamen in secundo signo peccatum fuit causa adventus. Adde, non valere exemplum adductum Regis venientis in hac, vel illa veste, nam vestis non est intrinseca Regi, passibilitas autem esset intrinseca carni.

17. Opp. 2. Quando Deus decrevit incarnationem, vel illam decrevit in carne impassibili, vel passibili, vel abstrahendo à passibilitate & impassibilitate; Si primum, ergo decretum illud fuit mutatum, quia incarnatio non fuit facta in carne impassibili; Si secundum, ergo si non fuisset peccatum, non venisset, non tertium, quia passibilitas, vel impassibilitas est conditio corporis humani, ergo.

Resp. Deum in primo signo decrevisse incarnationem in carne impassibili voluntate antecedente, quæ æquivalet conditionatæ, idest, nisi remedium peccati aliter postulasset, & ideo, quin hujusmodi decretum fuerit mutatum, incarnatio non fuit facta in carne impassibili, cum non fuerit completa conditio per prævisionem peccati in signo posteriori; Voluntate vero absoluta & efficaci decrevit tantum incarnationem quo ad substantiam, neque modum definivit, nisi permisso & præviso peccato; Licet enim Deus nolit rem, nisi cum omnibus circumstantiis & modis, quibus est extitura, attamen secundum diversa signa rationis prius vult rem, quam modum, si res dependeat ab aliquo fine, & occasione, à quibus non dependet modus, ut in re nostra. Si autem Adam non peccasset, venisset absolute Christus in carne impassibili, quia omnes homines fuissent sic, cum imperfectio passibilitatis non aliunde modo conveniat hominibus; quam propter peccatum. Verum non existiment, hoc argumentum adeo firmum esse, sicut Vasquez sibi persuadet. Nam idem conficiendo, sic discurro. Quando Deus decrevit creare Adam ante prævisionem illius peccati, vel decrevit, illum creare immortalem, vel mortalem, vel abstrahendo à mortalitate, & immortalitate; non mortalem, quia mors est pœna peccati, non immortalem, alioquin, cum Adam mortuus sit, decretum illud fuisset mutatum, non tertium, quia mortalitas vel immortalitas est conditio hominis; Quod ergo ipsi nobis, nos ipsis.

18. Dices. Nullo modo potest decerni incarnatio abstrahendo à passibilitate, vel impassibilitate, ergo. Prob. ant. Non potest decerni incarnatio abstrahendo à natura rationali, vel irrationali, ergo à pari: conseq. tenet, non enim minus caro est passibilis, vel impassibilis, quàm quælibet natura sit rationalis vel irrationalis.

Sed contra. Ne. ant. ad prob. ne. conf. ratio enim specifica est intima & essentialis naturæ, quæ debet assumi, nec dependet à diverso fine & occasione, ratio vero passibilitatis, vel impassibilitatis præsertim actualis est extrinseca carni, & dependet à diverso fine, idest à statu innocentiæ, vel lapsus, & ideo in uno signo potest Deus velle rem, in alio modum, sicut v.c. prius prædestinavit Paulum ad gloriam, quam mortem ejus vel per ensem, vel per ignem, vel aliter.

19. Opp. 3. Si dicamus, Verbum Divinum carnem assumpsisse tantummodo ob remedium peccati melius explicantur, & efferuntur attributa Divina, idest misericordia, quia sic dilexit inimicos, bonitas, quæ tantum protulit bo-

bonum desumpta occasione à malo, juxta id quod ait Augustin. & Angelic. hic ad 3. *Deus permittit malum fieri, ut inde aliquid melius efficiat*. Et tandem affertur ratio, quare naturam humanam, non aliam assumpserit, ergo.

Resp. in quacumque sententia esse motiva attollendi misericordiam, Divinamque bonitatem, in nostra, etenim ostendisset Deus misericordiam suam, maximamque charitatem, qui nulla expectata indigentia, naturæque necessitate se eidem communicasset, in alia vero ob adductam rationem; Absolute tamen loquendo, motivum à nobis admissum dignius est, & excellentius motivo à Thomistis exposito, cum excellentia mysterii secundum se sit simpliciter nobilior, quam redemptio, quæ non est bona nisi ex occasione reparandi peccati. Adde, à nobis utrumque motivum approbari ex supradictis. Ad ultimum; melius affertur ratio, quare &c. non ex substantia incarnationis, sed ex modo, quo peracta est; & rursus, assumendo naturam humanam omnes naturas quodammodo assumpsit, cum in homine omnium rerum gradus contineantur, ut ait Gregor. ideo, cum dictum fuit, prædicate Evangelium omni creaturæ, intelligitur omni homini, qui dici potest omnis creatura.

20. Opp. 4. Si Verbum Divinum venisset Adamo non peccante, debuisset esse nostrum caput morale, & esse non potuisset, sed hæc duo repugnant, ergo. Prob. secunda pars maj. Adam fuisset nostrum caput morale, ergo non potuisset esse Verbum Divinum; alioquin fuissent duo capita moralia, quod non. Prob. ant. Justitia originalis perseverans in Adamo, etiam perseverasset in nobis, quia ad nos pertransiisset, ergo Adam fuisset nostrum caput morale.

Resp. ne. secundam partem majoris, ad prob. ne. ant. quantum ad gratiam actualem & gloriam, ad prob. totum id est verum, sed dependenter à Christo, Adam enim ipse in ordine gratiæ fuit membrum Christi, uti dictum fuit num. 12. & hic à nobis supponitur alibi probandum, immo hoc fuit argumentum nostrum, quod cum Christus fuerit caput prædestinatorum, & caput hominis in statu innocentiæ, etiamsi perseverasset hic status, Christus fuisset.

21. Opp. 5. directe contra fundamenta nostra; Admissis probationibus nostris adhuc non subsistit sententia nostra, & prob. Quanvis Christus fuerit prædestinatus ante prævisionem peccati, nihilominus Verbum non venisset ex vi præsentis decreti Adamo non peccante, ergo. Prob. ant. Quanvis decretum prædestinationis Christi sit prius decreto permissivo peccati, attamen includit aliquid, per quod intrinsece connectitur cum posteriore decreto, ergo si non fuisset decretum posterius, neque fuisset prius, eo modo quo, licet Deus eligat aliquem ad gloriam priusquam velit, & videat illius merita, attamen sine meritis nunquam illi dabitur gloria. Confirm. Licet Christus sit prædestinatus, priusquam sint alii homines, attamen, si non fuissent alii homines, nunquam fuisset prædestinatus, quia ejus prædestinatio cum cœteris hominibus connectebatur, ergo licet Christus fuerit prævisus ante prævisionem peccati, tamen &c.

Resp. negando propositiones probatas in argumento, ad ultimam probationem antec. juxta principia à me stabilita in Tomo 2. ubi de prædestinatione, est falsum, eo tamen admisso falsa est consequentia; quia quando Deus eligit aliquem ad gloriam, non eligit ad istam, ut beneficium gratuito conferendum, sed ut coronam & præmium, in qua intentione includitur virtualiter voluntas meritorum, sine quibus nunquam dabitur gloria, & quando prædestinavit Christum, non prædestinavit in quodam statu solitario, sed tanquam caput totius universi; & ideo hæc prædestinatio est connexa cum voluntate creandi homines

nes & Angelos, at prædestinatio Christi secundum substantiam incarnationis non habet quomodo pro illo signo connectatur cum peccato, uti probatum fuit, ideo &c.

22. Quæres, an Verbum assumpsisset carnem passibilem, vel propter solum originale, si cœteri homines actu proprio non peccassent, vel ab sola peccata actualia, si non peccasset Adam.

Cum Christus sit perfectissimus Redemptor, & laverit nos ab omni iniquitate reddendo sibi populum acceptabilem, carnem passibilem Verbum assumpsit tum ad delendum peccatum originale, tum omnia actualia. Colligitur hoc ex Scripturis Sanctis, nam ad Hebræos 1. indeterminate legitur, *purgationem peccatorum faciens* ad Rom. 3. *quem proposuit &c. In remissionem præcedentium delictorum.* Joan. 1. *Sanguis ejus emundat nos ab omni peccato* quibus adhærens Concilium Tolet.6. cap.1.hæc habet; *Solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & nostro libero arbitrio contraxeramus, resolvenda, è secreto Patris arcano prodiisse.* Respondendo tamen proposito postulato, dico, præcipue venisse ad delendum peccatum originale, per quod corrupta erat universa natura, ut sicut per unum hominem mors, ita per unum haberetur & vita, unde ait Apost. ad Colos.2. *Delens, quod adversus nos erat, Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Atque in hoc puncto nulla rationabilis controversia esse potest inter alicujus notæ Doctores. Potius in alio divisi sunt, suppono enim, quod, licet Adam innocens perseverasset, adhuc cœteri homines peccare potuissent, & peccassent, sicut peccavit ipse Adam. Sed quis rem hanc definire potest? Dicerem tamen, quod si fuissent sola actualia, Verbum in passibili carne non venisset, quia verosimile est, tunc paucos in peccata lapsuros esse propter minores peccandi occasiones, & propter majorem habitam ex integritatis dono resistendi virtutem, ex alia parte potuisset illis adhiberi remedium desumptum ex Christi merito habito ex amore, non ex dolore, nec enim decebat propter paucorum salutem, vel necessitatem Christi sanguinem fundi. Quod si aliquis velit, etiam tunc futura fuisse in majori hominum parte peccata actualia, tunc fortasse pro ipsis passus esset, proinde carnem passibilem assumpsisset. Si quis vero contra hæc opponeret, vel id, quod habetur Luc.15. de ove perdita, *Gaudium erit in Cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente*; vel illud Pauli ad Galat.2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*; vel illud Chrysost. *Unius animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratio possit æstimare; etenim unius animæ salus tanti est, ut ob hanc filius Dei fieret homo, tantaque pateretur.* Vel tandem revelationem, cujus meminit Dionys. ep.8. in qua Christus dixit Sancto Carpo, paratum se esse ad moriendum iterum pro hominibus, nihil profecto ex hisce evinci posset, sed solum infertur eximia in nos Christi charitas, si tamen Deus ita voluisset, nos autem asserimus, id Deum voliturum non fuisse, quia nec expediebat, nec erat necessarium; vel singulos nos beneficium redemptionis agnoscere debere, quia ita singuli redempti sumus, ac si pro unoquoque tantum facta fuisset redemptio; Quanquam primus textus, asserens exemplum ovis aptatum uni peccatori, rectius intelligitur de uno peccatore, non in individuo, sed in specie, idest de humana natura originali labe coninquinata, & per Christi sanguinem deinde mundata.

AR.

ARTICULUS II.

An Christus mereri potuerit incarnationem suam.

23. Quemadmodum aliud est meritum de condigno, & aliud de congruo, de quo dictum fuit in propria quæst. ita causa meritoria incarnationis talis esse potest vel de condigno, vel de congruo. Difficultas apud Theologos non fit de merito in primo sensu, cum tanquam certum supponatur, quod cum opera procedentia ex habituali gratia sint solum in ordine supernaturali accidentario, è contra incarnatio sit in ordine supernaturali substantiali, nunquam inter illa & istam reperiri possit æqualitas.

24. Erravit Origenes, ut notant Doctores, quod tamen apud ipsum non inveni, volens Christi humanitatem tempore ac duratione præcessisse unionem hypostaticam, & existimans ejusdem animam ab initio mundi creatam fuisse, deinde post plures annos ob suam erga Deum dilectionem hypostatice assumptam, unde ps. 33. legitur. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus*; & Apocal. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere Divinitatem.* Etenim tanquam dogma fidei tenendum est definitum in Concil. Constant. contra Photinum, non prius fuisse humanitatem & animam Christi, quam Verbo unitam, & Christum fuisse primo suæ conceptionis instanti verum hominem, verumque Deum juxta illud Luc. 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Unde August. in Enchir. cap. 36. *Quidnam natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei simpliciter esset assumpta? quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo, ut una fieret persona cum Deo?* Certum igitur est, in hoc sensu Christum nullo modo potuisse mereri incarnationem suam, & textus adducti intelligendi sunt non de Divinitatis unione, sed manifestatione, quia per dilectionem suam, passionem, & mortem meruit manifestari ut Deus per illa verba. *Hic est Filius meus dilectus* vel de gloria sui corporis in resurrectione, & ascensione; vel ly *propterea* indicare causam finalem, idest, *unxit te Deus* ut justitiam diligeres & odio haberes iniquitatem.

25. Negari tamen non potest, potuisse Christi humanitatem, sicut & animam existere ante unionem cum Verbo Divino, & hoc pacto, nisi aliud obstaret, potuisse mereri unionem hypostaticam, quia potuisset superno modo operari, & licet illa humanitas non fuisset Christi, ut opponit Mastrius, quia fuisset humanitas puri hominis, attamen in data hypothesi fuisset humanitas, quæ nunc est in Christo, & dato quod hic Doctor asserit, nec posset fieri quæstio de operibus antecedentibus naturaliter unionem, quam ipse facit; deinde, licet non fuisset humanitas Christi à supposito, quo actu terminaretur, fuisset tamen à supposito, quo foret terminanda.

26. Certum insuper est, humanitatem Christi non meruisse de facto incarnationem per opera natura ipsam præcedentia, cum enim pro illo priori naturæ non fuerit subsistens, neque operata est, quia, loquendo saltem de via ordinaria, actiones sunt suppositorum, præsertim ubi sermo est de actionibus liberis, quales sunt meritoriæ; subsistentia enim necessario convenit naturæ substantiali, & prius est quod necessarium est, quam quod liberum; Neque desunt Scripturæ, in quibus incarnationis mysterium soli Divinæ liberalitati & misericordiæ tribuitur, quas nos superius exposuimus, quod absolute verum non esset, si Christi humanitas de facto incarnationem suam meruisset, ex his tamen fateor firmum argumentum haberi non posse, & miror Doctores aliquos propter illa Scripturæ testimonia oppositam sen-

sententiam tanquam erroneam condemnasse.

27. Sentiendum 1. animam Christi, seù humanitatem non potuisse mereri per opera antecedentia suam unionem. Est communissima sententia in Scholis S. Thomæ ac Subtilissimi recepta à Recentioribus, exceptis Cacher. Hurtado, Arriaga paucisque aliis.

Quamvis vero in hac assertione concors sit Theologorum mens, in eadem tamen probanda diversa satis apparet. Thomistæ dicentes, humanitatem Christi existere per existentiam Divini Verbi, facile eam evincunt, quia si pro illo priori humanitas non intelligitur existens, procul dubio nec potuit operari & mereri. Quia tamen principium hoc falsum à me, & ab aliis, etiam inter Sancti Thomæ Sectatores, existimatur, ideo fundamentum hoc est prætereundum.

28. Magis arridet argumentum hoc, quod sic propono. Humanitas Christi pro illo priori naturæ pro quo non intelligitur unita Verbo Divino, nullo modo potuit operari, ergo per opera antecedentia non potuit mereri suam unionem. Prob. ant. Humanitas Christi pro illo priori naturæ non habuit subsistentiam propriam, neque alienam; ergo nullo modo potuit operari; prob. conf. Ita personalitas requiritur ad operationem, ut indispensabiliter, etiam metaphysice, natura substantialis debeat prius terminari subsistentia, quam operari, ergo si &c. prob. ant. personalitas ita respicit naturam, ut ab intrinseco & per se natura servet ordinem ad personalitatem, operatio vero ita convenit naturæ, ut solum ab extrinseco, & per accidens natura servet ordinem ad operationem, sed hoc dato ita personalitas requiritur ad operationem, ut indispensabiliter, etiam metaphysice &c. quia prius est, quod ab intrinseco & per se convenit, quam quod tantum ab extrinseco & per accidens, ergo.

29. Dixi, metaphysice, ut occurram argumento illorum, qui dicunt, Deum agere posse contra exigentiam naturæ; nam si sermo sit de exigentia physica, hoc verum est, & sic Deus impedire potest, ut ignis comburat, non sic tamen si agamus de exigentia metaphasica orta ex intrinseco rei, & ita non potest efficere, ut homo sit rationalis & non sit risibilis, vel prius sit risivus, quam rationalis; Porro exigentia in natura substantiali ad subsistendum hujusmodi est, cum fieri nequeat, naturam substantialem esse, & non subsistere vel per propriam, vel per alienam subsistentiam; hoc valet præsertim in sententia scotica admittente subsistentiam in negativo, etenim natura non potest intelligi operans, nisi vel ut dependens ab alieno supposito, & sic subsistens subsistentia aliena, vel ut ab alieno supposito independens, & sic subsistens subsistentia propria, quod tenet in sententia aliorum dicentium, subsistentiam consistere in respectu quodam morali, per quem natura sui juris esse censeatur.

30. Ex ratione à nobis exposita jam percipis, quomodo sit verum illud commune, quod inquiunt traditum a S. Damasceno lib. 3. de fide cap. 15. & procul dubio toties repetitum à Joan. Theologo in Concilio Florent. sess. 18. nimirum, *Actiones sunt suppositorum* ita ut natura se habeat quidem tanquam principium *quo* suppositum vero tanquam principium *quod* & ideo non potest dici, *essentia generat*, *sed Pater* sicut nec dici potest, *essentia generatur*, *sed Filius*. Et quamvis hæc vera non essent, nihilominus ex majori exigentia, quæ est in natura ad subsistendum, quam ad operandum, satis subsistentiæ necessitas ante quamcumque operationem probatur.

Contra hoc dicit Lugus; ita actiones esse suppositorum, sicut passiones, atqui istæ intelliguntur ante subsistentiam, ergo & illæ, probat minorem, primo quia, subsistentia est modus naturæ, ergo prius debet v.g. generari natura

tura quam haberi subsistentia, secundo quia Beatissima Virgo dicitur & est Mater Dei, & tamen actio Beatissimæ Virginis prius dicitur terminari ad humanitatem quam adDeum, quia pro eo signo non intelligebatur facta unio naturæ ad hypostasim.

Verum ex nostra doctrina facilè hæc refelluntur, dicendo esse vera in ratione principii, seu termini *quo* non principii *quod* vel termini *qui*, & quamvis hoc transmitteres de passionibus, non tamen ita foret loquendum de actionibus. *Agere enim est perfecti, pati vero imperfecti.* Ideo licet ad patiendum non deberet prærequiri subsistentia, deberet tamen ad agendum. Et si diceres, subsistentiam, utpote consistentem in negativo, nullam addere perfectionem naturæ; responderem, non ideo requiri subsistentiam, quia addat perfectionem positivam, sed quia est modus primo & per se exigitus à natura, ut sit ad operandum idonea, & in concreto. Sed de hac re consule Philosophiam meam.

31. Pater Vasquez in omnibus perspicacissimus argumento nostro non contentus, immo contendens inefficacissimum esse, cum dicat, illud axioma nec esse Aristotelis, nec Damasceni, & quamvis fuerit à Joanne Theologo productum, parvi tamen faciendum esse, cum fuerit non ex mente Concilii, sed ex privata ejusdem mente, nostram sententiam, quam omnino tenendam affirmat, ex alio capite probare contendit; summa autem rationis est, quia meritum humanitatis Christi quodcumque esse possit, cum nequeat esse ex viribus liberi arbitrii, esse debet vel ex gratia habituali, vel ex actuali, ex nulla autem esse potuit; non ex habituali, quia hæc constituit Filium Dei adoptivum, quod Christo, utpote Filio naturali repugnabat; non ex actuali, quia nullum opus in Christo esse poterat, quod infinitum valorem non præferat, atque ideo necessum erat ipsam unionem præsupponeret; proinde &c.

32. Sed bona venia tanti Doctoris, momentum hoc undequaque infirmum censendum est; primo enim axioma illud, etsi neque esset Aristotelis, neque Damasceni, attamen ab omnibus Theologis receptum, facili negocio contemnendum non est; secundo quod ipse dicit, non tenet; admitti siquidem potuisset gratia habitualis in Christi humanitate, quæ fuisset adoptata, quia cum supponatur nondum unita Verbo, Filiatio naturalis adoptionem non impediret, in eo sensu quo dicam in proprio loco; admitti etiam potuisset auxilium gratiæ actualis, neque tunc necesse foret, opus illud esse infiniti valoris, immo in sententia à me stabilienda neque post unionem infiniti valoris fuerunt opera Christi. Præterea; juxta principia Vasquez dici posset, opera facta ante unionem potuisse ab unione procedere, sicuti per ipsum contritio præcedens gratiam habitualem ab ipsa gratia habituali progreditur. Maneat igitur fundamentum nostrum, atque ea, quæ opponuntur diluamus.

33. Op. I. Natura non subsistens producit suam subsistentiam, ergo etiam poterit producere alias operationes. Secundò; natura prius exigit subsistentiam propriam, quam proprias operationes, & tamen hoc non fuit in Christo, ergo; unde sicuti est principium propriarum operationum, quin sit per propriam subsistentiam completa, ita erit principium operationum simpliciter, licet careret subsistentia simpliciter.

Resp. in sententia mea negari suppositum, cum subsistentia, utpote quid negativum, nequeat esse terminus productionis; attamen dato antec. negatur conf., quia subsistentia ponitur ad constituendum suppositum, & ideo non potest præsupponere suppositum, operatio vero datur ad suppositum perficiendum, & ideo debet illud supponere, proinde natura debet esse subsistens.

Ad

Ad 2. dico, naturam exigere vel subsistentiam propriam, vel alienam æquivalentem propriæ, antequam sit principium operationum, ita autem factum fuit in Christo, in quo subsistentia Divina munere subsistentiæ creatæ perfectissime fungabatur.

34. Op. 2. Falsum est, subsistentiam prærequiri necessario ad operationem. ergo. Prob. ant. Anima rationalis separata à supposito hominis adhuc intelligit, ergo falsum est &c. Conf. separetur accidens à substantia, adhuc operabitur, ergo separetur natura à subsistentia adhuc operabitur, ideo &c.

Resp. ne. ant. & quidem indispensabili lege, sicut quantitas in adversariorum sententia est conditio, ut subjectum recipiat accidentia corporea, & cognitio, ut voluntas velit; ad prob. conc. ant. dis. conf. in naturis, quæ non habent capacitatem ad subsistendum conc. in habentibus capacitatem ne. conf. Anima autem rationalis, sicut & qualibet forma accidentalis operantur eodem modo sive in supposito sint, sive non, quia cum non habeant capacitatem ad subsistendum, neque prius servant ordinem per se, & intrinsecum ad subsistentiam, quàm ad operationem, & ideo possunt operari, quin subsistant; & ex hoc disparitas ad confirm. cujus tamen melius negabitur suppositum, cum natura nequeat separari ab omni subsistentia juxta dicta; & certe nos fides docet, separari accidentia à quocumque subjecto, nunquam tamen nos docuit separari naturam à quacumque subsistentia, unde colligitur major connexio inter naturam & subsistentiam, quàm inter accidens, & subjectum.

35. At inquies; ergo Anima Christi pro illo priori naturæ, quam corpori uniretur, potuit operari, ergo mereri; Respondeo negando illatum; nam prius in anima, quando creatur, concipitur ordo ad unionem, quam ad operationem, creatur enim à Deo tanquam forma corporis, quod ipsi essentiale est, operari autem ad ejus essentiam non pertinet; quod si per Divinam potentiam statim non uniretur, jam totum concedimus, ut dictum fuit num. 25.

36. Op. 3. Potest prævideri Christus sub prærequisitis ad agendum in priori naturæ, quam prævideatur sub aliqua subsistentia, ergo illo priori naturæ potuit operari, ac mereri unionem hypostaticam; prob. ant. potuit prævideri Christus sub prærequisitis ad agendam sine aliqua determinata duratione, vel ubicatione, ergo à pari. Præterea Angeli merentes primam gratiam præcesserunt istam in operando solum prioritate naturæ, ergo etiam Christus per opera antecedentia incarnationem potuit mereri incarnationem.

Resp. ne. ant. immo suppositum, cum admittatur natura prævisa cum omnibus prærequisitis ad agendum, & postea excludatur subsistentia, cum tamen hæc sit prima conditio, sine qua non. Ad prob. conc. ant. ne. conf. propter peculiarem connexionem inter naturam & subsistentiam, operationes enim dicuntur suppositorum, non ubicatorum, nisi per concomitantiam, & si posset esse creatura nullibi hæc posset operari; sed exponatur argumentum æqualiter, dicam, quod, ut natura intelligatur operans debet intelligi sub aliqua ubicatione & duratione, ergo ut intelligatur operans debet intelligi sub aliqua subsistentia. Ad additum; si antecedens intelligatur de prima omnino gratia, nego, hanc Angelos promeritos fuisse, si vero intelligatur de alia gratia conc. ant. quia pro illo priori naturæ habuerunt quidquid ad operandum requirebatur, & nego conseq. propter dicta. Addo, productionem Angeli nullam habere connexionem cum gratia, ideo dari potest aliqua actio gratiam præcedens, & ad eam disponens, è contrario productio naturæ habet necessariam connexionem cum propria vel aliena subsistentia, & quidem immediate, ita ut nulla possit esse gratia medians inter utramque.

Dices. Esto pro illo priori humanitas non sit subsistens subsistentia Divina, potuit tamen subsistere subsistentia creata, ergo ita subsistens potuit operari, & incarnationem mereri. Sed contra; jam dictum fuit ante conclusionem.

37. Nunc vero progrediendum est ad perpendenda opera Christi subsequentia incarnationem, utrum scilicet, saltem per ista mereri potuerit incarnationem propriam, propriam inquam, non vero vel alterius personæ, vel cum alia natura, nam hoc non pertinet ad præsentem difficultatem, & pro parte affirmativa nulla apparet ratio dubitandi, cum ejusdem opera fuerint ordinis supernaturalis Divini, unde si direxisset illa, ut Pater, vel Spiritus Sanctus carnem assumeret, procul dubio hujusmodi incarnationem potuisset mereri.

In controversia proposita stant Doctor Angelicus & Subtilissimus, quos ultra proprios Sectatores sequuti sunt communius Neoterici pro parte negativa, ita ut per opera subsequentia Christus neque meruerit, nec mereri potuerit incarnationem suam. Contendunt oppositum Coninch. Ruitz, & Suarez, qui tamen positive non procedunt, sed tantum in hoc de potentia absoluta nullam apparere contradictionem affirmant. Contra quos

38. Dicendum, Christum per opera subsequentia non potuisse mereri suam incarnationem.

Prob. ratione communi, sed validissima. Principium meriti non potest cadere sub merito, quod est in Scholis tanquam axioma receptum, & constat, quia idem nequit esse causa sui ipsius, prius & posterius, quod foret, si diceretur oppositum; sed, si Christus potuisset per opera subsequentia mereri suam incarnationem, principium meriti caderet sub merito, ergo. Prob. mi. quia unio hypostatica est principium meriti respectu operum subsequentium, cum ab ipsa pendeant tanquam à principio conferente valorem, ergo.

39. Ita placuit hoc assertum ostendere, siquidem alia momenta, quibus utuntur nonnulli, facile convelli posse videntur. Si enim dicamus, meritum ut meritum esse causam præmii, proinde debere præmium antecedere, statim occurrit responsio, hoc non esse in merito necessarium, sed sufficere, si existat in prævisione, ut patet in gratia collata Sanctis Patribus & Beatissimæ Virgini intuitu meritorum Christi, quæ tamen physice non existebant, sed solum erant prævisa, & sic moraliter poterant influere. Si dicamus, meritum haberi cum spe præmii, spem autem non haberi de re jam collata, proinde esse debere ante præmii collationem; corruit assumptum, nam non spectat ad rationem meriti hujusmodi spes, quia si operans nec quidem circa præmium cogitaret, immo etiam præmium ignoraret, adhuc posset meritorie operari, ut constat in Abrahamo; Stet igitur fundamentum nostrum.

40. Contra hoc primo reponi potest; non repugnare in diverso genere causæ idem esse causam sui ipsius, sic finis in intentione est causa mediorum, & media in exequutione sunt causa finis, immo hoc in ipsa unione hypostatica contigisse videmus, nam de facto unio hypostatica in intentione, & secundum esse objectivum est principium meritorum Christi, in exequutione vero, & secundum esse reale est effectus eorumdem, sicut æterna gloria in intentione est principium meriti, & in exequutione est effectus ejusdem. Huic dicendi modo favet magis Suarez distinguens ordinem intentionis, & ordinem exequutionis, & dicens, unionem hypostaticam, ut respicientem decretum intentionis, non esse præmium, sed principium meriti, ut respicientem vero ordinem exequutionis, non esse principium meriti, sed præmium. Aliter se explicat Bellutus dicens, unionem hypostaticam fuisse causam efficientem physicam meritorum Christi, merita autem fuisse causam moralem unionis, non repugnare

re autem, idem esse causam & effectum secundum hasce duas rationes.

41. Sed totum hoc argumentum à nobis propositum ad evertendum non valet, cum teneat tantum, quando agitur de causa finali, quæ secundum esse intentionale est causa mediorum, & consequenter sui ipsius secundum esse reale, non vero dum agitur de causa meritoria, quæ spectat ad genus causæ efficientis, cui tribuitur influxus, & causalitas physica, si habet existentiam physicam, moralis, se habeat existentiam moralem; nego autem quod assumitur, idest unionem hypostaticam in intentione esse principium meritorum Christi, etenim est tale principium in ea ratione, in qua merita Christi accipiunt valorem, & dignitatem ab ea, sed non accipiunt valorem & dignitatem, nisi prout est in exequutione, ergo. Quod si merita Christi etiam solummodo prævisa habuerunt valorem moralem, hunc semper habuerunt dependenter ab unione hypostatica, sine qua nunquam fuerunt prævisa, nec prævideri potuerunt; Atque contra paritatem adductam de æterna gloria, quæ juxta principia à me statuta in secundo Tomo falsa est, dicendum, eam fuisse, & esse principium finale meriti, non efficiens, sicuti est unio hypostatica relate ad merita Christi, & gloria movet ad operandum pro illius adeptione, unio autem hypostatica non fuit finis movens Christum ad bene operandum, sed fuit causa influens in ipsius opera, & quidem efficienter; Unde ad summum unio hæc potuit movere Deum ad pouendum Christum, non vero Christum ad operandum pro ipsa, ex quo refellitur doctrina Suarez. Falsum quoque est quod alius auctor speculatur, nam unio hypostatica fuit causa non solum physica meritorum Christi, sed etiam moralis, immo magis moralis, cum eorum valor fuerit à Divina persona conjuncta humanitati.

42. Dici potest secundo. Omnia merita Christi non fuisse à gratia unionis, sed à gratia habituali, atque ideo per hæc potuisse mereri incarnationem, quin principium meriti caderet sub merito; & si dicas gratiam habitualem Christi dependere à gratia unionis, tanquam à radice; contra est; Licet scientia infusa Christi dependeret à scientia beata, tamen meritum Christi regulam sumebat à scientia infusa, & non beata, ergo à pari licet gratia habitualis dependeret à gratia unionis, poterant Christi merita sumi à sola gratia habituali.

Sed neque hoc valet; nego enim antec. ad prob. pariter, non quidem ob rationem in argumento adductam, sed quia fieri non poterat, operationem esse operationem liberam Christi, & ejusdem dignitatem non haberi à supposito Verbi, quia hoc erat principium *quod* ejusdem operationis; at contra meritum Christi regi poterat & debebat à scientia infusa tantum, quia beata circa opera libera versari non poterat, ex quo habes aliam disparitatem, si admittas responsionem datam in argumento; Valet hoc in systemate Thomistarum, etenim Scotista negat antecedens instantiæ oppositæ, ut tradam suo loco.

43. Op. 1. Quanvis merita Christi non præcesserint unionem hypostaticam, adhuc hæc potuit conferri propter merita Christi, ergo. Prob. ant. Licet merita Christi non præcesserint merita Sanctorum Patrum, attamen hæc collata fuit propter merita Christi, ergo à pari.

Resp. ne. ant. ad prob. transf. indif. ant. & valde dispar est ratio, nam licet merita Christi non præcesserint gratiam collatam Sanctis Patribus physice, præcesserunt tamen moraliter, Christus infallibiliter futurus sub meritis suis influere potuit in quamcumque gratiam, at unio hypostatica omni modo præcedit merita Christi, utpote eorumdem principium, neque Christus potuit prævideri merens independenter ab illa, sicuti fuit prævisus merens independenter à gratia Sanctorum Patrum. Cœterum

ratio nostra non procedit ex quo meritum debeat præcedere præmium, ut dixi, sed ex quo principium meriti nequeat cadere sub merito, quod contingeret, si admitteretur quod adversarii contendunt.

44. Op. 2. Eadem res potest esse moraliter causa sui ipsius, ab opposito causa efficiens physica, ergo non repugnat, unionem hypostaticam Christi fuisse causam moralem sui ipsius, per hoc quod Christus ipsam meruerit; prob. ant. 1. quia eadem res ut finis potest esse causa sui ipsius, ergo etiam eadem res moraliter potest esse &c. Secundo quia causa moralis non influit immediate in effectum, sed mediate solum, & propter voluntatem remunerantem, quam movet ad præmium conferendum.

Resp. ne. ant. & discrimen, quod est inter causam physicam & moralem, est existentia physica competens illi, & existentia moralis conveniens isti, quæ moralis existentia satis servatur, si res infallibiliter & absolute sit futura. Ad primam probationem conc. ant. ne. cons. differunt enim causa finalis & moralis præsertim in hoc, quod finis allicit & movet voluntatem ut possibilis, non ut existens aut infallibiliter futurus, sed ut ipse reducatur ad existentiam, causa vero moralis meritoria non movet ad præmium conferendum, nisi vel ut existens, vel ut futura, nec ut ipsa existat, sed ut existat aliquid aliud, quod sit ipsius præmium, unde nunquam idem erit causa sui ipsius. Quare ad 2. transm. assumptum, sed dico, ut moveatur voluntas remunerantis à merito, debere prius supponi meritum, per quod alliciatur & moveatur; nullum autem fuit meritum Christi, quod posset esse in priori ad unionem hypostaticam vel in se, vel in prævisione, proinde per hoc non potuit moveri moraliter Divina voluntas ad præmium, idest unionem hypostaticam conferendam.

45. Op. 3. Potest v.c. Rex dare alicui tanquam præmium arma propter opera bellica prævisa ut futura dependenter ab eisdem, ergo etiam potuit Deus conferre unionem hypostaticam Christo tanquam præmium propter opera prævisa futura dependenter ab illa.

Resp. transf. ant. ne. cons. disparem rationem dat S. Th. 2. p. qu. 114. art. 5. ad 3. & nos jam dedimus in quæstionibus de Grat. qu. ultima, quia nimirum arma non sunt principia victoriæ, utpote de se indifferentia, sed tale principium consistit in peritia militis nota Regi, per quam meretur sibi illa arma conferri; ab opposito principium cujuscumque meriti in Christo est unio hypostatica, ideo &c. dixi transf. cum possit concedi in genere causæ finalis, ita ut victoria reportanda ad arma conferenda Regem moveat, negari vero in genere causæ efficientis.

Dices. Saltem Rex potest arma militi dare in præmium sub conditione, idest si victoriam reportabit, ergo etiam Deus potuit conferre Christo unionem hypostaticam sub conditione, ut si postea bene operaretur, ipsam mereatur.

Sed contra; dato anteced. negatur cons. & redit jam allata disparitas; sed ant. est falsum, nam meritum sub conditione futurum jus ad præmium non potest conferre, alioquin Deus posset aliquem salvum facere, vel damnare ob merita, vel demerita conditionate futura, quod est falsum; Si igitur dabit Rex arma sub conditione victoriæ reportandæ, movebitur ab ista, tanquam à causa finali, nunquam tanquam à meritoria, ex amore enim victoriæ illa confert, tanquam media ad ipsam consequendum, neque dabit arma tanquam in præmium, sed per contractum innominatum, *do, ut facias*, post vero relatam victoriam arma fiunt præmium, & armorum continuata possessio fit præmium militis, cum prius non esset nisi donatio, seù melius promissio, vel commodatio.

Instabis; ergo saltem Christus potuit mereri continuationem unionis: sed con-

contra: transm. illatum, sic enim principium meriti non caderet sub merito; negari tamen posset, cum unioni hypostaticæ debita sit ex natura sua continuatio, & conservatio, sicuti est debita beatitudini, proinde non est, cur confugiamus ad meritum.

46. Op. ultimo. Potuit Christus prævideri, ac primo decerni futurus cum aliqua subsistentia indeterminata, ergo etiam potuerunt prævideri merita futura juxta hanc subsistentiam, sed per ista merita potuit moveri Deus ad dandam deinde ipsi subsistentiam determinatam Verbi, ergo Christus per opera subsequentia potuit mereri &c.

Resp. hypothesim istam, si possibilis est, destruere statum quæstionis, qui est, an iste Christus potuerit mereri &c. Christus autem prævisus futurus sub aliqua subsistentia indeterminata non esset hic Christus, ergo. Præterea; personæ in vago non confertur aliquod præmium, nec potest esse principium alicujus meriti.

ARTICULUS III.

An pura creatura potuerit mereri Incarnationem.

47. Difficultas extenditur ad Sanctos Patres, & ad Beatissimam Virginem; item ad substantiam, & circumstantias incarnationis. Atque in primis tanquam certum suppono, nullam puram creaturam quamvis habentem omnia dona gratiæ meruisse de condigno incarnationis substantiam, cum ex Divinis Scripturis mysterium hoc tribuatur summæ Dei liberalitati & dilectioni, ut constat ex alibi dictis; atque hoc ita intelligendum est, ut non tantum verum sit de facto, verum etiam de possibili, ita ut neque per absolutam Dei virtutem potuerit de condigno pura creatura incarnationem mereri, saltem loquendo propriè & perfectè; ratio est, quia non potest dari meritum de condigno, ubi non reperitur æqualitas saltem geometrica cum præmio, sed nullum opus puræ creaturæ potest esse etiam geometrice æquale dono incarnationis, cum hæc sit intime & substantialiter supernaturalis, sicut est persona Divina unita humanitati, ergo. Quod si Deus pactum iniret cum creatura conferendi incarnationem sub conditione alicujus operis, hoc nihil probat, quia licet promissio requiratur ad merendum de condigno in actu secundo, attamen vel est pura conditio, vel ad summum complet tale opus, proinde supponit in opere meritum, quod compleatur; & in eo casu daretur incarnatio titulo fidelitatis, non justitiæ, ut postulat meritum condignum. Certe doctrina plurium Scotistarum, quæ procedit hoc fundamento desumpto à pacto, & promissione Dei, quæ esse potuissent, nimis concludit, per hanc enim probatur, etiam quemcumque peccatorem per quodcumque opus ordinis infimi potuisse promereri incarnationem, quia Deus potuisset sub conditione talis operis incarnationem promittere.

48. Est igitur quæstio de merito congruo, & quidem quantum ad incarnationis exequtionem, nam si loquamur de ordine intentionis, seu de ejusdem prædestinatione, procul dubio tenendum est, pro hac in Sanctis Patribus nullum meritum etiam congruum esse potuisse, nam prædestinatio incarnationis est prior omni gratia quæ fuerit in Sanctis Patribus, tanquam ipsius radix, & negari non potest, omne ipsorum meritum fuisse ex fide Christi venturi, ergo supponebat Christum venturum, ergo etiam Christum prædestinatum; Rursus quæstio fit tam de incarnationis exequtione quantum ad sui substantiam, quam de ejusdem circumstantiis temporis, loci, ac stirpis. Qua in re.

49. Dico I. Sanctos Patres meruisse de congruo incarnationis circumstantias stirpis, temporis loci.

Prob.

Prob. ex Divinis Scripturis, in quibus Sancti Patres incarnationem enixis precibus postulabant Isaiæ 45. *Rorate cæli desuper & nubes pluant justum*. 64. *Utinam disrumperes cælos & descenderes* sed istę similesve preces erant aliquo modo meritoriæ incarnationis, ergo saltem de congruo Sancti Patres meruerunt incarnationem saltem quantum ad circumstantias. Prob. mi. quia valde congruum est, Deum cooperari hominibus justis facientibus quantum possunt ad obtinendum id, quod præsertim ad propriam salutem pertinet, atque exaudire preces servorum, & amicorum suorum.

Sed apertius declaremus, quomodo ad hasce circumstantias Sanctorum Patrum merita se habuerint. Si de stirpe agatur, pro hac fuit meritum Abrahami Dei præcepto obedientis, nec parcentis filio suo, propter quod ipsi dictum fuit Gen. 22. *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo Unigenito, benedicentur in semine tuo omnes gentes*. Si de loco sit sermo, pro hoc fuit meritum Simeonis, & Annæ Prophetissæ, expectabatur enim vehementer ab istis Redemptoris adventus, unde congruum fuit nasci eo loco, ubi possent illum naturaliter videre, & de Simeone dictum est Luc. 2. *Responsum acceperat Simeon à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini*. De Anna vero ibidem. *Non discedebat à templo jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte, & hac ipsa hora confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel* de qua dixit Ambros. lib. 2. in Lucam. *Talibus fuit moribus, ut digna fuerit Salvatorem omnibus nuntiare*. Tandem si de tempore loquamur, pro hoc fuit meritum Danielis, cui cap. 9. dictum fuit, abbreviatas fuisse septuaginta hebdomadas, quia vir desideriorum erat, & pro hac re est illud Prophetæ Psal. 11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus*, particula autem illa *nunc* indicat temporis accelerationem.

50. Eminentissimus Lugus disp. 8. sec. 4. num. 34. concedens, assertum nostrum verum esse de circumstantia stirpis, & loci, de illa temporis dubitat, immo in partem negativam deflectit, quam dicit esse Loreæ disp. 22. & Salmeron. tom. 14. disp. 29. in cap. 4. ad Galat. super illa verba, *usque ad præfinitum tempus*. Movetur autem ex quo, meritum in ratione meriti includit durationem, ergo etiam hoc meritum includit hanc durationem, ergo non potuit prævideri meritum Christi sine hac duratione, proinde sicut Sancti Patres non meruerunt, quod Christus moreretur, ita nec meruerunt, quod Christus tali tempore nasceretur.

51. Momentum hoc reiciemus in sequenti assertione; sed si laudatus Doctor non negat in Sanctis Patribus meritum stirpis, ac loci, non video, cur meritum temporis non debeat concedere; idem enim omnino argumentum confici potest; meritum in ratione meriti includit stirpem & locum, ergo etiam hoc meritum includit hanc stirpem & locum, ergo non potuit prævideri meritum Christi sine hac stirpe, & ubicatione, proinde, sicuti Sancti Patres non meruerunt, quod Christus moreretur, ita nec meruerunt, quod Christus ex hoc stirpe, vel in hoc loco nasceretur.

52. Regrediendo ad fundamentum nostrum, non obstat quod ait Richardus, Sanctos Patres certissime credidisse incarnationem; etenim sæpe contingit, Deum aliquid definire, quod vult per hominum vota & orationes impetrari; hoc manifestum est in Christo, qui pro electorum salute exorabat, quos tamen propter Divinam prædestinationem noverat certo fore solvandos; non alia de causa, nisi quia salvandi erant per media convenientia à Deo definita, inter quæ ejusdem Christi erat oratio; ita & Sancti Patres certo credebant, Chri-

Christum esse venturum, intelligebant tamen, velle Deum ab ipsis postulari, ut Christum obtinerent. Præterea; in Patribus erat certitudo de incarnationis substantia, non tamen de ipsius circumstantiis.

53. Dices rursus, ex textibus à nobis adductis inferri tantummodo, Sanctos Patres fecisse quantum poterant ad illas circumstantias impetrandas, non tamen eas meruisse, cum juxta doctrinam traditam à S. Th. 1. 2. q. 114. art. 9. ad 1. diversa sit ratio meriti à ratione impetrationis, siquidem ad meritum requiritur aliquid intrinsecum in ipso opere, ad impetrationem vero sufficit sola bonitas, & promissio Dei. Aliæ vero auctoritates facile explicari possunt, dicendo particulas illas *propter*, *quia* indicare causam finalem, non meritoriam, atque ita explicat Sanctus Augustinus in illa verba *propter miseriam* dicens, *Patrem misisse filium ad consolandos gemitus Pauperum* miseria enim est objectum misericordiæ, & movet ad solatium conferendum.

Sed contra; nego assumptum, & conc. impetrationem absolute distingui à merito; si tamen impetratio fit per preces personæ gratæ, & habentis amicitiam illius, apud quem est, à merito non distinguitur. Ita autem res se habet in casu nostro, ut dictum fuit; explicatio indicata admitti etiam potest, sed non tantum; miseria enim pauperum fuit secundum quid finis, propter quem misit Deus filium suum; amicitia vero & postulatio miseri fuit causa meritoria, sicut siquis mitteret medicum ad amicum ægrotum, ægritudo esset causa finalis, amicitia ægroti esset causa meritoria.

54. Op. 1. Impossibile fuit, fieri accelerationem incarnationis, ergo pro hac obtinenda nullum fuit in Sanctis Patribus meritum; prob. ant. Impossibile fuit mutari Divinum decretum, ergo. Prob. conf. Deus decrevit incarnationem tali, & non alio tempore faciendam, unde ait Apost. *quando venit plenitudo temporis misit Deus &c.* ergo si impossibile fuit &c.

Resp. ne. ant. ad prob. conc. ant. ne. conf. ad prob. dis. ant. decrevit incarnationem &c. attentis ac prævisis meritis Sanctorum Patrum conc. non attentis, nec prævisis hujusmodi meritis ne. ant. & conf. Cum dicitur, Sanctos Patres meruisse accelerationem incarnationis, non contenditur, Patres potuisse mereri mutationem divini decreti, hoc omnino repugnat, sed sensus est, ita Deum in sui prædefinitione disposuisse incarnationem, ut voluerit eos disponi ad ipsam suscipiendam, & per ipsam dispositionem mererentur de congruo, ne ultra differretur, quare cum potuisset pro alio posteriori tempore incarnationem velle, dari tali tempore ob merita Patrum decrevit; quod si perpendatur argumentum allatum, nimis probat, cum ad singulas res à Deo obtinendas meritum congruum excludat; etenim quando Deus decrevit v.g. pluviam, pro tali tempore dandam decrevit, ergo quis neque de congruo mereri poterit pluviæ accelerationem, & sic loquendo de reliquis, quæ si admitterentur, omnia pietatis opera deberent omitti; valet igitur in re nostra quod ait S. Th. in 3. dis. 4. q. unica ad 4. *Potuerunt mereri ejus accelerationem, Deus enim disposuit, ut eorum meritis & precibus fieret acceleratio*. Quod si Sanctus August. lib. 9. de novo testamento q. 83. ait, *Tunc venit, quando debuit venire, voluntatis suæ rationem sequutus, non meritorum, nam si merita perpendas venire non debuit*. Nihil contra nos, etenim certum est, incarnationem factam esse eo tempore, quo opportunius nullum, & præsertim quia Patres tunc erant dispositi, & de congruo beneficium hoc maximum promerentes, sed debet intelligi secundum aliquos juxta ordinem intentionis non exequtionis, & divinam liberalitatem in hoc fuisse, quod potius

Sanctorum Patrum vota precesque audire voluerit, quam in peccatorum scelera indignari, in quo sensu valent postrema verba, *si merita perpendas, venire non debuit*. Et si brevius velis explicare, dicas, *non meritorum* de condigno, non sic de congruo; sed peto ad adversariis, cum legitur Mat. 24. *Nisi abbreviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur* dicent ne divinum decretum mutari! Absit; ita in re nostra.

55. Dixi, secundum aliquos intelligi debet juxta ordinem intentionis, etenim Doctores illi, qui asserunt aliquid haberi ex meritis prævisis in exequtione, quin tamen habeatur in intentione; ut plures sustinent de prædestinatione ad gloriam, inquiunt, etiam circumstantias incarnationis ordine intentionis Sanctos Patres non meruisse sed solum ordine exequtionis, qui vero ita loquuntur de intentione sicut de exequtione, docent, in utroque sensu in Sanctis Patribus fuisse meritum; quare in hac re juxta principia sua quisque decernat.

56. Dices contra superiorem doctrinam; atqui Deus prædefinivit tempus incarnationis ante prævisa merita Sanctorum Patrum, ergo. Prob. sub. mi. Deus prævidit, & per consequens prædefinivit merita Christi ante merita Sanctorum Patrum, quia illa fuerunt principium cujuscumque meriti, quod in Patribus fuit, sed prævidendo, & prædefiniendo merita Christi, prævidit etiam & prædefinivit tempus, quo talia merita erant futura, ergo.

Sed contra; distinguentes ordinem intentionis & exequtionis facile respondent dicendo, prævidisse & prædefinisse tempus quantum ad intentionem independenter à merito Sanctorum, non sic quantum ad exequtionem, quod explicant paritate prædestinationis ad gloriam; nos autem dicimus prævidisse & prædefinisse tempus quomodocumque sumatur dependenter à meritis Patrum, quare autem non ita præviderit, & præviderit merita ipsius Christi, ratio afferetur in secunda nostra assertione; certe hoc dici in Scotistarum sententia subtiliter & justissime potest, nam sicut Deus prævidit substantiam incarnationis ante permissionem peccati, modum vero præfinivit post, ita prævidit & prædefinivit merita Christi ante prævisionem meritorum cujuscumque creaturæ, temporis vero circumstantiam post.

57. Op. 2. Per opera naturalia neque de congruo potest quis mereri vel gratiam supernaturalem, vel accelerationem ejusdem, v. g. quod citius à Deo vocetur, & habeat auxilia actualia, ergo à fortiori nec potest quis per opera supernaturalia mereri de congruo unionem hypostaticam, vel ejusdem accelerationem, datur enim major distantia inter opera supernaturalia & unionem hypostaticam ejusdemque accelerationem, quam inter opera naturalia & gratiam supernaturalem ejusdemque accelerationem. Conf. hoc amplius doctrina Sancti Aug. de prædest. Sanct. cap. 15. dicentis, *Ea gratia fit homo Christianus, qua ab initio ille homo factus est Christus*. Unde sic. Nemo de congruo meretur se fieri Christianum, vel citius fieri Christianum, ergo nemo etiam de congruo meruit, hunc hominem fieri Christum, vel citius fieri Christum.

Resp. conc. ant. tanquam definitum contra Pelagium ut docui in tract. de gratia, ne. conf. ad prob. concesso quod dicitur de unione hypostatica considerata in sui substantia, fatemur majorem distantiam inter opera supernaturalia & accelerationem incarnationis, quam inter opera naturalia & accelerationem gratiæ loquendo physice, &, ut inquiunt in ratione entis, non sic in ratione habitudinis, & loquendo moraliter; hujusmodi autem habitudo & respectus moralis explicari potest primo per hoc, quod de facto per actus super-

supernaturales attingitur objectum substantialiter supernaturale & in se, illud amando & videndo, ergo quia datur ordo inter actus supernaturales & ordinem hypostaticum; secundo quia actus supernaturales in nostro casu habentur dependenter à gratia habituali, gratia autem habitualis, utpote proveniens à gratia unionis tanquam à radice cujuscumque meriti, respectum servat ad ipsam unionem, proinde etiam actus ab eadem progredientes. Argumentum desumptum à doctrina Augustini in hoc habet proportionem, quod sicut nullus etiam de congruo sibi meretur, ut Christianus fiat, ita nec Christus sibi meruit incarnationem, sed sicuti quis potest mereri alteri, ut citius Christianus fiat, ita Sancti Patres meruerunt, ut citius ille homo fieret Christus, consequenter &c.

58. Major difficultas est in statuendo, utrum Sancti Patres meruerint de congruo etiam substantiam incarnationis, qua in re Joan. à S. Th. Gonet. Godoj, Salmantic. Suarez, Valentia, Puteobonel. affirmativam sententiam defendunt, negativam vero docuit Scot. in 4. dis. 2. q. 1. ad 3. quam præter suos sequti sunt Vasquez, Lugus, Cacheran. Madernus. Quænam autem fuerit mens Sancti Thomæ, diversimode contendunt Suarez, & Vasquez; Primus sic discurrit; S. Th. hic art. 11. eo modo affirmat Patres meruisse de congruo incarnationem, quo negat de condigno, sed hoc negat non solum de circumstantiis, sed etiam de substantia incarnationis, ergo illud affirmat non solum de circumstantiis, sed etiam de substantia. Secundus vero ita ratiocinatur; Tertium argumentum, quod Sanct. Doctor in eodem articulo sibi opponit, est hoc. Beata Virgo meruit esse matrem, ergo meruit incarnationem, & respondet, Beatam Virginem non ideo meruisse esse matrem, quia meruerit incarnationem, ergo concedit meritum circumstantiæ, idest maternitatis, & negat meritum incarnationis, sed ibi est sermo de merito congruo, cum nullibi concesserit meritum condignum, ergo. Sed de hoc Thomistæ cogitent; aliquid circa S. Th. doctrinam infra addam. Interea.

Dicendum. Sanctos Patres non meruisse de congruo substantiam incarnationis.

59. Prob. primo auctoritatibus, ultra adductas sub initio articuli: Luc. 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Ad Ephes. 2. *Propter nimiam charitatem suam convivificavit nos Christo.* Aliisque similibus, sed ex istis excluditur etiam meritum congruum, quia licet hoc non adimat omnino misericordiam, ejusdem tamen effectum minuit, qui minui non debet, præsertim cum non dicatur, propter charitatem, sed propter *nimiam* charitatem, ergo.

60. Prob. 2. ratione illa communi, semper tamen firma. Principium meriti non potest cadere sub merito, sed si Sancti Patres meruerunt etiam solum de congruo substantiam incarnationis, principium meriti debuisset cadere sub merito, ergo. Prob. mi. incarnatio quo ad substantiam fuit principium meriti in Sanctis Patribus sive condigni sive congrui, quemadmodum fuit principium cujuscumque gratiæ, à qua meritum dependet, ergo si &c.

61. Dices primo; incarnationem esse principium meriti in genere causæ finalis, & in intentione, non efficientis, & in exequtione, & ideo licet Sancti Patres in hoc secundo sensu meruerint incarnationem, principium meriti non cadit sub merito, vel modus, quo cadit, non repugnat. Hæc doctrina fuit S.Th. qui q. 29. art. 6. in corp. hæc habet; *Id quod est causa per modum efficientis, nullo modo potest esse posterius tempore eo, cujus est effectus,* sed Christus fuit posterior tempore meritis Sanctorum Patrum, ergo non potuit esse causa efficiens meritorum in Sanctis Patribus.

Sed contra; si incarnatio esset solummodo principium meriti in linea causæ finalis, non posset dici absolute principium meriti, sicut gloria cujuslibet electi, licet sit finis ejusdem meritorum, non potest dici principium eorundem, sed incarnatio dicitur absolute principium meriti in Sanctis Patribus, ergo. Secundo; ita incarnatio fuit principium meriti, sicut fuit principium gratiæ; sed fuit principium gratiæ in linea causæ efficientis, non quidem physicæ, sed moralis, ergo. Prob. mi. quia gratia Sanctorum Patrum ab omnibus appellatur gratia Christi, non vero gratia Dei immediate. Hinc pro mente Sancti Thom. dico, auctoritatem illam explicandam esse de efficientia physica, non morali, ad quam non requiritur, quod causa actu sit, sed quod infallibiliter futura sit; immo si dicta S. Thom. sequamur, sententia nostra magis roboratur, cum hic q.2. art.4. dicat, *gratia non potest cadere sub merito, quia est merendi principium, unde multo minus incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ secundum illud Joan. 1. gratia, & veritas per Jesum Christum facta est*. Quod si velis explicare de merito condigno, gratis explicas, cum ratio Angelici procedat, ex quo gratia sit principium meriti, sicut incarnatio gratiæ, sed gratia est principium meriti non solum finaliter sed efficienter, ergo etiam incarnatio erit principium gratiæ non solum finaliter, sed etiam efficienter modo dicto.

62. Dices 2. non potuisse incarnationem esse causam moralem efficientem gratiæ in Sanctis Patribus, cum influxus moralis præsupponat existentiam physicam, sicut loquendo generatim, omne morale fundatur in physico. Quod quidem magis promoveri potest hoc argumento; Gratia, quæ est solum futura, non potest movere Deum ad dandum aliquod præmium, sicut esset gratia Sanctorum Patrum, ergo incarnatio, per hoc quod esset infallibiliter futura, non poterat esse causa efficiens moralis gratiæ Sanctorum Patrum, prob. ant. Peccatum, quod solum est futurum, non potest movere Deum ad infligendam pœnam, ergo neque gratia, quæ solum est futura, potest movere Deum ad &c. Amplius sic. gratia, quæ est futura, non influit in opus meritorium, alioquin peccator, qui secundum præscientiam Dei habiturus esset gratiam, posset de condigno mereri, ergo neque incarnatio, quæ erat futura, influere poterat in merita Patrum.

Sed contra; non potest hoc dici nisi evertendo plura, quæ recta docet Theologia, nam Christus, etiam antequam physice existeret, erat caput morale Sanctorum Patrum, ut alibi tradam, ergo falsum est, omne morale fundari in physico, nisi in hoc sensu, quod existentia physica infallibiliter sit futura. Tali modo etiam salvi fiebant antiqui in fide Christi venturi, Christo operante non solum finaliter, sed etiam meritorie, alioquin quænam fuisset in ipsis causa meritoria? Alterum argumentum videtur vim præseferre, cujus quidem nego antecedens ad probat. ne. ant. si sit peccatum alicujus constituti tanquam capitis aliorum, sic enim moveretur Deus ad relinquendos reliquos absque aliquo in ipsorum infirmitate remedio; quanquam negarit etiam potest antec. absolute, etenim peccatum infallibiliter futurum movet in Thomistarum, omniumque sententia Deum ad reprobationem positivam, quæ est maxima pœna, quamvis sit in pura intentione, sicut prædestinatio est maxima gratia etiam in intentione; immo hoc contingit etiam in humanis; si enim Pater sciret infallibiliter, filium suum futurum Regem, nonne moveretur moraliter ad beneficia conferenda illi populo, cujus Rex filius esset futurus? Maximam igitur vim faciebant adversarii, ut peterent disparitatem, cum tamen nos antecedens negemus; non prohiberemur tamen aliquam disparita-

tem afferre in eo consistentem, quod Deus facilius movetur ad conferenda præmia, quam ad infligendas pœnas, & proclivior sit ad effectus misericordiæ, quam ad effectus justitiæ. Ad ultimum; antecedens est verum de gratia alicujus particularis personæ, non sic de gratia, quæ est universalis, & alicujus, ut capitis.

63. Op. Sancti Patres non solum petebant circumstantias incarnationis, sed substantiam, immo magis substantiam, ergo si meruerunt de congruo circumstantias, etiam substantiam; ant. patet ex variis scripturæ locis. Gen.49: *Salutare tuum expectabo Domine* Psal. 105. *Visita nos Domine in salutari suo*. Et aliis à nobis superius adductis, ergo quemadmodum nos probavimus, meruisse circumstantias, quia istas petebant, & congruum est Deum exaudire amicos suos, ita &c. Conf. argumento, quo maxime gloriatur, & tam efficaciter contendit Puteobonellus promovere. Ideo Sancti Patres non meruerunt substantiam incarnationis, quia principium meriti caderet sub merito, sed hoc probat, quod neque meruerint circumstantias, ergo si istas, etiam illam, prob. mi. incarnatio non fuit principium meriti sumpta in abstracto, sed sub talibus circumstantiis, neque in præsenti decreto fuit aliter prævisa, ergo hoc probat, quod neque &c.

Resp. magis extendi desiderium, quam meritum, unde Patres potuerunt petere etiam substantiam incarnationis, quin tamen illam meruerunt, & ipsam petendo meruerunt id, quod non erat principium meriti, hoc est circumstantias, non vero substantiam, uti probatum fuit, ex quo conc. ant. neg. conf. & affertur disparitas, per quod etiam solvitur argumentum, quod Suarez disp. 10. de causis incarnat. sect.6. existimat ad hominem, aut saltem ex principiis certis. Quanquam negari posset antec. & hoc juxta S. Th. in 3. dist.4. art. 1. ad 4. ubi ait; *Dicendum, quod ipsi non petebant incarnationem, quam indubitanter credebant futuram, sed petebant ejus accelerationem.* Ad argumentum aliud conc.mai. ne.mi.ad prob. dis. ant. non fuit principium meriti &c. prævisis meriti Sanctorum Patrum conc. non prævisis ne. ant. quod etiam concedunt ipsi Thomistæ & Puteobonellus, juxta dicta antecedenter in solutione objectionis; sed etiam omittendo responsionem illam, alia non deest, dicendo, incarnationem fuisse principium meriti sub talibus circumstantiis de materiali & concomitanter se habentibus, non sic de formali, quod constat, quia licet Christus natus esset alio loco, alio tempore, alia ex stirpe, adhuc æquali modo fuisset principium meriti. Prolixus est laudatus Doctor probaturus, eodem modo loquendum esse de circumstantiis, quo de substantia, sed valde fallitur, immo sibimetipsi contradicit; docet ipse eodem capite, potuisse Sanctos Patres mereri de condigno circumstantias, non tamen substantiam, ergo non est eodem modo loquendum de utrisque; atque hoc quidem tradit S. Th. in 3. dist.4. q. unica art. 4. ex qua doctrina sic argumentor. Licet de condigno potuerint mereri circumstantias, non tamen potuerunt substantiam, ergo licet de congruo meruerint circumstantias, non tamen substantiam.

ARTICULUS IV.

An & quomodo Beata Virgo meruerit maternitatem.

64. PEdibus tuis mentem meam, studium meum, me ipsum humillime sisto Clementissima Virgo. Quod olim Scotus de Christo, nunc ego de Te, ita ut in te laudanda malim excedere, quam à laude tibi debita contingat deficere. Fac tamen, ut de te digna promam; neque plus dicam, quod non placeat, neq; minus, quod offendat.

In

In difficultate proposita jam occurrit examinandum tum meritum congruum, tum condignum; & quidem si de illo sermonem instituamus, nemo est, qui ipsam Matrem Dei fateatur, & neget. Pro hac re mille congeri possent auctoritates; ait enim Hieronym. ep. 22. de custodia Virginitatis, *propone tibi Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur*. Ambrof. lib. 2. de Virginibus, *quid in singulis immorer? Quæ digna fuit, ex qua filius Dei nasceretur*. Ex Auguft. serm. 10. de Nativit. *Talis eligitur Virgo, quæ tantum haberet meritum, ut Dei filium in se susciperet*. Hinc Ecclesia, *Regina cæli lætare, quia quem meruisti portare* & alibi, *ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur*, quæ omnia saltem de merito congruo intelligenda esse, nemo prudens ibit inficias, quanvis enim aliquando meritum sumatur in ampla, & impropria significatione, ut legitur de Cruce, *quæ sola fuisti digna &c.* & de infantibus scribit Sanctus Cyprian. lib. 9. ep. 8. *Qui in ipso statim ortu gemitibus promerentur Dei misericordiam*. Attamen ubi agitur de actionibus liberis & ad sanctitatem spectantibus, ut in nostro casu, nequaquam tenet hujusmodi explicatio. Hac in re cecinit Prudentius in hymno ante cibum

Edere namque Deum merita
Omnia Virgo venena domat &c.

& Venantius Fortunatus in libro de æternis gaudiis.

Virginitas felix quæ partu est digna Tonantis
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

65. Idem etiam Theologica ratione probatur. Meritum Virginis excellentius fuit merito omnium Sanctorum Patrum, quod traditur frequenter à Sanctis Patribus, & nobis sufficiat illud Bernardini Senensis, *Virgo plus meruit, quam omnes Angeli, & omnes homines suis actibus* sed non fuisset excellentius, si non meruisset de congruo maternitatem, ergo. Prob. mi. Non fuisset excellentius, si de congruo non meruisset, plusquam meruerint Sancti Patres, sed si non meruisset maternitatem, non meruisset plusquam meruerint Sancti Patres, quia quantum ad alias circumstantias fuit meritum congruum etiam in illis, uti declaratum fuit, ergo.

66. Non inficior tamen, si loquamur de multis, quibus se ad maternitatem disposuit, nullum fuisse in Beatissima Virgine meritum, sed solummodo singularis gratiæ beneficium; hujusmodi fuit eximia illa sanctitas, quam in ipso primo conceptionis instanti consequuta est; hujusmodi perpetua vitæ innocentia, & carentia fomitis; atque juxta hanc doctrinam explico plures Patrum auctoritates, quibus videtur ipsi qualecumque meritum denegari; Ita est illa Hieronymi dial. 1. contra Pelag. dicentis. *Adverte, quod beatam se sic dicat non proprio merito, atque virtute, sed Dei in se habitantis clementia* illa Bernardi serm. de Nativit. Mariæ, ubi ait. *Quærant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus, Maria non prætentendit meritum, sed gratiam quærit*; nisi forte velis dicere, & bene diceres, excludi à Virgine meritum, quod esset ex viribus propriis, non quod ex gratia ipsam præveniente, & adjuvante.

67. Contra assertum nostrum dici posset, constare, Sanctos Patres postulasse incarnationem juxta desideria & preces in antecedenti recensitas, non constare Beatam Virginem postulasse maternitatem, immo tanta erat prædita humilitate, ut à tantæ dignitatis excellentia in votis, precibusque suis prorsus retraheretur, ut patet, quando nuntium accepit ab Angelo tanquam inopinatum, qua de re meritum Virginis excellentius est ad aliud præmium, non ad maternitatem.

Sed contra; Virgo non postulavit maternitatem, ergo non meruit, consequentia non tenet. Neque Abraham obe-

obediendo Deo, nec parcendo filio postulavit circumstantiam stirpis; & tamen illam promeruit; Virgo itaque in fide & humilitate postulans filii Dei adventum, ipsissimet orationibus magis meritoriis, quam illæ Sanctorum Patrum, obtinuit saltem congrue singulare præmium maternitatis, præsertim quando Angelo præbuit humiliter, & sine hæsitatione consensum; unde Chrysost. hom. 49. in Gen. *Quomodo*, inquit, *fieret istud, quoniam virum non cognosco? Atqui propter hoc ipsum fieret, nam si cognovisses virum, non fuisses habita digna, ut huic ministerio deservires*. Cetera, quæ opponi possent, refelluntur sicut illa, quæ in superiori articulo dicta sunt.

68. Major difficultas est, utrum Virgo meruerit plusquam de congruo suam maternitatem. In hac dirimenda aliqui non satis tribuere Virgini arbitrantes, meritum congruum concedentes, nimium vero tribuere meritum condignum non negantes, adinvenerunt tertiam speciem meriti mediam inter utrumque, atque hoc appellarunt meritum dignum, ita marsil. in 3. q. 5. art. 3. & S. Bonavent. dis. 4. art. 2. q. 2. Verum hæc opinio non est tanti facienda, cum penes Doctores omnes nullum aliud meritum recenseatur præter congruum & condignum, & solum est diversitas in modo loquendi non in re, ut notavit Cacheran. & prius Vasquez. Aliqui vero absolute negarunt meritum condignum; ita Cajet. hic art. 11. cum S. Thom. Gonet. Godoj, Suarez, Vasq. Lug. Puteob. Cacheran. & communiter Theologi, immo Cacheran. & Vasq. affirmant, hoc nec quidem fuisse possibile.

69. Argumentis pluribus assertum proprium nituntur ostendere; & primum desumitur ex S. Th. hic art. 11. ex quo meritum condignum Beatissimæ Virginis fuerit adæquatum per augmentum gratiæ, & gloriæ essentialis, sed meritum de condigno adæquatum non potest se ad aliquid aliud extendere, alioquin præmium esset excedens & supra condignum, ergo. Ferme in idem venit ratio à Suarez exposita, gratiam nimirum creatam, & opera ab ipsa profluentia tendere solum ad consummationem gratiæ usque ad consummationem beatitudinis, ergo per hanc omnino complentur. Præterea ad merendum aliquid de condigno requiritur divina ordinatio & promissio, ut nos docuimus in quæst. de merito, sed quod opera Virginis essent; ad merendam maternitatem nulla fuit ordinatio aut promissio divina, ergo. Rursus; maternitas est altioris ordinis, ita ut opus nullum creaturæ possit in sui dignitate, ac valore morali maternitatem attingere; & ratio est, quia quodcumque opus sit, semper est in ordine creato, maternitas autem est in ordine hypostatico excedente quodcumque creatum, ideo Virgini debitus est cultus hyperduliæ, & excellentior, quam ulli creaturæ propter gratiam debitus sit; Hæc est illa ratio, propter quam Gonet. & Cacheran. negant etiam possibile hujusmodi meritum.

70. Aliam rationem excogitarunt quidam recentiores, quia inquiunt, Beatam Virginem in cantico *Magnificat* hoc maternitatis munus non ad sua merita sed ad Dei referre misericordiam, quod verum non esset, si illud de condigno meruisset. Præterea ad Rom. 4. legitur. *Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei*. Sicut ergo Abraham de condigno non meruit, ut Messias ex sua stirpe nasceretur, ita Virgo de condigno non meruit, ut Messias in suo utero conciperetur.

71. Pater Vasquez parvi faciens superius momentum, duo proponit; unum ab absurdo, alterum à priori. Primum est, quia si Beatissima Virgo meruisset de condigno maternitatem, etiam Abraham de condigno meruisset, Messiam esse de stirpe sua, quia licet merita Virginis

ginis fuerint excellentiora, fuerunt tamen ejusdem naturæ, atque ad idem præmium relata, sed Abraham de condigno id non meruit, ergo neque Virgo. Secundum est; quia opera Virginis fuerunt ejusdem speciei cum operibus aliarum animarum, ergo erant digna tantum præmio ejusdem speciei, perfectiore quidem, sicut fuerunt perfectiora, alioquin dici posset, omnes animas justas dignas esse, ut essent Dei matres.

Hæc tamen omnia, & si quæ sint alia, me non movent; Quamobrem sentio, dici posse, Beatissimam Virginem de condigno meruisse maternitatem.

72. Utinam dubium hoc Sanctorum Patrum, qui tam præclare de Virginis laudibus virtutibusque scripserunt, menti occurrisset, procul dubio apertis verbis meam ipsi tradidissent sententiam; tradiderunt tamen explicito sensu & æquivalenti, dum tam energice & sublimiter ejusdem meritum attulerunt. Perpendantur eorum testimonia, quæ pro antecedenti asserto produxi; interim ego duo addam. Unum Joan. Damasceni lib. 4. cap. 15. ubi ait. ***Fuit Maria Sanctum, admirabile, ac summo Deo dignum templum.*** Aliud Bernardi serm. 1. de Assumpt. ***Nec in terris locus dignior uteri Virginalis templo, in quo filium Dei Maria suscepit, nec in cœlis regali solio, in quo Mariam filius ejus sublimavit.*** Ex primo sic argumentor. Ita dicitur Maria summo Deo dignum templum, sicut dicitur sanctum, & admirabile, atqui fuit sanctum & admirabile de condigno, ergo etiam fuit ita dignum. Ex secundo sic. Ad regale solium in cœlis fuit de condigno Maria à Deo sublimata, ergo etiam in utero suo Deum de condigno suscepit.

73. Si rationem intrinsecam à me petas, facile darem, si dicerem, gratiam collatam Beatissimæ Virgini fuisse specie diversam à gratia, quæ fuit in cæteris quibuscumque creaturis, hoc autem dicere nemo me prohibet, atque sub lite est, utrum dentur gratiæ specie diversæ, quod etsi de facto communius negatur, tamen fieri posse, nemo cum solido fundamento refragari potest; si enim divina voluntas potest diversimode participari etiam in specie, ut constat in actu spei, & charitatis, cur non poterit etiam divina natura, cujus participatio gratia est? Atqui gratia Beatissimæ Virgini collata dici potest specie diversa à gratia collata aliis creaturis ergo. Prob. mi. gratia collata Beatissimæ Virgini est, ut immunis esset ab originali peccato, ab omni fomite, & à quocumque veniali, sed hæc gratia dici potest specie diversa à quacumque alia aliis creaturis collata, quia nulla fuit; quam hæc privilegia sequerentur, ergo, Et quidem hæc omnia data sunt, ut digne fieret mater Dei, quod concedunt Suarez, aliique Doctores, & solum dicunt, aliud esse dignam dispositionem ad maternitatem, & aliud meritum condignum, quia etiam contritio est digna dispositio ad gratiam, nec tamen est meritum condignum gratiæ; sed non advertunt, gratiam esse principium meriti, maternitatem non esse hujusmodi principium, alioquin si valeret paritas, deberemus admittere augmentum in maternitate, sicut admittimus in gratia.

74. Argumento tamen alio possum ostendere quod mea interest. Beata Virgo habuit meritum majus, quam fuerit meritum maternitatis, ergo cur hoc non habuit? Ant. explicatur auctoritate Scripturæ Sanctæ, & Augustini; ex prima quidem, nam Beata Virgo meruit de condigno eum sanctitatis gradum, ad quem nemo pervenit, & per quem fuit apta mater Dei, ut omnes concedunt, sed ille sanctitatis gradus est meritum majus, quam meritum maternitatis, ideo Christus mulieri dicenti, ***Beatus venter, qui te portavit*** respondit, ***quin immo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*** quasi diceret, sunt verba Augustini tract. 10. in Joann. ***Mater mea, quam appellatis feli-***

felicem, *inde felix*; *quia Verbum Dei custodivit*, *non quia in illa Verbum Dei caro factum est*. Et rursus; *Beata Virgo felicior fuit percipiendo fidem Christi*, *quam concipiendo carnem Christi*. Et tandem lib. de Virginit. cap. 3. *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset*, *nisi felicius Christum corde*, *quam carne gestasset*. Ex quo prob. secunda pars illius antecedentis.

75. Superest ergo, ut argumenta contrariæ sententiæ refellamus, ex quo deinde rationem negativam proferemus, quod quidem sufficere potest, & debet in hac materia; si enim ad oppositum concludendum non impellimur, quæ pietas, quod obsequium in Virginem? Jam vero respondeo, sed si recte perpendantur dicta, responsio data est; ad duo enim priora argumenta negatur major primi argumenti, pro cujus negatione sunt omnes rationes nostræ; negatur antec. secundi, quod solum est verum generatim loquendo, non ita si de gratia Virginis propter easdem rationes. Ad tertium conc. maj. quæ tantum est vera de ordinatione, & promissione vel nobis nota, vel occulta, non vero necesse est, nobis esse manifestam, quare minor est falsa, utrum enim opera Virginis fuerint à Deo occulte ordinata ad meritum maternitatis, ipsisque eadem promissa; quis potest decernere? Erat ne nota ordinatio, & promissio Dei operibus Abrahæ, quod si immolasset filium suum, ex ejus stirpe nasciturus erat filius Dei, & tamen postea hæc ordinatio, & promissio declarata fuit; Quanquam absolute hæc promissio Virgini facta est, quando Angelus Luc. 1. dixit, *Ecce concipies & paries filium* (subintellige, si consensum præbes, hunc enim petierat) ergo consensus præstandus, & præstitus per ea verba; *Ecce ancilla Domini &c.* habuit ordinationem Dei, & promissionem maternitatis, & ex alia parte per fidem, humilitatem, actusque ferventissimos charitatis, quos habuit alloquente Angelo, habuit & meritum. Ad ultimum; jam demonstratum fuit, non tantæ esse æstimabilitatis maternitatem Dei, quantæ est gratia, ad prob. conc. maj. dist. mi. maternitas est in ordine hypostatico extrinsece & connotative conc. formaliter & intrinsece ne. mi. & cons. maternitas enim includit conceptionem Christi secundum talem humanitatem, non secundum unionem humanitatis cum natura divina, illa fuit terminus generationis, non ista, in qua nullam habuit Virgo physicam causalitatem, & in qua consistit substantia incarnationis, tanquam in termino non connexo necessario cum generatione talis humanitatis, ut infra dicam, & dicunt omnes nobis in hac sententia adversantes; sed quid rogo, ordinem hypostaticum mihi volunt opponere? Nonne etiam visio beata attingit hunc ordinem? Quia tamen attingit extrinsece, nihil prohibet, quod attingatur. Quod si res aliter se haberet, latriæ cultum deberemus concedere Virgini, non solum hiperduliæ, quam ipsi debemus, non propter maternitatem solam, sed propter istam & gratiam juxta superiorem S. Augustini doctrinam.

76. Alteri rationi respondet Vasquez disp. 33. cap. 2. num. 10. admirans, viros Theologos tam facile scripturæ testimoniis abuti, & merito quidem; si enim argumentum illud probaret, neque æternæ gloriæ meritum condignum admittendum foret, cum dicat Apostolus Paulus, *gratia Dei vita æterna* præter alia plura, quæ adduximus, dum in secundo nostro opusculo de divina gratia, de hujusmodi merito sermo haberetur; id igitur actum est à Beatissima Virgine, quæ divinæ gratiæ erga se & liberalitatis virtutem, cui totum tribueret, agnoscebat, at hoc meriti condigni conditionem naturamque non destruit, excluditur quidem quodcumque meritum, quod à solius naturæ viribus progrederetur, propter quod id de Abrahamo dictum fuit, quod adducitur in

in textu; Quod si Abraham condigne non meruit, quod Christus ex sua stirpe nasceretur, parum de hac re mea interest, longe majus, quam in Abrahamo fuerit, fuit meritum Virginis, immo ex hoc Beatam Virginem de condigno meruisse maternitatem optime probari posset.

77. Hinc colligitur, quid respondendum sit primæ parti argumenti à Vasquez propositi; concedit ipse merita Beatissimæ Virginis fuisse Abrahami meritis excellentiora, bene concedit, inquit fuisse ejusdem naturæ, hoc transmitti potest, etenim ex dictis num. 73. potest etiam negari; dicit, fuisse ad idem præmium relata, hoc negatur, & est id quod est in quæstione, quare ex aliis principiis superest id probandum; ex quo refellitur secunda pars ejusdem argumenti; si enim dicamus, gratiam Virginis fuisse ejusdem speciei cum gratia aliorum, qui justi inventi sunt, dicimus, merita procedentia ex gratia collata Virgini fuisse relata ad præmium, ad quod non fuerunt relata merita cæterorum, & revera, nonne etiam per Vasquez aliosque, Beata Virgo meruit illum sanctitatis gradum, quem nullus meruit ex aliis? Si vero dicamus, fuisse diversæ speciei, jam totum corruit, quod opponebatur. Ejus tamen argumentum excludit à Virgine etiam meritum congruum maternitatis. Sic ostendo iisdem verbis. Opera Virginis fuerunt ejusdem speciei cum operibus aliorum justorum, ergo erant digna tantum præmio ejusdem speciei, sed opera aliorum justorum non erant digna de congruo maternitatis, alioquin dici posset, omnes animas justas dignas esse de congruo, ut essent matres Dei, ergo.

Dent igitur omnes hunc Virgini honorem, & si tantum probabile est, quod sive pro una, sive pro altera parte statuitur, potius meæ adhærent, quam oppositæ.

Accipe quas potui tibi Virgo promere laudes
Digna parens Christi, sis mihi mater amans.

SECTIO I.

Quid sentiendum de Mariæ in partu Virginitate.

78. Etsi proposita difficultas non videatur hic pertractanda, ubi agitur de causa meritoria incarnationis, nihilo tamen minus cum de Mariæ merito per respectum ad maternitatem actum sit, permittas benigne Lector, aliquid de ejusdem Virginitate sive in partu, sive post partum in medium proferamus, summa enim, ut verum fatear, delectatione perfundor, cum de Maria dilectissima matre mea, cœli, terræque domina, omniumque creaturarum Regina, mihi sermo contingit.

Atque primo suppono, quod infra magis declarabo; Mariam revera fuisse Matrem Jesu Christi Domini Nostri; hanc in ejusdem conceptione & nativitate intactam omnino servasse Virginitatem una mens est omnium Catholicorum; contrarium vero sensit Jovinianus, cujus erroris meminit S. Ambros. quamvis suppresso nomine ep. 81. & clarius S. August. lib. de hæres. cap. 82. & 1. contra Julian. ferme sub initio, inquiens ita Jovinianum sensisse, *ne Christum cum Manichæis plantasma crederemus, si matris incorrupta Virginitate diceremus exortum*. Idem postea existimarunt quidam hæretici in Germania appellati Lothardi, ut referunt Tritem. in chronic. an. 1325. & si fidem præbemus Sandero lib. 7. de visib. Monarch. hær. 163. idem dixerunt protestantes, inter quos hæres. 219. recenset Buccerum, & Molinæum. Posset ex Catholicis hic afferri Durandus, qui licet de Maria Virgine recte sentiat; attamen opinans, duo corpora sese in uno loco penetrare non posse, dixit, eam sic parere potuisse,

se, ut facta fuerit partium, & naturalium viarum dilatatio, sine tamen aliqua fractione vel divisione, sicuti juxta August. lib. 14. de civit. cap. 26. & S. Th. 1. p. q. 98. art. 2. ad 4. peperissent mulieres in statu innocentiæ, si perseverasset; De hac Durandi opinione nihil proferre placet, cum ex philosophicis principiis statutum supponam, duo corpora in eodem loco esse posse. Quare, ut dogma fidei statuatur.

79. Dicendum 1. Beatissimam Virginem Christum peperisse remanentem omnino integram & incontaminatam.

Veritas hujus catholici dogmatis colligitur primo ex scripturis, signanter vero ex illo Isaiæ 7. *Dabit Dominus Deus vobis signum*; *Ecce Virgo concipiet, & pariet vobis filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Juxta hunc textum scripsit Matth. cap. 1. post enarratam desponsationem Mariæ & Josephi; *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus*. Porro ex laudatis Isaiæ verbis mysterium incarnationis omnes Sancti Patres colligunt & confirmant, ita ex græcis Iren. lib. 3. contra hæres. cap. 24. & 26. Justin. in Dial. contra Triphon. Euseb. lib. 7. de demonst. cap. 2. & lib. 5. hist. cap. 8. Basil. hom. 25. de humana Christi generatione; ex latinis Tertul. lib. contra Judæos, Cyprian. lib. 2. contra Judæos cap. 9. Hierony. in Isaiæ 7. Aug. serm. 2. & 4. de nativit.

80. Dices 1. Hæc prophetia Isaiæ referri nequit ad Christum, ergo neque ad Mariam; prob. ant. De Filio illo nascituro in eodem contextu legitur, vocandum esse Emmanuelem, pugnaturum contra Regem Assyriorum, accepturum virtutem Damasci, seu spolia Samariæ, sed hæc vera non fuerunt de Christo, ergo. Præterea; male legitur *Virgo concipiet &c.* sed *Alma concipiet* vox autem ista significat puellam & adolescentulam, non absolute Virginem, quare prophetia hæc ad Ezechiam pertinet ac matrem ejus. Hæc est Hæbreorum responsio.

81. Quam falsa sint hæc omnia, paucis declaremus. Si litteram occidentem inspiciamus, certe Christus neque in Assyrios pugnavit, neque virtutem Damasci aut Samariæ sustulit spolia, si vero mundi, ac dæmonis potestatem, ut fieri debet, consideremus, quis triumphator ut Christus? Quod si aliter dicamus, vanam prorsus asseremus prophetiam illam, cum in nullo homine adimpleta fuerit; fuit autem revera Christus Emmanuel, si nominis significationem, quam Isaias consideravit, attendamus; interpretatur enim, nobiscum Deus, Christus vero fuit verus Deus, & de Virgine natus, nobiscum fuit, immo futurus usque ad consummationem sæculi. Quid nobis opponunt male legi, *Virgo*? Reprehendantur, præter latinum interpretem, septuaginta seniores, & caldaica paraphrasis, à quibus hujusmodi versio habita est; nec aliud quidpiam significat vox *Alma*; & ubi Gen. 24. Rebecca ante desponsationem hebraice dicitur *Alma* latinus interpres legit Virginem, atque, ut notavit Hieronym. per vocem illam significatur Virgo jam apta viro, vel etiam Virgo abscondita; aliqui vero accuratius rem perpendentes dixerunt, *Alma* sine aspiratione significare Virginem nubilem, cum aspiratione, ut hic loci legitur, significare Virginem, quæ semper remanet Virgo, quod quam rei nostræ conveniat, nemo non videt; Quod postremo dicitur de Ezechia, falso omnino dicitur, quia, ut ibi adnotavit Hieronym. Ezechias saltem annis novem prius natus est, quam hoc fuerit ab Isaia prædictum.

82. Rejectæ responsionis falsitatem noverunt alii, ideo, ut argumentum à Prophetia desumptum evitarent, dixerunt, Virginem parituram sumi debere

bere in sensu diviso, non composito, ita ut sensus sit, quæ prius fuerat Virgo, pariet, non quod in partu Virgo sit permansura; Hæc est responsio hæreticorum, præsertim Erasmi; Verum, si hoc admittamus, idem, quod de pariente dicitur, dicetur etiam de concipiente, ita ut, quæ fuerat Virgo, concipiet, atque ita asseremus, Mariam neque concipiendo Virginem extitisse, quod est Evangelicam historiam pervertere, in qua non ex viri semine, sed Spiritus Sancti adumbrantis virtute concepisse describitur & præterea, quodnam signum & portentum promisisset Propheta, si quæ fuerat prius Virgo, conciperet ac pareret?

83. Progrediamur igitur nostram veritatem ex aliis momentis amplius confirmaturi; numquid ex gentilium persuasionibus, & prædictionibus Sybillarum? Multa refert Lactan. lib. 4. divin. instit. cap. 6. Euseb. lib. 4. de vita Constantini, S. August. lib. 18. de Civit. cap. 23. sed omnibus notius est illud, cujus meminit S. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. nimirum, Constantini tempore laminam ferream inventam esse, in qua scriptum legebatur, *Christus nascetur ex Virgine*. Nos tamen id declarabimus illis ferme verbis, quibus in hac re utitur Angelicus Doct. quæst. 28. art. 2. in corp. Valde enim conveniens fuit, quod Christus, qui est Verbum Patris absque aliqua corruptione Matris non solum conciperetur, sed etiam nasceretur, quemadmodum verbum mentis nostræ non solum absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione procedit, hoc etiam decuit ad incarnationis ostendendum effectum, qui enim venerat, ut nostram tolleret corruptionem, non absque nota matris virginitatem nascendo corrupisset; juxta ptimum Concilium Ephes. quod in quodam serm. hæc habet; *Quæ parit carnem puram à virginitate cessat: sed quia natum est in carne Verbum, Deus custodit Virginitatem, se ipsum ostendens per hoc Verbum. Neque enim nostrum verbum cum paritur, corrumpit mentem: neque Deus Verbum substantiale, partum eligens peremit Virginitatem*; & rursus; *Natura post partum nescit ulterius Virginem: gratia vero & parientem ostendit, & matrem facit, & virginitati non nocuit*. Juxta secundum ait August. serm. de nativ. Dom. *Fas non erat, ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta*.

84. Non solum autem Conc. Ephes. & Augustinus id senserunt, sed fuit communissima Sanctorum Patrum sententia. Si Proclum Cyzicenum legemus, hic hom. de Christi Nativit. sic infert. *Si ea, quæ genuit, Virgo non permansit, neque is, qui natus est, aliud, quam purus homo extitit*. Si Leonem I. serm. de Nativit., hæc inquit. *Merito Virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis, quia custodia fuit pudoris editio veritatis* & serm. 2. *Nova nativitate genitus est natus ex Virgine sine materna integritatis injuria, quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat qui & in se haberet humanæ substantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta nesciret*. Si Gregor. Nazian. hic orat. 38. de Nativ. sic scribit. *Christus ex Virgine, Mulieres virginitatem colite, ut Matres Christi esse possitis .... Procreationem bonore affici, & Virginitatem præferri oportebat*. Eadem invenies apud Cyril. Jerosolim. catec. 124. apud Ambros. ep. 81. Damasc. lib. 4. de fid. cap. 25. Fulgent. de duplici Christi Nativit. unico verbo, apud omnes.

85. Sed quo pacto apud omnes, si ex Scriptura & pluribus Patribus oppositum manifeste colligitur? Habuit hoc singulare præ cæteris mulieribus Maria, quod illis aperitur vulva etiam ut concipiant, Mariæ vero aperta fuerit, tantum ut pareret, & ita legitur Exod. 13. & num. 8. *Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur*. Hinc Epiph. hæresi 78. loquens de Christo, inquit,

inquit; *Hic est, qui vere aperuit uterum Matris*, quod & confirmant Chrysost. de occursu Dom. Orig. hom. 14. in Luc. Ambros. lib. 2. in Luc. & præ cæteris Tertul. de carne Christi cap. 23. ubi ponderans verba Pauli dicentis *factum*, *ex muliere* ait, non dixisse ex Virgine, *quia agnovit ad apertæ vulvæ nuptialem passionem*.

86. Sed iternm dico apud omnes; nec movent, quæ reponebantur; quod enim ex Scriptura affertur, juxta consuetum nativitatis morem dictum est, atque hoc optime expendit Beda lib. 1. in Luc. cap. 7. dicens, *non quod Dominus sacri ventris hospitium, quod ingressus sanctificaverat, egressus devirginasse credendus sit*. Quare, ut ait S. Th. loco laudato, illa adaperitio, quam Sancti Patres tribuunt, non significat reserationem communem claustri virginei pudoris, sed solum exitum prolis de utero matris; quanquam, si juxta communem scripturæ phrasim loqui velimus, vulvam claudere significat mulierem sterilem reddere, unde Gen. 20. legitur, *concluserat Dominus omnem vulvam domus Abimelech* & de Rachele Gen. 30. *Recordatus Dominus Rachelis exaudivit eam, & aperuit vulvam ejus* idest fœcundam effecit; hoc igitur pacto dicitur Christus vulvam Virginis aperuisse, idest contulisse illi fœcunditatem, quam nullus alius filius poterat illi conferre, & ita per hanc metaphoram Patres declararent, Corpus Christi non fuisse phantasticum, sed vera & reali nativitate productum; audi pro hac re Hieronymum dial. 2. contra Pelagian. sic dicentem; *Solus Christus clausas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamen clausæ jugiter permanserunt* & Euthy. Luc. 2. *Solus Christus nondum apertam supernaturaliter aperuit, & clausam naturaliter conservavit*, quod ad Tertul. attinet, ille loqueedi modus sine explicatione non est usurpandus, & juxta catholicum dogma Doctor iste loquutus est de carne Christi cap. 20. dicitur igitur Christus factus ex muliere, sed more loqutionis hebræorum sumendo mulierem pro fœmina, quod nomen etiam Virginibus convenit; hæc est explicatio Augustin. lib. 23. contra Faustum cap. 7.

87. Quomodo autem id factum sit, ut Maria, pariendo filium, Virgo prorsus permaneret, non est curiosius inquirendum, sed ineffabilis divina virtus agnoscenda, per quam sicut Christus januis clausis ingressus est ad discipulos, & obserato lapide è sepulcro surrexit, ita sine ulla virginei corporis injuria ex utero nasciturus exivit. Tota ratio facti est potentia facientis: *Hoc fides credat, intelligentia non requirat, neque aut non inventum putet incredibile, aut non repertum, non credat singulare* inquit August. lib. contra Felician. Arian. cap. 8. Dicamus potius ex Christi partu auctam fuisse Mariæ virginitatem, quam violatam. Hæc fuit mens Augustini serm. 15. de temp. dicentis. *Crevit in ejus partu integritas corporis potius quam decrevit, & virginitas potius ampliata est, quam fugata*. Hæc mens Petri Chrysol. serm. 142. hæc habentis. *In tuo conceptu in tuo partu, crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata*.

88. Sed quia, ut indicatum est, produximus exemplum Corporis Christi resurgentis, & post resurrectionem ad discipulos ingredientis, quo Sancti Patres ad ostendendam Christi nativitatem una cum Mariæ Virginitate frequenter utuntur, ideo fas est unum, quod reponere possent, reiicere; sumitur autem ex illis, quæ habet Gregor. Magnus hom. 26. in Evang. ubi dicit, quod *januis clausis ad discipulos post resurrectionem intravit Dominus, ostendit corpus suum esse ejusdem naturæ, & alterius gloriæ*. Igitur per clausa transire ad gloriam corporis pertinet, sed Corpus Christi in sui nativitate non fuit gloriosum sed passioni obnoxium in similitiudnem carnis peccati ut Apostolus

lus ait ad Rom. 8. ergo per clausa non transivit; & certe hoc alio titulo dici debet, cum in ejusdem Nativitatis Mysterio nihil sit, per quod ejus corpus phantasticum, non verum appareat.

89. Sed contra; non defuerunt qui dicerent, Christum in nativitate dotem subtilitatis assumpsisse, sicut quando sicco pede super mare ambulavit, dotem agilitatis assumpsit; Sed quamvis hoc à nobis non dicatur, argumentum refellitur, dicendo, corpori glorioso sine alio miraculo convenire clausa penetrare, corpori autem passibili per divinam virtutem operantem, ideò dicit August. tract. 121. in Joan. *Moli corporis, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt, ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente integritas matris inviolata permansit*. Quod si argumentum concluderet, eadem ratione dicendum foret, neque virginitate permanente fuisse conceptum. *Naturæ portas reseravit Emmanuel ut homo, sed virginitatis claustra non violavit, neque perrupit ut Deus, ita enim ex utero est egressus, sicut per aurem ingressus, ita natus sicut conceptus, qui impatibiliter fuerat illapsus, impatibiliter est elapsus* affirmat Proclus Cyzicenus à nobis supra laudatus. Ad additum resp. Sanct. Th. qu. 28. art. 2. ad 2. ita Christum voluisse veritatem sui corporis demostrare, ut etiam simul ejus divinitas declararetur, & ideo permiscuit mira humilibus. Ut corpus ejus verum ostenderetur, nascitur ex femina, ut ostenderetur ejus deitas, nascitur ex Virgine.

SECTIO II.

Quid sentiendum de Mariæ Virginitate post partum.

90. Virginitas, de qua hic sermonem instituo, in sola naturali perfectione & corporis integritate consistit, ita ut nec voluntarie, neque involuntarie, sive per vim, sive per attem, facta fuerit claustri virginalis fractio, neque feminis resolutio. Quæstio igitur est, an Beata Virgo voluntarie & per actum honestum, qualis est actus matrimonii, amiserit post Christi partum virginitatem, etenim tanquam certum supponendum est, neque ab aliquo negatur, neque per involuntarium coactionem, neque per concubitum illicitum, neque per aliquem actum turpem decus perdidisse Virginitatis. Fuerunt hæretici dicti Antidicomarianitæ, idest Mariæ contrarii, qui affirmarunt Beatam Virginem post Christi nativitatem filios alios ex Josepho concepisse. Hæresis istius author existimatur Helvidius, quamvis ab Origene hom. 7. in Luc. & Hil. can. 1. in Mat. alii antiquiores Helvidio recenseantur, & inter istos ipse S. Hieronym. in lib. cont. Helivid. Tertullianum fuisse testatur. Pessimus error iste prorsus extinctus erat, sed iterum excitatus ab aliis hæreticis novatoribus, quorum princeps & Magister fuit quidam Lucas Stertberger, ut refert Canis. lib. 2. de Beata Maria.

91. Dicendum, esse dogma fidei, Beatam Virginem perpetuam servasse Virginitatem, nec unquam virum aliquem cognovisse. Dixit enim Ezechiel cap. 44. *Porta hæc clausa erit, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*. Textum hunc perpenderunt omnes Sancti Patres, atque illum de Maria Virgine explicarunt Hieronym. dial. 2. contra Pelagian. Ambros. ep. 81. Chrysost. hom. de Joan. Bapt. Damasc. lib. 4. cap. 15. sed pro omnibus August. serm. 14. de natal. dom. & 18. de temp. hæc habens. *Quid est porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta! Et quid est, homo non transibit per eam, nisi quod Joseph non cognoscet eam? Et quid est, Dominus solus intrat, & egreditur per eam, nisi quod Spiritus Sanctus impregnavit eam, & Angelorum dominus nascetur per eam! Et quid est, clausa erit in æternum, nisi quod Maria Virg-*

Virgo est ante partum, & Virgo in partu, & Virgo post partum!

92. Hujus veritatis rationes plures affert Angelicus Doc. q.28.art.3. in c.1. ex parte Christi, qui sicuti secundum divinam naturam unigenitus est Patris tanquam perfectus per omnia ejus filius, ita decuit, esse unigenitum matris, tanquam perfectissimum ejus germen. 2. ex parte Spiritus Sancti, cui maxima injuria facta esset, si uterus virginalis, in quo, tanquam in sui sacrario, Christi carnem formavit, per virilem commixtionem violatus fuisset. 3. ex parte Virginis Matris Dei, quæ ingratissima visa esset, si tanto sibi filio non sufficiente alios voluisset, & integritatem illam, quam tam eximio miraculo servaverat Deus, sponte per carnalem concubitum voluisset amittere 4. ex parte Sancti Josephi, cujus animus nimis audax, si quam noverat de Spiritu Sancto peperisse, polluere pertentasset.

93. Verum dogma nostrum traditione perpetua, constantique Patrum doctrina magis ac melius declaratur. Hoc ita traditum in sacris conciliis reperimus, ut qui legerit S. Synod. can. 6. & sextum synod. act. 11. septimam syn. act. 3. in confes. Tarasii, & Concil. Lateran. sub Martino I. can. 3. rem indubitatam existimabit: Adde Siricium Papam cum Conc.Rom. in epis. decret. Ambros.cum Conc.Mediol. inrescripto, & epis. 81. Immo in universa Ecclesia nomen hoc *Virginis* absolute prolatum Dei genitrici tribui consuevit antonomastice, ut advertit S. August. in Enchirid. cap. 34. & Epiphan. hæres. 78. hæc habet. *Quis unquam, aut quo sæculo ausus est proferre Mariæ nomen, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem?* Hoc denique docuerunt Hil. can. 1. in Mat. Maxim: homil. de Cruce & sepultura Domini, Hieronym. epis. 22. ad Eustach. Gregor.Nyssen.orat. de sancta Christi navit: & Basilius hom. 25. de humana Christi generat: inquit, *divina dispensatione Mariam fuisse matrimonio conjunctam Josepho, ut ipsius esset custos virginitatis, non ut ex ipsa progigneret filios.*

94. Plura tamen ea sunt, quæ reponere contendit Helvidius. 1. Mat. 1. dicitur *Cum esset dispensata Mater Jesu, Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Et rursus, *Accepit eam conjugem suam, & non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum:* dum dicitur, *antequam convenirent*, Ergo infertur, postea convenerunt, dum dicitur *donec peperit*, ergo infertur, eam cognovisse postquam pepererit, dum dicitur, *primogenitum*, ergo infertur, alios genuisse, non igitur semper Maria fuit Virgo.

95. Hæc omnia Sancti Patres noverunt, neque apud ipsos illationes Helvidii, immo blasphemiæ reperiuntur sed unanimi consensu dixerunt, ibi negatum quod factum non est, non aliud affirmatum quod vel factum sit, vel faciendum esset; & quamvis particula *ante* interdum significat rem aliquam, quæ consequtura est, non tamen eam semper significat; sicut si dicerem, antequam dormirem in lectulo meo, iter arripui, non inde sequitur, quod post arreptum iter in lectulo dormierim, vel habuerim animum dormiendi. Eodem pacto explicatur particula *donec* per hanc enim indicatur, id non fuisse factum usque ad illud tempus, ex quo potius inferri debet, id multo minus factum esse post illud tempus, solet namque ea particula usurpari ad innuendum tempus illud, quo præcipue judicari posset id evenisse, quod evenisse negatur, sic Gen. 8. legitur, *misit corvum, qui non revertebatur, donec siccarentur aquæ*, & sensus est, si corvus reversurus erat, tunc præsertim, quando aquis diluvii terra operiebatur, nam post illam exsiccatam non erat cur reverteretur, ex quo igitur rediisse negatur, non af. firmatur postea rediisse, sed unicuique relinquitur judicandum, multo minus po-

stea reversum esse; Ita res se habet in casu nostro, dum dicitur Joseph eam non cognovisse donec peperit, negatur maritalis conjunctio ante partum, quia eo tempore præsertim videbatur facta, de sequenti vero tempore non affirmatur, immo perspicuum relinquitur, quod si ante partum con convenerint, multo minus convenerint post partum. Pariter ps. 113. habetur, *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri* inferes ne ex hoc, oculos nostros esse à domino avertendos, postquam nostri misertus fuerit? & dum ps. 109. dicitur, *sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* concludes ne non esse à dextris sessurum, postquam ita inimicos posuerit. Non desunt aliqui Doctores, qui ly *non cognoscebat eam* explicant non de cognitione coitus, sed de cognitione mentis; *non cognovit eam*, inquit Chrys. homil. 1. in Mat. in opere imperfect. *Joseph antequam pareret, cujus fuerit dignitatis, sed postquam peperit, tunc cognovit eam, quia per ipsius prolem speciosior & dignior facta fuerat, quam totus mundus, quia quem totus mundus capere non poterat, in angusto cubiculo uteri sui sola suscepit.* Neque ex illa particula primogenitum quidpiam potest evinci, nam in scriptura sacra non solum primogenitus vocatur ille, quem alii fratres sequuntur, sed etiam qui primus natus est, alioquin sacerdotibus non fuissent debita primogenita quamdiu non fuissent alii filii procreati, quod falsum est, cum secundum legem intra annum & post mentem mandentur redimi primogenita.

96. Major contra nos excitari videtur difficultas, ex quo in Evangelio frequenter fiat mentio fratrum Jesu Christi. Sic Joan. 2. legitur. *Post hæc descendit Capharnaum ipse, & mater ejus, & fratres ejus*: oportet igitur, Mariam alios habuisse filios, qui fratres Domini dicerentur, juxta hæc Mat. 27. habetur. *Erant ibi*, idest juxta crucem, *mulieres multæ à longe, quæ sequutæ erant Jesum à Galilæa, ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Jacobi & Joseph mater, & mater filiorum zebedæi*. Maria autem, quæ dicitur Jacobi, & Joseph Mater, videtur esse mater Christi, nam Joan. 19. dicitur, *stabat juxta crucem Jesu Maria mater ejus*, igitur post partum Maria Virgo non permansit.

97. In hac re dirimenda non una fuit Doctorum sententia. Patres Græci, ut Epiphan. hær. 51. Theophyl. Mat. 23. & Joan. 19. Orig. Mat. 23. Gregor. Nys. orat. 2. de resurrect. Christi, Euseb. lib. 2. hist. eap. 1. Niceph. lib. 1. cap. 7. à quibus non recedunt plures ex Latinis, ut Hilar. can. 1. in Mat. Ambros. in epis. ad Galat. 1. & August. in eandem, docuerunt, eos, qui fratres domini appellantur, fuisse filios Joseph ex alia uxore, quam ante Virginem duxerat, ex quo fit, ita dictos fuisse fratres domini, sicut Joseph dicebatur Pater Christi, idest appellatione atque existimatione. Ad dicendum autem, Josephum ante Mariam aliam uxorem duxisse moventur ex eo, quod, ut communis est Ecclesiæ traditio, dum Mariam duxit, senex erat, credi autem non potest, toto illo tempore à nuptiis abstinuisse, quia in lege vetericontinentia non æstimabatur, habuit igitur aliam uxorem, ex qua filios procreavit, cum sterilitas opprobrio tunc temporis tribueretur.

98. Ut omnia recto ordine resolvantur. Dicendum 1. istos fratres domini filios Virginis non fuisse, sicuti supra demonstratum fuit, sed quantum ad propositam difficultatem attinet, magis ex evangelica narratione declaratur, Mat. 27. & Marci 15. recensentur, *Maria Magdalena, Maria Jacobi & Joseph Mater, & Mater filiorum zebedæi*, seu *Salome*, ut loquitur Marcus. Ioan. autem 19. legitur fuisse juxta crucem tres mulieres, *Matrem domini, sororemque ejus Mariam Cleophæ, & Mariam Magdalene*. Porro Mariam Jacobi & Joseph matrem

trem, qui dicuntur fratres domini, non fuiſſe Mariam Matrem Jeſu, certo certius ex pluribus momentis colligitur. 1. quia, ut bene advertit S. Th. hic art. 3. ad 6. Beatiſſima Virgo in evangeliis appellari non conſuevit, niſi cum hoc digno nomine, *Mater Jeſu* ſeu *de qua natus eſt Jeſus*, & Luc. qui in evangelio cap. 24. alteram *Mariam Jacobi* nominaverat, Act. 1. Virginem vocat, *Maria Jeſu*: quare igitur hic, prætermiſſo Chriſto, vocaretur *Mater Jacobi & Joſeph*, ſi eadem *Jeſu Mater* fuiſſet? 2. quia ubicumque Dei genitricis mentio contingit, aut primo loco, prout ejus dignitas poſtulat, collocatur, ut patet Joan. 19. aut certe poſtremo ab aliis mulieribus ſejuncta, ut act. 1. *cum mulieribus, & Maria Matre Jeſu*. 3. quia Mat. 28. dicitur. *Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre Sepulcrum* hæc igitur altera Maria illa eſt, quam cap. 27. appellavit Mariam Jacobi & Joſeph Matrem, ergo non erat Maria Virgo, quod ſic oſtendo. Inter has Marias maxime laudatur zelus & charitus Mariæ Magdalenæ, cui etiam primo ſe Chriſtus oſtendit, ſed hoc dici non poſſet, ſi cum ipſa fuiſſet Maria ejus mater, ergo hæc altera Maria eſſe non poterat Maria Mater Jeſu; pr. mi. manifeſta eſt, niſi velimus Mariam Magdalenam Deiparæ præferre, & huic domi filii ſui reſurrectionem, quam incunctanter crediderat, expectanti primo Chriſtum apparuiſſe communis eſt ſenſus Eccleſiæ. Præterea. Prorſus incredibile eſt, Mariam fuiſſe unam ex illis mulieribus, quæ ementes aromata valde mane una ſabbathorum venerunt ad monumentum, ut corpus ungerent Chriſti, Iſtæ enim de Chriſti reſurrectione dubitabant, unde Maria Magdalena timuit, ne quis ejus corpus ſuſtuliſſet, immo Apoſtoli, ut legitur Luc. 24. iis, quæ à mulieribus narrabantur, non crediderunt, ſed *viſa ſunt ante illos ſicut deliramenta verba iſta*: quæ omnia procul dubio non eveniſſent, ſi hæc à Maria Matre Jeſu dicta eſſent.

99. Ex his igitur apparet, Jacobum & Joſephum B. Virginis filios non fuiſſe, ſed alterius Mariæ, quamvis dicti ſunt fratres domini, & idem dicendum de aliis, quibus in ſcripturis hæc appellatio tribuitur; Qua de re potius concedendum eſſet cum Patribus græcis, illos fratres domini dictos eſſe, quia etſi non fuerint ex Maria nati, fuerint tamen à Joſepho ex alia uxore geniti; Sed revera etiam hoc falſum eſt, quamvis non ſit contra fidem, ſicut eſſet, ſi diceremus natos ex Maria; Punctum hoc clare inſinuant plures ex ſanctis Patribus, qui de Sancto Joſepho accuratius ſcripſerunt: leganturBeda in 2. Joan. Hugo de S. Vic. q. 5. in epiſ. ad Galat. Pet. Damian. epiſ. 11. Anſel. in 12. Mat. mihi ſatis erunt S. Hieronym. & S. Auguſt. Primus in fine libri contra Helvid. ſic concludit de S. Joſepho, *relinquitur, Virginem permanſiſſe cum Maria, qui Pater domini meruit appellari*. Secundus vero ſerm. 14. de Nativit. ſic Angelum loquentem ad Joſeph introducit. *Habe ergo Joſeph cum Maria conjuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus naſcitur Angelorum; Sit Maria mater Chriſti in carne ſua virginitate ſervata, ſis autem & tu Pater Chriſti cura caſtitatis, & honorificentia virginitatis, gaude Joſeph virginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti virginalem affectum poſſidere conjugii, quia per meritum virginitatis ita ſeparatus es à concubitu uxoris, ut Pater diceris Salvatoris.*

100. Huic rei confirmandæ plures etiam rationes addere non prohibemur; Conſtat ex ſuperius dictis, Mariam Jacobi & Joſephi matrem eo tempore vixiſſe, quo Beatiſſima Jeſu mater vivebat, ſi igitur Jacobus & Joſeph fuerunt filii Joſeph, duos eodem tempore hic habuit uxores, quod etſi fortaſſe tunc a lege non prohibebatur, attamen de tanto viro aſſerere nefas videtur, dedecebat

bat enim summopere, Beatam Virginem aliam ejusdem mariti sociam habere, qui affectum & officium suum cum alia divideret, quique ab aliis curis omnino liber & expeditus non esset, ut posset Virgini & puero Jesu deservire in laboribus, in vigiliis, in itineribus; dedecebat insuper, ut eodem tempore, quo Joseph cum Virgine habitabat, aliam cognosceret feminam. Secundo Horum, qui fratres Domini dicuntur, parentes alios præter Josephum Evangelium commemorat, Jacobus siquidem minor, *frater Domini* Mat.3. Marci 3. Luc.6. Act.1. dicitur Jacobus Alphæi, quibus in locis Jacobus major dicitur filius Zebedæi; Sed quomodo, inquies, hic, qui dicitur Jacobus Alphæi, dicitur etiam filius Cleophæ? Prætermissis pluribus explicationibus sacrorum interpretum, prius adnoto, quatuor in Evangelio fratres domini numerari, Jacobum, Josephum, Simonem, & Judam; hoc posito dico cum S. Th. ad Galat. 1. lect. 5. probabile esse, illam Mariam prius fuisse nuptam Alphæo, & ex hoc genuisse Jacobum & Joseph, mortuo Alphæo nupsisse Cleophæ, & ex illo procreasse Simonem & Judam, & ita factum esse, ut omnes appellarentur filii Cleophæ, proinde etiam fratres domini. Alii dicunt, eundem hominem fuisse Alphæum & Cleopham, sed Alphæum dictum à nomine, Cleopham vero à familia, seu cognomine & gentilitate, ita ex Chrysost. Theodoret. ac Theoph. in 1. ad Gabat. Alii vero cum Cæsare Baronio asserunt, quatuor illos fratres Domini revera non fuisse fratres, sed Jacobum & Joseph fuisse fratres & filios Alphæi & Mariæ, Simonem autem & Judam fuisse filios Cleophæ & alterius Mariæ. Sive unum, sive alterum dicamus, semper concludetur, nequaquam fuisse filios Joseph viri Mariæ, de qua natus est Jesus, quod nobis satis est, quin prolixius hoc pertractemus.

101. Ut igitur historiæ evangelicæ veritas simul servetur. Dicendum 3. istos fratres domini fuisse dictos propter quandam consanguinitatem aut veram, aut existimatam, quæ fuit sententia S. Hieronymi contra Helvid. S. Augustini lib.22. contra Faus. cap. 25. Bedæ lib.2. in Mar. & plurium aliorum, quos præterimus. Adnotandum scilicet est quatuor modis fratres dici in scripturis, natura, sicut fuerunt Jacob & Esau, affectu, sicut Christus Joan. 20. appellat Apostolos, fratres, gente, seu natione, sicut Deuteron. 17. omnes Israelitæ dicuntur fratres, & 2. Mach. 1. scribitur *Fratribus, qui sunt per Egyptum Judæis, salutem dicunt fratres, qui sunt in Jerosolymis, Judæi*. Et tandem cognatione, seu propinquitate, sicut Gen. 13. Loth & Abraham dicuntur fratres, cum tamen constet ex cap. 11. Loth fuisse Nepotem Abraham. Christus non fuit frater natura, ut declaratum est, fuisse fratrem affectu & natione non sufficit, alioquin omnes Apostoli & Judæi fuissent ejusdem fratres, superest ergo fuisse quadam cognatione seu consanguinitate.

102. Quænam vero fuerit hujusmodi consanguinitas, respondent aliqui, hos fratres domini fuisse consobrinos Christi, ex quo fuerint filii sororum Beatissimæ Virginis; Asserunt siquidem, Annam Virginis matrem post obitum Joachim alium virum duxisse, qui Cleophas nominabatur, atque ex illo peperisse Mariam Cleophæ, quæ fuit mater Jacobi & aliorum; Rursus, defuncto Cleopha alium duxisse, cui nomen Salome, & ex isto peperisse Mariam Salome, quæ fuit mater Joannis, & Jacobi majoris, filiorum Zebedæi. Hoc colligitur ex Glos. ordinaria in cap. 1. epis. ad Galat. ex Aug. de S. Vict. & Echio in serm. de fest. S. Annæ, immo ex Hieronymo contra Helvid. Beda vero act. 1. dicit Mariam Jacobi fuisse materteram Christi.

103. Hoc tamen nullo pacto probandum existimo, si enim, ut communis asserit Patrum traditio, Anna usque ad seni-

senilem ætatem sterilis fuit, ita ut divino munere conceperit Virginem, quis sibi persuadere poterit, post Virginis partum, & obitum Joachim, ad secundas nuptias transiisse? Decebat summopere, Beatam Virginem esse unigenitam filiam, ut certissime constaret fuisse divina virtute in senectute, & ex sterili conceptam; Quod si hoc de Isaac & Joanne Baptista tali modo conceptis affirmamus, cur non potiori jure de Virgine Maria profitebimur? Utique Hieronymi, aliique Patres Mariam Cleophæ Virginis nostræ sororem dicunt, immo & dicit Evangelium, sed quomodo fuerit soror, non explicant, nec est necesse, fuerit soror naturalis in primo gradu, sicut quod plures dicantur Patres, necesse non est, habeant vel eumdem Patrem, vel eamdem Matrem, ut dictum est; Quod si cogeremur dicere, Annæ fuisse aliquam aliam filiam præter Mariam, potius dicendum foret, Joachim habuisse aliam uxorem, quam alias nuptias Annam contraxisse. His adde oppositam opinionem omnino corruere, si temporum ratio accurate supputetur; Si enim fides adhibeatur Eusebio lib. 3. hist. cap. 10. Simon, qui dicitur frater Domini, fuit post Jacobum Episcopus Jerosolymitanus, & mortuus est sub Trajano anno imperii sui decimo, cum ad centesimum & vigesimum ætatis suæ annum pervenisset, quod prædictæ opinioni omnino repugnat, idem argumentum fit de Jacobo, qui septimo Neronis anno mortuus est, nonagesimo sexto ætatis suæ anno martyrio coronatus, ut narrat Epiph. hær. 78. Pariter Joannes Evangelista non potuit esse filius tertiæ sororis Virginis, quia debuisset ejus ætas incipere aliquot annis post Christum, & tamen constat defunctum esse sub initio imperii Trajani, ob ortu Christi anno centesimo, cum ipse jam nonagesimum nonum ætatis annum attingeret. Hæc igitur historia de aliis nuptiis S. Annæ, & aliis Mariis ab ea genitis prorsus reiicienda est.

104. Existimo propterea, eos fratres domini fuisse dictos propter propinquitatem putatam, cum enim Maria Jacobi, & Joseph fuerit Maria Cleophæ, & Cleophas esset frater Sancti Josephi, quemadmodum iste putatus est Pater Jesu Christi, ita illi putati fuerunt Christi fratres, atque ex hoc etiam patet, quomodo Maria Jacobi dicta sit soror Virginis Mariæ, quia, sicut ambæ erant uxores duorum fratrum, ita inter se sorores noncupabantur.

105. Sed quia quod dictum est, Mariam Virginem alios filios non habuisse, tanquam dogma fidei est tenendum, superest, ut unam sententiam Sancti Basilii, quæ videtur contrarium probare, in medium afferamus, & explicemus; Doctor iste post relatam illorum opinionem, qui sentiebant, Mariam post Christi nativitatem carnalem copulam cum viro habuisse, hæc addit. *Nos vero, licet nihil hoc doctrinæ pietatis officeret, nam donec dispensabatur Christi generatio, necessaria erat Virginitas, quid vero postea sit factum ad mysterii hujus doctrinam, non anxie conjungendum est; Veruntamen ne hoc eorum, qui Christum amant, ferre cogantur aures, quod genitrix Dei aliquando desierit esse Virgo, has rationes sufficere putamus &c.* Quibus videtur innuere, veritatem hanc ad fidei dogma nequaquam pertinere; Verum in hoc sensu excipiendus est Basilius, ut indicare voluerit, errorem illum non fuisse contrarium nec incarnationis mysterio, nec miraculosæ Christi conceptioni, esse tamen contrarium fidei ex aliis capitibus, quæ ibi Basilius nec ponderat, nec recenset.

ARTICULUS V.

Quænam fuerit, vel esse potuerit causa efficiens incarnationis.

106. Causa efficiens alicujus rei vel esse potest principalis, vel instrumentalis, vel etiam dispositiva, producendo dispositiones connexas cum ea re, quæ vel principaliter, vel instrumentaliter ab aliquo producitur.

Quod pertinet ad causam principalem incarnationis, tanquam certum existimandum est, solum Deum, totamque trinitatem hanc fuisse, ut jam definitum fuit in Concil. Later. sub Mart. 1. can.2. Later. sub Inn.3. cap. *Firmiter* de summa Trinitate. Tolet. 6. & 11. & traditur ab Augustin. 1. de Trin. cap. 4. Hoc satis colligitur ex divinis scripturis, in quibus opera unius personæ omnibus indivisim personis tribuuntur, cum sermo contingit de operibus ad extra, sicut est incarnatio; Solum inquam Deum, juxta illud Luc. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te*, & Mat. 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Atque hoc ita intelligi debet, ut neque possibilis fuerit alia causa hujusmodi efficiens, hæc enim deberet communicare, & unire naturæ humanæ divinam personalitatem, sed nulla creatura potest communicare, & unire naturæ humanæ &c. ergo. Prob. mi. Quod aliquid communicat, aut debet esse id quod communicat, aut debet continere, sed nulla creatura potest vel esse divina personalitas, vel illam continere ergo. Deveniendo ergo ad causam instrumentalem,

107. Dico, nullam puram creaturam vel fuisse, vel potuisse esse causam efficientem instrumentalem incarnationis. Ita communiter Theologi contra Madernum & Suarez, qui sustinens creaturam posse ad hoc elevari, dicit probabile hoc esse in Virgine Matre Jesu factum.

Prob. Ut causa instrumentalis differat à mera conditione, debet aliquo modo physice effective influere in effectum & si aliquid uniat, debet illud determinare ad unionem, sed nulla creatura aut determinavit, aut determinare potuit Verbum divinum ad unionem cum natura humana, ergo. Prob. mi. nulla creatura vel reddidit, vel reddere potuit naturam humanam aptam ad effective attingendam personam divinam, cum natura humana semper infinite distet à persona divina, ergo.

108. Atque per hanc rationem refellitur argumentum, quo utitur Suarez, nimirum in hac unione cum Verbo non fieri actionem & mutationem ex parte utriusque extremi, sed circa unum tantum, idest, circa humanitatem, ad quam se extendit natura creata, nam licet extensio ista admittatur ad humanitatem, ut humanitatem, non tamen ad istam, ut reddendam idoneam ad physice & effective attingendam personam divinam propter dicta.

109. Quod vero dicit prælaudatus Doctor de Virgine, pluribus Sanctorum Patrum testimoniis demonstrare contendit, nam Esichius tom. 2. de Virg. tom.7 appellat Mariam *instrumentum incarnationis ejus, qui omnia produxit.* Ambrosf. epis. 82. inquit, *Per hominem & mulierem caro ejecta est de Paradiso, per Virginem juncta est Deo.* S. Bernard. lib. 5. de consid. circa finem vocat Mariam, *mulierem illam, quæ carnem, animam, & divinitatem tam bene fermentavit, ut ne divisione quidem facta carnis & animæ, caro vel anima à divinitate divideretur.*

Verum pie ac devote loquuntur hi Sancti Patres, & confundunt efficientiam instrumentalem moralem, scilicet meritoriam cum causalitate instrumentali physica; vel sumunt instrumentum in sensu magis amplo, ac remoto, prout explicatur per quidquid aliquo modo ad productionem alicujus requiritur, in quo sensu per sanguinem suum Virgo non fuit tantum causa instrumentaria; sed princeps; immo hoc dicendum

ctum foret, si stricte auctoritatem Ambrosii acciperemus, etenim per hominem & mulierem, tanquam per unicam causam, caro ejecta est de Paradiso.

110. Op. 1. Unio in incarnatione est quid creatum, ergo non repugnat elevari creaturam ad illam saltem instrumentaliter producendam. Conf. Transubstantiatio Eucharistica fit instrumentaliter à ministro per verba consecrationis, ergo etiam fieri potuit incarnatio, præsertim quod in tali transubstantiatione producitur idem Christus productus à Virgine.

Resp. dist. ant. est quid creatum etiam conc. tantum ne. ant. & conf. & ex illa parte, in qua est quid creatum, idest ex parte humanitatis requiritur, hanc reddi aptam ad attingendum aliquid increatum, quod repugnat; Ad Conf. conc. ant. ne. conf. disp. est, quia transubstantiatio terminatur formaliter ad corpus, non vero ad Christi divinitatem, nisi concomitanter, propter indissolubilem unionem, quam Trinitas tota conservat; atque in ea per me corpus non producitur, sed solum adducitur ut tradam in tract. de Eucharist. Unio autem incarnationis terminatur formaliter ad Verbum divinum, proinde plus requiritur.

111. Dices. Sed etiam hic divinitas tantum adduceretur, & non produceretur, cum hoc secundum impossibile sit, & neque factum fuerit à Spiritu Sancto, cui tamen tribuitur efficientia principalis incarnationis, ergo. Sed contra; adduceretur, & simul formaliter uniretur, ad quam unionem nulla creatura habere potest virtutem, neque instrumentalem, cum licet produceret humanitatem, attamen huic non esset debita subsistentia Verbi divini; E contrario per Spiritum Sanctum non fuit quidem producta divinitas, fuit tamen determinatum Verbum ad unionem propter omnipotentiam & voluntatem communem omnibus tribus personis. Non inficior tamen efficientiam istam ita admirabilem, sicut inexplicabilem.

112. Advertendum hic censeo, assertum meum procedere de prima hujus mysterii efficientia, atque hoc propter unum dubium, quod fieri posset, nimirum circa unionem partium materiæ cum subsistentia Verbi, quæ à principio conceptionis Christi usque ad finem vitæ illius mortalis facta est per nutritionem, illa enim vere erat unio hypostatica ex parte humanitatis, quomodo ergo successive fiebat? Immediate ne à Deo, an per humanitatem? Arbitror, utrumque dici posse; Primum quidem, quia Christus poterat in sui substantiam alimentum convertere, & antequam informaretur anima, per actionem Sanctissimæ Trinitatis illa materia poterat uniri hypostatice subsistentiæ Verbi; Secundum vero, quia cum humanitas Christi esset instrumentum divinitatis, & haberet summam participationem divinæ omnipotentiæ, nihil incongrui dicitur si virtutem hanc ipsi concedamus, quod tamen non valet de aliis creaturis.

ARTICULUS VI.

Utrum saltem fuerit aliqua causa dispositiva unionis hypostaticæ.

113. IN duplici sensu dispositio aliqua ad unionem hypostaticam intelligi potest, vel quia ex natura rei connectatur cum ipsa, aut saltem ex divino decreto, ita ut necessario unio consequatur, eo pacto quo se habet ultima dispositio humani corporis ad animam rationalem, quæ statim infunditur corpori, vel quia necessario prærequiratur ad unionem, licet hanc infallibiliter & necessario non trahat. Si sermo sit de dispositione primo modo considerata, videtur affirmare Gab. in 3. dis. 2. si de dispositione secundo modo accepta, videtur defendere Alens. 3. p. q. 7. art. 1. Contrarium tamen docent S. Th. hic q. 10. & alibi Scot. in 3. dis. 2. q. 2. Du-

Duran. Cajet. Capreolus, & alii Theologi, quibus adhærens.

114. Dico, nullam fuisse causam dispositivam ad unionem hypostaticam.

Prob. 1. de dispositione physica. Hæc dispositio debet ex natura rei & physice, aut saltem ex divino decreto connecti cum eo, ad quod est dispositio, sed nihil ita fuit connexum, aut connecti potest cum unione personæ divinæ, & hoc decretum nullibi reperitur in sacris scripturis, aut Patribus, ergo. Prob. mi. Unio personæ divinæ includit formaliter ipsum formale esse Dei substantialiter communicatum creaturæ, sed cum formali esse Dei substantialiter communicato creaturæ nihil connecti potuit ex natura rei, & physice, sicut compertum est, ergo.

115. Sed etiam admisso, aliquid dari posse, quod ita connecteretur, superfluum omnino foret ad hujusmodi confugere dispositionem, etenim natura, ut natura sine aliquo superaddito exigit immediate terminari vel per subsistentiam propriam, vel alienam, cum non detur medium inter dependentiam ab alieno supposito, & independentiam ergo; Ex hoc sic argumentor. Ut natura terminetur propria naturali subsistentia non exigitur in ipsa aliquod accidens, aut dispositio naturalis, ergo ut terminetur aliena subsistentia supernaturali non exigitur aliquod accidens, aut dispositio supernaturalis; & ratio hujus est, quia natura intelligitur prius emanativa subsistentiæ, quam cujuscumque accidentis, cum subsistentia sit modus maxime intrinsecus ipsi naturæ, sicut in antecedentibus dictum est.

116. Dices, hoc verum esse, si loquamur de natura, & subsistentia propria, non ita loquendo de subsistentia supernaturali, ad quam natura proportionem non habet, in hoc enim casu disponi debet per aliquod accidens supernaturale, ut reddatur apta; atque ista fuit perpetua S. Th. doctrina; Habet enim Angelicus p. p. q. 12. art 5. in cap. *Omne, quod elevatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet, quod disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam.*

Sed contra ne. assumptum, etenim sive sit subsistentia propria, sive aliena, sive naturalis, sive supernaturalis, cum detur per ordinem ad se, non per ordinem ad alium, ad esse substantialiter, non ad operari, præcedere debet quodcumque accidens, & quamlibet dispositionem, atque in nostro casu argumentum à me in paritate propositum totam vim retinet, quia licet subsistentia sit supernaturalis, advenit tamen naturæ fungendo munere absque aliqua imperfectione subsistentiæ naturalis, eoque instanti advenit, quo adveniret subsistentia naturalis & propria, sed hæc adveniret nulla præhabita dispositione, ergo & illa; & falsum est, naturam esse incapacem ad hujusmodi subsistentiam, nam habet potentiam obedientialem, per quam immediate à Deo, qui fecit potentiam in brachio suo, fuit elevata. Quod spectat ad auctoritatem S. Thæ. eam admitto de elevatione quantum ad operari, non quantum ad esse, & si pro hac re petis disparitatem, jam hæc allata est, quia in ordine ad esse, subjectum non est completum, nisi prius habeat subsistentiam, proinde non potest aliquod accidens & dispositionem in se recipere, e contra si loquamur de operatione, jam subjectum est in priori in se completum, & recipere potest accidens & dispositionem, per quam ad operandum perficiatur.

117. Sed quæro, quænam deberet esse hujusmodi dispositio? statim respondent contrarii Doctores, debet esse gratia habitualis, quæ est perfectissimum accidens supernaturale, de qua dixit S. Th. 3. p. q. 8. art. 5. ad 3. posse dici quodammodo gratiam unionis, *prout facit congruitatem quamdam ad unionem*. Hoc multis in locis tradidit idem S. Doctor; lege ipsum in 3. dis. 2. q. 2. ad 1. invenies de gratia habituali; *est medium*

dium congruitatis reſpectu gratiæ unionis lege in eadem diſt. ad Anibal. q.unica art. 3. invenies. *Verbum divinum mediante gratia animam aſſumpſit*, *quia congruum erat*, *animam inſignitam & gratia repletam aſſumere*. Tandem hic q.7. art.12. docet, *gratiam habitualem eſſe ad unionem*; *ſicut medium ad finem*, ſed medium aut cauſat finem, aut ſaltem diſponit ad finem, ergo.

118. Aliqui mentem S.Th. non aſſequti exiſtimarunt propter hæc eſſe in ſententia nobis oppoſita; nullo tamen pacto hoc poteſt admitti, quanvis ad ſummum probaretur diſpoſitio moralis, non phyſica, & ratio eadem à nobis ſuperius adducta militat pro hoc puncto, quia, nimirum ante quodcumque debet in natura eſſe ſubſiſtentia abſque aliquo medio, & ſic probatur ſecundo pro reiicienda diſpoſitione morali. Auctoritatibus adductis breviter reſpondet Cajetan. in 3.p.q.6.art.6. dicens, S. Thomam in ſumma ſe retractaſſe, nam 3.p. q.6.& 7. diſertiſſime dicit, gratiam habitualem appellari congruitatem, non antecedentem unionem ſed conſequentem; Videtur major vis in ultima auctoritate, ad cujus explicationem diſ. mai. gratia habitualis eſt ad unionem, ſicut medium ad finem, quantum ad quamdam majorem perfectionem finis,& manifeſtationem conc. quantum ad finis aſſequtionem ne. mai. diſ. mi. Sed medium aut cauſat finem, aut ad finem diſponit, ſi ſit medium quantum ad ejus aſſequtionem conc. ſi quantum ad majorem perfectionem, & manifeſtationem ne. mi. & Conſ. & ita gratia habitualis non eſt medium cauſans unionem, aut ad ipſam diſponens, ſicut creaturæ ſunt media, Deus eſt finis, nec tamen creaturæ habent aliquam cauſalitatem in Deum, niſi fortaſſe ſecundum eſſe obiectivum, quod non eſt ad rem; Brevius dicerent alii, unionem eſſe finem *cui* non finem *cujus*, media autem præcedunt finem *cujus* non *cui*. Hiſce omnibus addo, non ideo naturam humanam fuiſſe à Deo aſſumptam, quia eſſet grata Deo, ſed ideo fuiſſe gratam Deo, quia fuit aſſumpta, & hac ratione gratia habitualis in Chriſto non fuit gratia adoptionis, ſicut in nobis, quia ipſi non fuit collata tanquam extranea,& extrinſeca, ſed tanquam proprietas connaturalis gratiæ unionis.

119. Dices; eſto gratia habitualis fuerit proprietas conſequens gratiam unionis, non probatur, non fuiſſe diſpoſitionem ad ipſam unionem, cum non repugnet,proprietatem proficiſcentem à forma eſſe diſpoſitionem ad ipſam formam, ut patet in calore, qui eſt diſpoſitio ad ignem, & tamen profluit ab igne.

Sed contra ne. ant. ad prob. pariter, pro qua re magis cogitare debent Doctores illi qui aſſerunt, ultimam diſpoſitionem ad gratiam habitualem progredi ab ipſa gratia habituali, ad prob. calor profluit ab igne, ſed non diſponit ad ignem à quo profluit, ſed ad alium; Verum ad uberiorem doctrinam advertendum eſt, quod in ſecundo noſtro opuſculo tradidimus, aliam eſſe diſpoſitionem aptantem ſubjectum ad formam, quæ ſit natura vel tempore prior illa forma, & aliam non aptantem ſubjectum ad formam, ſed illud jam forma præditum exornans,atque perficiens,vel ut melius ſe habeat, vel ut melius operetur; Hoc ſecundo modo proprietas profluens à forma eſſe poteſt diſpoſitio ad formam, non vero in priori ſenſu, in quo tantum eſt quæſtio noſtra; Hoc præſertim in caſu dicendum eſt, quia ut ait S. Th. 3.p.q. 7. art. 3. *In iis*, *quæ ſunt in inſtanti*, *proprietates*, *quæ conſequuntur formam*, *non intelligi illam natura præcedere*, atqui unio hypoſtatica facta eſt in inſtanti ergo.

120. Dices. Etiam unio animæ cum corpore ſit in inſtanti, quia tunc anima creatur,quando corpori unitur,& tamen hanc unionem præcedunt diſpoſitiones, ergo à pari.

Sed contra; diverſa eſt ratio ſubjecti

jecti ad formam, & naturæ ad subsisten-tiam; Illa unio fit in instanti, sed positis dispositionibus, quæ exiguntur vel ex natura, vel ex divino decreto; Hæc vero fit in instanti nulla præsupposita dispositione, quæ se habeat ad subsistentiam, sed solum ad naturam, ut sit natura, & subsistentia est prior quacumque dispositione, non sic forma, sicut est anima per respectum ad corpus; & de facto in ipso corpore, antequam sint dispositiones ad animam, est subsistentia conveniens suis partialibus formis. Sed, ut quamcumque obscuritatem evitem, dico, unionem animæ fieri in instanti, & tamen præcedere dispositiones, ut sit corpus, & ita etiam unionem hypostaticam fieri in instanti, & tamen præcedere dispositiones, ut sit natura, sed dispositiones, ut sit corpus, sufficere, ut corpori anima uniatur, dispositiones tamen, ut sit natura, non sufficere, ut persona divina ipsi uniatur, sed tantum ut terminetur subsistentia propria, quod vero terminetur subsistentia divina, est solum opus divinum, quod impedit, ne terminetur subsistentia propria, immo in hoc elucet maxima Dei omnipotentia, quæ naturam exigentem terminari subsistentia propria, præter ejus exigentiam terminat subsistentia sua.

221. Dices rursus; ergo Beata Virgo non fuit Mater Dei; probatur assumptum; Si Beata Virgo non posuisset dispositionem ad unionem animæ cum corpore, non fuisset mater hominis, ergo, si non posuisset dispositionem ad unionem hypostaticam, non fuisset mater Dei; ita enim Christus est homo propter unionem animæ cum corpore, sicuti est mater Dei propter unionem humanitatis cum Verbi persona.

Verum juxta superiorem doctrinam facile refellitur argumentum, dist. ant. dispositionem ad unionem animæ cum corpore, quæ dispositio est in corpore, ut sit corpus, conc. quæ dispositio sit superaddita corpori ne. ant. & cons. Genuit itaque Beatissima Virgo corpus Christi domini, & gignendo corpus, genuit totum id, quod exigebat unionem animæ, nulla addita dispositione, quæ esset præter corpus, ita etiam genuit humanitatem, & hanc gignendo, genuit totum id, quod impeditum, ne terminaretur subsistentia propria, terminatum fuit subsistentia divina, nulla addita dispositione, quæ esset præter humanitatem, at in sensu, in quo agitur quæstio, debuisset humanitas disponi per quid distinctum, proinde &c. Sicut ergo Beata Virgo fuit mater hominis gignendo corpus actuatum per animam hominis, ita fuit mater Dei gignendo humanitatem terminatam per subsistentiam Dei; Cæterum; dari possunt dispositiones ad animam, non sic dispositiones ad subsistentiam, quia subsistentia est prior modus, qui est in natura, non sic forma est prima res, quæ est in materia, ex quo habetur alia facilior & clarior disparitas.



QUÆ-

QUÆSTIO III.

De extremis hypostatice unitis, & unibilibus.

ARTICULUS I.

An ita facta fuerit unio, ut in Christo esset tantum una natura.

1. Quamvis alienum sit à Theologia scholastica ea ex instituto resolvere, quæ pertinent ad dogmaticos, nihilominus in illud tempus devenimus, quo illa desipiant, si minime etiam reliqua pertractentur, immo potius reliqua omittuntur, quam ista. Hoc postulat etiam methodus à nobis suscepta; Quare non inconsulto arbitratus sum propositam difficultatem in medium afferre, atque quod de ea sentiendum sit stabilire.

2. Et primo agendum est contra Eutichen, qui, ut errorem Nestorii evitaret, de quo infra, ita dixit in Christo esse unam tantum naturam, sicuti una tantum est persona, existimans, se non posse duas naturas in ipso fateri, quin etiam duas personas profiteretur, ut notavit Boetius de duabus naturis p.751., asseruit quidem Christum fuisse ex duabus naturis, quæ prius existebant, non tamen in duabus, ita ut ex illis per *unionem*, seu *unitionem*, de quibus vocibus nimis longum esset disputationem instituere, facta sit una, quod non satis animadversum esse à Constantinopolitani Concilii patribus, & ejus præside Flaviano, conqueritur Leo Papa, quo in errore fuit etiam Dioscorus Patriarcha Constantinopolitanus, ut testatur Eulogius Alexandrinus cod.230. p.450.

3. Juxta hæc ergo, præter alia plura, de quibus nunc nostra non interest, dicebat Eutiches, qui tamen non fuit hujus hæresis inventor, sed propagator, nam ut colligimus ex Epiphan. hær.77. & August. hæres. 55. idem multo prius tradidit Apollinar: dicebat inquam, unam naturam factam esse ex divinitate & carne per conversionem divinitatis in carnem juxta illud Joan.1. *Verbum caro factum est* eo pacto quo si diceretur, *aqua facta est vinum*, intelligitur aqua in vinum conversa, & sicuti quando ex pane fit corpus Christi, panis converti in corpus Christi; Ex his sequebatur, divinitatem passam, mortuam, & sepultam fuisse. Ita penes Bellarm lib.3. de incarnat. cap. 2. Hoc tamen ita dixisse crassiores, & hebetiores, testatur Petavius in theolog. dogmat. lib.3. de incarnat. cap.6. cum revera dixerint alii, humanam naturam totam in divinitatem abiisse, velut, si gutta mellis in Oceanum jaciatur, in aquam maritimam vertitur. Sed quidquid dixerint isti; Catholica fides semper docuit, in Christo adinveniri duas naturas, divinam & humanam, & istas sine ulla confusione, permixtione, & conversione, secundum humanam Christum passum esse, non secundum divinam; atque hanc veritatem jam aggredior ostendere.

4. Tot autem sese exhibent argumenta sive ex scripturis, sive ex Patribus, sive ex Conciliis, sive etiam ex ipsa ratione, ut ea non caperet volumen integrum. A ratione incipiam; Ea autem est illa S. Th. hic art. 1. & sic proponitur. Si in unione hypostatica ex duabus naturis sit tamen una natura, hæc talis erit, vel unione dicta per accidens, ut cumulus lapidum, vel per transmutationem unius in aliud, quemadmodum elementa transeunt in mixtum, vel sine transmutatione, ut quando ex materia & forma constituitur una sub

ſubſtantia completa, ſed nullo ex hiſce modis fieri potuit ex natura humana & divina una natura in Chriſto, ergo in Chriſto non fuit una tantum natura, prob. mi.; non primo modo, quia hæc unio fuit ſubſtantialis, & ſi fuiſſet in dicto ſenſu, fuiſſet unio ſolius indiſtantiæ vel caſu, vel arte, ut patet in adducto exemplo, & etiam ea data, adhuc unaque natura in ſui exiſtentia perſeveraſſet, ut perſeverat quilibet lapis in cumulo; non ſecundo modo, cum enim natura divina ſit neceſſario immutabilis, nec iſta converti poteſt in humanam, neque humana in divinam, ut notum eſt; non tertio, quia vel deitas ſe haberet ad inſtar formę, vel ad inſtar ſubjecti, utrumque autem repugnat, cum ſit ſummæ ſimplicitatis, ergo.

5. Videtur tamen hæc ratio deficere in eo, quod probat ex divinæ naturæ immutabilitate non poſſe humanam naturam in divinam converti, etenim in Sacramento Euchariſtico mutatur ſubſtantia panis per converſionem in corpus Chriſti, non tamen datur aliqua mutatio intrinſeca, in corpore Chriſti, ergo à pari; deficit etiam in probatione tertiæ partis, cum oppoſitum omnino concludatur ex S. Athanaſ. (ſi ejuſdem eſt) in ſymbolo, ubi dicitur; *Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.* ſed anima rationalis & caro unus eſt homo adinſtar formæ & ſubjecti, ergo etiam Deus & homo unus eſt Chriſtus adinſtar formæ, & ſubjecti, ergo.

6. Sed profecto ratio adducta ſufficiens eſt, neque prædicta paritas quidquam probat; nam ſi de converſione panis in corpus Chriſti loquamur, in ſententia S. Th. corpus Chriſti reproducitur, ergo falſum eſt non dari mutationem intrinſecam ex parte corporis, in ſententia vero Scoti corpus Chriſti adducitur, ergo corpus Chriſti, in quod mutatur ſubſtantia panis, dependet ab aliqua actione, ergo etiam ut humanitas converteretur in divinitatem, deberet hæc ab aliqua actione dependere, quod fingi non poteſt, niſi ab ingnorante divinitatem. Rationes alias infra colligemus. Nihil etiam probat, quod ex Athanaſio opponebatur, nam ſimilitudo illa in hoc valet, quod ſicut anima rationalis & caro vere uniuntur, ita natura humana & divina in Chriſto vere ſunt unitæ, & ſicut ex illis fit unus homo, ita ex iſtis fit unus Chriſtus, ſeu una perſona; atque hoc ſatis habetur ex ejuſdem ſymboli verbis, ubi dicitur. *Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.*

7. Majus robor deſumit dogma à nobis ſtabilitum ex divina ſcriptura. Chriſtus Dominus Joan. 10. dicit, ſe eſſe æqualem Patri; *Ego & Pater unum ſumus* & certe ex illis verbis intellexerant Judæi, ſe Deum facere. Joan. 14. dicit ſe minorem Patre, *Pater major me eſt*; atqui fieri non poteſt, ut idem ſecundum unam naturam ſit æqualis & minor, ergo in Chriſto erant duæ naturæ. Præterea Joan. 8. ſe dicit eſſe ante Abraham. *Antequam Abraham fieret, ego ſum* & tamen Luc. 2. legitur natus tempore Auguſti, *Anno quintodecimo Tiberii Cæſaris &c:* ante quod tempus certe fuit Abraham, ergo. Clarum tandem hujuſce rei teſtimonium dedit confeſſio S. Thomæ, qui poſtquam viderat, & ad tangendum fuerat invitatus cicatrices Chriſti, exclamavit, *Dominus meus & Deus meus*. At certe quod viderat, & tangere poterat, non erat Deus, quia *Spiritus carnem & oſſa non habet*. ergo in Chriſto erat quod videret ac tangeret, ideſt humana natura, & erat quod confitendo crederet, *Dominus meus & Deus meus*.

8. Quod ſi e ſacris litteris ad Sanctos Patres convertamur, pene innumeri ſunt tam ex græcis, quam ex latinis, qui pravum Eutichis dogma & voce & ſcripto rejecerunt. Paucis ego contentus ero. Ex Græcis ſufficiant Athanas: qui in epiſ. Epict. inquit; *Quis infernus iſta eructavit, ut conſubſtantiale dicant corpus*

pus ex Maria genitum cum Verbi divinitate? aut quis tam impius fuit, ut vel verbis diceret, vel animo cogitaret ipsam Deitatem circumcisam esse? & Cyril. in epist. ad Nest nomine Synod. Alexandr. ait; *Dicimus, illum passum esse, & resurrexisse, non quia Deus Verbum in sua natura sit passus, Deus namque extra passionem est, sed quia corpus illud, quod proprium ipsius factum est, passum sit* Ex latinis sufficiant Hieronym.; qui in ultimum cap. Mat. hæc habet; *Dominus noster unus atque idem filius Dei, & filius hominis, juxta utramque naturam divinitatis, & carnis, nunc magnitudinis suæ, nunc humilitatis signa demonstrat*, August. lib. I. de Trinit. *Ergo quia forma Dei accepit formam servi; Utrumque Deus, & utrumque homo, sed utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo propter acceptum hominem; Neque enim illa susceptione alterum eorum in alterum conversum, atque mutatum est, nec divinitas quippe in creaturam mutata est, ut desineret esse divinitas, nec creatura in divinitatem, ut desineret esse creatura.*

9. Quanquam quid unum vel alterum ex Sanctis Patribus memoro, cum sexcentum & triginta unico verbo afferre liceat in Concilio Chalcedodensi collectos? Cum enim in prima actione fides Eutichetis & Dioscori profitentium, duas fuisse Christi naturas ante unionem, postea vero unam ex utroque factam fuisse, lecta esset, Concilium exclamavit. *Anathema ei, qui dixit ista, anathema eis, qui ista dixerunt* & deinde act. 5. in professione fidei hæc leguntur; *Confitemur in novissimis diebus Filium Dei Unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseperabiliter agnoscendum, nunquam sublata differentia naturarum propter unionem.* Idem statutum fuit in Concil. V. can. 2. in 6. ac 4. in Later. sub Mart. 2. consultima can. 4. & 6. Tolet. 6. cap. I. Hispalen. 2. cap. 3. aliisque pluribus.

10. Et profecto dicat Eutiches, quænam erit hæc natura in Christo ex humana & divina effecta? procul dubio aliquid ab utraque distinctum esse debebit, quia ut ait Damasc. lib. 10 de natura compositi: *Natura una composita ex differentibus naturis tunc fieri dicitur, quando copulatis inter se naturis aliud quiddam præter eas, quæ copulatæ sunt, efficitur, ac quod est effectum neque hoc proprie, neque illud est, sed diversum*; at hoc in Christo esse non potest, alioquin Christus non esset consubstantialis Patri, in quo hæc natura diversa non est, nec esse potest. Quod si velis, ita ex natura humana & divina fieri unam naturam, sicut ex unione animæ cum corpore fit natura humana, jam supra dictum fuit, & ulterius disparem valde rationem affero. Nam non dices, hominem esse animam, hominem esse corpus, sicuti, etsi corpus componatur ex igne, terra, & aere, non dices, esse ignem, terram, aerem; E contra de Christo vere dices, *Christus est homo. Christus est Deus*. Ita argumentatur Petavius in theol. dogmat. lib. 3. de incarn. cap. 9. afferens sententiam expositionis fidei, quæ tamen doctrina mihi non satisfacit, nam si homo non potest dici anima, neque Christus potest dici natura humana, vel divina, & si Christus dicitur *homo*: *Deus*, etiam homo dicitur animatus, sicut corpus non potest dici ignis, terra, aer, potest tamen dici igneum, terreum &c. Quare melius occurrit August. 3. contra Maxim. cap. 10. dicens. Animam & corpus se habere adinstar partium, & rerum incompletarum, & in materia non nihil mutationis intervenit, quando ad formam recipiendam certis qualitatibus disponitur, quæ mutatio alterationis nomine nuncupatur; At naturæ illæ, ex quibus persona Christi conflatur, perfectæ sunt, neque partium loco censeri possunt; Ecce pro iis, quæ à me dici possent, verba præclarissimi Doctoris. *Christus una persona est geminæ substantiæ, quia Deus & homo est; Nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest,*

potest, alioquin Filius Dei Deus, antequam susciperet formam servi, non erat totus. Firmum igitur sit, ita factam fuisse duarum naturarum in Christo unionem, ut tamen in ipso non una fuerit, sed duplex distincta natura.

ARTICULUS II.

An sicut in Christo sunt duæ naturæ, ita sint duæ personæ.

11. Verum nunquam opponitur vero, falsum tamen opponitur falso, sicut bonum non opponitur bono, malum vero opponitur etiam malo; Voluit Eutiches, ut in antec. dictum est, in Christo unam personam, & ideo etiam unam naturam. Falsum. Voluit Nestorius in Christo duplicem naturam, & ideo etiam duplicem personam. Falsum. Hoc à nobis modo ad examen vocandum; Juvat tamen systema Nestorii prius palam producere.

12. Quamvis tamen hæresis ista Nestoriana nuncupatur, Nestorius author non fuit, sed ipso sub initio Ecclesiæ exordium habuit. Cherintus proprie, ex Irenæo lib. 1. cap. 25 ita sensit, ut Jesum separaverit à Christo; illum dixit purum hominem natum ex Maria & Josepho, istum vero dixit filium Dei, qui in forma columbæ baptismi tempore in ipsum descenderit; Juxta hæc deinde, teste Cassiano lib. 1 de incarnat; quidam Pelagiani docuerunt, de Maria Virgine purum hominem natum esse; meritis suis anno 30. factum esse Christum, & tandem post suam passionem factum esse Deum, quod tamen ita Christus acquisivit, ut & alii homines comparare sibi possint.

13. Fabellis istis Nestorius indulsit, & tanta animi delectatione eas complexus est; ut ipse primo, deinde Anastasius ejus presbyter, & Theodorus Mopuestenus hoc existimaverit, quod e Virgine Jesu natus sit purus homo cum humana natura, & persona, & ideo Beata Virgo non fuerit genetrix Dei, & quæ de Christo leguntur spectantia ad passionem, mortem, & resurrectionem, soli homini tribui deberent.

14. Quid vero, si ab ipsis peteres, quomodo Filius Dei unitus sit Filio hominis? Multifariam respondebunt. primo quidem per habitationem tanquam in templo, qua de re Joan. 2. legitur. *Solvite templum hoc, & in triduo excitabo illud*. ideo Isaiæ cap. 1. vocatur Christus *Emanuel* idest, non vocatur *Deus*, sed *nobiscum Deus*, quasi in nobis habitans, sicut Joan. 1. habetur, *& habitavit in nobis*. Secundo per voluntatem & dilectionem, eo pacto quo licet vir & mulier sint duæ personæ, tamen propter copulam conjugalem dicuntur duo in carne una; & ita licet Filius Dei & Filius hominis sint duæ personæ, tamen propter conjunctionem spiritualem dicuntur unus Christus; tertio propter operationem, quia Christus homo erat instrumentum, quo Verbum in illis adeo admirandis operibus, quæ de ipso leguntur, utebatur; tandem per participationem, quia Verbum illi homini contulit nomen & dignitatem suam, ut Deus vocaretur. Totum hoc colligitur ex Evagr. lib. 1. & 2. ex Cyrillo in fidei expositio: ex Theodoreto lib. 4. de hæreti. fabulis, qui ab initio scripsit pro Nestorio contra S. Cyril. sed inde resipuit, & in Concil. Chalced. act. 8. se Ecclesiæ Catholicæ conjunxit.

15. Nostra modo interest ostendere, quam impie atque insipienter hæc de Christo dicta sint, quem verum hominem, & verum Deum in unitate personæ fides Catholica profitetur. Hoc Scripturæ, Hoc Patres, Hoc concilia testantur, Hoc & ipsa theologica ratio suadet. Jam a primis exordiamur.

Occurrit statim Apost. ad Rom. 8. dicens. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. & cap. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Ad Philip. 2. *Qui cum in*

in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, ergo unus & idem Christus & habet formam Dei, & habet formam servi. Tandem, ut alia ferme innumera Pauli dicta præteream ad Hebr. 1. habetur. *Multifariam, multisque modis, olim loquens Deus Patribus in Prophetis, novissime diebus istis loquutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula*, quibus verbis clarissime innuitur, unam, eandemque personam esse hominem & Deum; dum enim dicit, *novissime diebus istis loquutus est nobis in Filio* intellige hominem, dum dicit, *per quem fecit & sæcula* intellige Deum, omnia enim per ipsum facta sunt.

16. Occurrit a Joannes Evangelista, qui contra Cherintum, & Nestorium ex diametro loquitur. In epist. 1. cap. 3. hæc scribit *in hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*. Qui ergo erat Deus animam suam pro nobis posuit, ergo qui erat Deus immortalis erat & homo mortalis cap. 4. *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est antichristus*. Quid est autem solvere Jesum, nisi ab ipso humanitatem a divinitate sejungere, tanquam si una persona esset Deus, alia homo? & rursus. *Quisquis ergo confessus fuerit, quoniam Jesus est filius Dei, Deus in eo manet*. Tandem cap. 5. *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est filius Dei*. Ipse tamen Christus se ipsum a Nestorii impietate defendat; Joan. 10. inquit, *Ego & Pater unum sumus*, & postea *Pater major me est*. Non poterat esse unum cum Patre, nisi esset Deus, & non tantum templum Dei; non poterat esse minor Patre, nisi esset homo, ergo Christus eademque persona Deus erat & homo; cap. 9. dixit cæco, cui visum reddiderat. *Tu credis in Filium Dei?* Respondit ille *Quis est domine, ut credam in illum? dixit ei Jesus, & vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est*. Ergo quem videbat, & qui loquebatur, erat Filius Dei, si autem eum videbat, & ille, quem videbat, loquebatur, jam erat homo, ex alia parte erat Deus, quia filius Dei ergo. Tandem Mat. 26. interrogavit Christus Petrum hisce verbis. *Quem dicunt homines, esse Filium hominis?* respondit Petrus, *Tu es Christus Filius Dei vivi*; & quidem qui in hunc mundum venisti, ut ait Martha. ipsum igitur filium hominis, idest hominem, vocavit Petrus filium Dei, Unus igitur Christus erat utrumque simul, si autem venit in mundum, jam prius erat, ergo vel creatura, vel Deus, non creatura ut Nestoriani fatentur, & esset major difficultas si concederetur, unam personam habere duas naturas creatas, ergo Deus.

17. Sed jam properemus ad Patres, quorum copia superaffluens nos expectat, quamvis nos eorum copiam evitabimus, omnibus tamen gratiam agentes, quod pro Catholica veritate tam acriter ac studiose decertaverint. Jam pro hac re plura protulimus, cum contra Eutichen actum est; nunc vero aliquos eligam. Ex Græcis Athan; in epis. ad Epict. circa finem. *Non quod Filium a verbo segregemus, sed quia eundem hunc esse cognoscimus, per quem omnia facta sunt, & per quem nos liberati sumus*. Ignatium in epis. ad Eph. *Filius Dei, qui ante sæcula natus est, ipse in utero portatus est a Maria secundum Dei dispositionem ex semine David, & Spiritu Sancto*. Gregor. Nazianz. in epis. ad Chelid. *Si quis Virginem Mariam nequaquam genitricem Dei esse credit, is etiam a deitate sit separatus; Si quis duos introducit filios, unum quidem ex Deo Patre, secundum autem ex Matre, & non unum & eundem, adoptione filiali, quæ promissa est iis, qui recte credunt, exciderit, Si quis non adorat crucifixum, anathema sit, ac Dei enumeretur interfectoribus*. Ex latinis; Ambros. lib. de Incarnat. Domin. Sacram. cap. 5. *Cum Deus esset æternus, Incarnatio-*

nationis Sacramenta suscepit, non dividuus, sed unus, quia utrumque unus, & unus in utroque, hoc est, vel in divinitate, vel in corpore, non enim alter ex Patre, alter ex Virgine. Hieronym. in epist. de Cust. ad Eustoch. *Dei Filius pro nostra salute hominis factus est Filius, decem mensibus in utero, ut nascatur, expectat, & ille, cujus pugillo mundus includitur, præsepii continetur angustiis*. August. in Enchirid. cap.5. *Christus Jesus Dei Filius Deus & homo est, Deus, quia Dei Verbum, homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro*. Anathematizetur itaque Nestorius, qui Beatam Virginem non Dei, sed hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis, sunt verba B. Leonis Papæ ep.97. ad Leonem August. cap.1.

18. Sed jam satis ipsi anathema dictum est in Conciliis. In Ephes. 1. leguntur in primo cap. epistolæ Cyrilli ad Nestorium approbatæ in eodem Concilio, & sunt hæc verba; *Si quis non fitetur Deum esse veraciter Emanuel, & propterea Dei genitricem Sanctam Virginem, anathema sit* in cap.2. hæc alia; *Si quis non confitetur carni secundum substantiam Dei Patris Verbum, utrumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum & hominem simul, anathema sit*. In Concil. Chalced. gener. act.5. post prolata acta Ephesini contra Nestorium; hæc. *Salva utriusque naturæ proprietate, & in unam personam ac substantiam concurrente, non in duas personas distributum, vel divisum, sed unum & ipsum Unigenitum Dei Filium Deum Verbum agnoscimus*. In 5. Synodo gener. præter plurima alia, in can.4. hæc leguntur. *Si quis introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas anathema sit*; & can.6. *Si quis abusive, & non vere Dei genitricem esse dicit gloriosam semper Virginem Mariam, anathema sit*. Omitto Concil. Later. sub Martino I. Hispal.2. cap. ultimo. Tolet.1. cap.1.

19. Superest modo Theologicam aliquam rationem proferamus. Hanc autem affert Boetius in lib. de duabus naturis, & una persona Christi, & sic a me conficitur. Si in Christo ita sunt duæ personæ, sicut sunt duæ naturæ, nulla facta est hominis Deique conjunctio, nisi, ut inquiunt per accidens, sicut quando duo corpora loco tantum juncta sunt, & sibimet apponuntur, & in cumulo lapidum, atqui in Christo facta est vera hominis, Deique conjunctio, & non solum per accidens, ergo. Pr. mi. Si in Christo non esset facta &c. sed solum per accidens, unius nomen & proprietas non derivaret in alterum, sicuti, si jungas tritici, & saccari grana, non dices, triticum est saccarum, & e contra, atqui in Christo dicitur, *hic homo est Deus & Deus est hic homo* ergo in Christo. Optime propterea concludit prælaudatus Doctor. *Omnino ex duabus personis nihil unquam fieri potest*. Argumentum propositum magis sic confirmatur. Si in Christo fuit tantum unio per accidens, & Deus in ipso fuit ex accidente solum, non vero aliquo nexu conjunctus, nihil singularis & admirabilis fuit in mysterio incarnationis, adeo a Patribus commendato, & a Sæculis juxta Pauli phrasim abscondito, quis enim ignorat, omnibus justis Deum ita conjungi, ut in ipsis sit per gratiam suam, per eximiam sanctitatem, per excellentes operationes? sed dici non potest, nihil novi & admirandi esse in mysterio incarnationis, ergo. Tandem, si hoc dicamus, non solum Verbum incarnatum erit, sed etiam Pater & Spiritus Sanctus, quia in justis non solum est Filius, sed omnes personæ; *Si quis, enim, diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:*

A R-

ARTICULUS III.

Refelluntur argumentum Eutichianorum, & Nestorianorum.

20. OP. I. in Concil. Chalcedonen. act. I. post recitatam epistolam Cyrilli ad Joan. Antioch. Eustachius Episcopus Berythensis asseruit, Cyrillum docuisse, *non oportere intelligere duas naturas, sed unam naturam in incarnatione* Damasc. in dialect. cap. 65. *Attinet ad hypostaticam unionem unam rerum conjuncturam compositam naturam efficere*. Gregor. Nazianz. in epist. ad Chelidon. dicit, *carnem esse deificatam, seu divinitatem incarnatam*.

21 Resp. in primis ex Bellarm. lib. 3. de incarn. cap. 4. verba illa non fuisse Cyrilli, sed ab hæreticis conficta esse; Hoc quidem merito dictum est, nam illis auditis Patres Concilii exclamarunt, verba illa non esse Cyrilli, sed Dioscori, & ideo definierunt, sicut à nobis supra dictum est. Rem totam referamus. Eustachius id dixit quod oppositum fuit, à Patribus tamen convictus fassus est se errare; Dioscorus vero in suo perstitit errore, illum ex verbis Cyrilli confirmare contendens, & asserens, Flavianum, qui in nostra Catholica erat sententia, propter duarum naturarum assertionem damnatum esse; & quidem Præsbyter Eutiches, ut habetur in quibusdam fragmentis recitatis eadem act. I. & habitis in Concil. Constantin. I. dixit, *Ego legi scripta Beati Cyrilli, & Sanctorum Patrum & Sancti Athanasii, quoniam ex duabus naturis dixerunt ante adunationem, post adunationem vero, & incarnationem, jam non dixerunt duas naturas, sed unam*. Verum hoc omnino falsum esse, & confictum, ex iis, quæ habet in epist. 28. ad Joan. apertissime constat, etenim postquam dixerit, duas esse in Christo naturas, hæc addit. *Eos autem, qui dicunt, quoniam temperamentum, aut consperfio facta est Dei Verbi ad carnem dignetur tua Sanctitas refrænare: forsan enim esse quosdam non ambigo, qui hæc me jactitent, tanquam garrientem, aut dicentem. Ego autem in tantum ab his longe absum, ut nihil tale sentiam, usque adeo, ut insanire putem, qui hoc de me suspicati sunt*. Si tamen quis vellet, id à Cyrillo dictum esse juxta mentem etiam Athanasii, id non reluctabor, cum sano modo possit intelligi, idest, unam naturam in incarnatione, videlicet incarnatam, non per conversionem in carnem, aut carnis in ipsam, sed per unionem cum carne in una Verbi persona. Hoc colligo ex verbis S. Athanasii, juxta cujus mentem dicunt Cyrillum fuisse loquutum; sunt ista in lib. de incarn. Ch. sub initio, ubi postquam dixerit, Christum esse perfectum hominem, perfectum Deum, subdit. *Non quod divina perfectitudo in humanam perfectitudinem transeat, quod est impium, neque quod duæ perfectitudines seorsim sint constituendæ, neque vero secundum profectum augescentis virtutis, aut acquisitionem justitiæ; absit. Sed secundum rationem existendi sine defectu plenam & integram, & unus sit utrinque per omnia idem, Deus, & homo*. Præterea. Una natura, non duplex dicitur incarnata; sed quo sensu? nunquid absolute? Minime; sed in hoc tantum, quod esto duplex sit, non duplici tamen, sed unica adoratione eam prosequi debeamus. Hoc evinco ex verbis ejusdem Cyrilli in priori libro de recta fide ad Reginas, ubi tantum leguntur hæc verba, *Non duas naturas, & unum filium, unam, quæ adoratur, & unam, quæ non adoratur* atque ibi refert sub initio hæc Athanasii verba; *Confitemur etiam ipsum, nimirum Christum, esse filium Dei, & Deum secundum spiritum, & filium hominis secundum carnem, non duas naturas unum filium, unam, quæ adoratur, & unam, quæ non adoratur, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam, & adorabilem cum carne sua una adoratione*. Tandem; Si hæc omnia non placent, dices, ibi

ibi naturæ nomen sumi pro nomine personæ, sicuti plerumque græci consueverunt, ut notat Petavius libro citato cap. 12. & juxta hoc explicandus est Sanctus Damascenus, juxta etiam priorem explicationem intellige, carnem esse deificatam, seu divinitatem incarnatam, non per commixtionem, confusionem, vel conversionem, sed dumtaxat per unionem cum Verbo, sicut à nobis declaratum fuit.

22. Op. 2. Si admittuntur in Christo duæ naturæ, admitti etiam debent duæ personæ, hoc non, ergo nec illud. Prob. maj. Si admittuntur in Christo duæ naturæ, erunt duo Christi, ergo duæ personæ; prob. ant. Si admitterentur in Patre, & Filio duæ naturæ, admitterentur duo Dii, ergo si admitterentur in Christo duæ naturæ, essent duo Christi. Quare sicut Pater & Filius sunt unus Deus, quia in ipsis est una natura, ita ut admittatur in Christo una persona, debet admitti una natura.

23. Resp. hoc argumentum fuisse in Eutichiano errore scandali petram; sed ne. maj. ad prob. ne ant. ad prob. ne. cons. quia si admitterentur duæ naturæ in Patre & in Filio, jam etiam admitterentur duæ subsistentiæ relativæ, sicut sunt paternitas & filiatio, proinde haberetur ex hoc capite quidquid requiritur ad constituendos duos Deos; e, contra admissis in Christo, sicuti admitti debere duas naturas; probatum fuit, admittetur tantum una subsistentia terminans utramque naturam, proinde &c. Dixi ex hoc capite, quia admissis in Patre & Filio duabus naturis, inquiro, vel utraque esset omnino æqualis, vel non; Si utraque æqualis, neuter esset Deus; quia, ut probatur in tract. de Deo uno, si plures essent Dii, nullus esset Deus, in quo sensu dixit Arist. infinitum esse non posse, nisi unum numero; Si non utraque æqualis, tantum unus esset Deus, non alius; Ad additum; argumentum sic pro nobis conficitur. Quamvis in Patre & Filio admittatur una natura, non tamen admittitur una persona, ergo quamvis in Christo admittantur duæ naturæ, non tamen admitti debent duæ personæ. Ratio ergo ab hoc desumenda est, quod esse Deum sumitur à natura, & ideo, ubicumque adinvenitur una natura, adinvenitur unus Deus, esse autem personam desumitur à subsistentia, & ideo, ubi adinvenitur una subsistentia; invenitur una persona. Primum invenitur in Patre & Filio, ideo uterque est unus Deus. Secundum invenitur in humanitate, & divinitate Christi, & ideo concedi debet una persona; Atque hic adadverto, ad multiplicanda concreta substantialia neque sufficere multiplicationem naturæ substantialis sine multiplicatione subsistentiæ, neque multiplicationem subsistentiæ sine multiplicatione naturæ. Hoc secundum patet in mysterio Trinitatis, & ex hoc probatur primum. Hinc in Deo propter multiplicationem personarum dicimus quidem *alium*, & *alium*, non dicimus tamen *aliud* & *aliud* propter unitatem naturæ; e contra in Christo dicimus *aliud* & *aliud* propter multiplicationem naturarum, non dicimus tamen *alium* & *alium* propter unitatem personæ, quæ est doctrina tradita à Gregor. Nazianz. in epist. ad Chelidon.

24. Op. 3. ratione, quam in exposit. hæresis Eutichianæ protulimus, sic. Joan. I. *Verbum caro factum est*. Ubi non dicitur, Verbum accipisse carnem, sed ita ex carne, & Verbo facta est una natura, ergo. Prob. mi. quando Joan. 2. legitur *Aqua vinum facta est* ex aqua & vino facta est una natura, ita ut aqua conversa sit in vinum, ergo quando dicitur, *Verbum caro factum est* ex carne & Verbo facta est una natura, ita ut vel Verbum in carnem transierit, vel caro in Verbum, & ideo ante unionem erant quidem duæ naturæ, non sic post unionem.

25. Resp. textum illum, *Verbum caro factum est* æquivalere huic, *Verbum carnem accepit*, *seu assumpsit uniendo se car-*

carni non enim dici poteſt; Joannem contraria Paulo docuiſſe; Quid autem dici Paulus? *Cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*. Ita ad Philipen. 2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Ita ad Hebr. 1. Quid eſt autem formam ſervi accipere, & ſemen Abrahæ apprehendere, niſi accipere,& aſſumere naturam humanam? Ex quo habes diſparitatem circa aquam factam vinum. At ulterior diſparitas aperte colligitur, quia de aqua, quæ in vinum converſa eſt, non poſſent affirmari proprietates aquæ & vini; e contra in Chriſto vere ennuntiantur, quæ pertinent ad naturam humanam & naturam divinam ſubſtantialiter, ut conſtat ex tota noſtra doctrina juxta Patres, concilia, & ſcripturas.

26. Opponerem 4. argumentum hoc; In Chriſto erat tantum unum principium operandi, ergo tantum una natura;Sed quid dicendum ſit jam conſtat, nimirum, eſſe unum principium *quod*, non ſic unum tantum principium *quo*, & ideo unum ſuppoſitum, non unam naturam.

27. Sic Eutiche corruente, frontem attollat Neſtorius, & quid ipſe dicat audiamus. Et 1. ea argumenta proferuntur, quæ nos protulimus, dum ejus error relatus eſt: Joan. 2. *Solvite templum hoc* loquens de ſua humanitate, non dixit autem *Solvite me*, ergo Deus Chriſtus, & homo Chriſtus ſunt duæ perſonæ. Ad Coloſ. 1. *In ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Unum autem in alio habitare infert perſonarum diverſitatem. Ad Philip. 2. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Porro veſtimentum eſt diverſum in ſubſiſtentia ab eo, cujus eſt veſtimentum, ergo.

28. Reſp. textum primum duas in Chriſto naturas, non duas probare perſonas, & vere potuit divina perſona eſſe in humanitate, tanquam in templo, quin humanitas diſtinctam habetet perſonam; an non dicebat Paulus II. ad Corint. 5. *Qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus gravati*. Et Petrus ep. 2. cap. 1. *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei*? & tamen nec Paulus nec Petrus erant diverſa perſona; Immo juxta errorem Neſtorii id dici non poſſet, quia ex dictis num. 19. Si fuiſſent in Chriſto duæ perſonæ, fuiſſet tantum unio per accidens, ſicut in cumulo lapidum, unde, ſicuti dici non poteſt, lapis eſt in lapide, ita in re noſtra, non poſſet dici, Verbum eſt in humanitate. Eodem modo explicatur textus ſecundus, quanvis etiam aliter, ſi dicamus, ibi indicari inhabitationem Dei in Chriſto per gratiam communem omnibus juſtis; at conjunctio per gratiam non excludit unionem ſubſtantialem in perſona, immo ibi utraque denotatur. Tertium textum male intellexit Theodoretus, volens, Verbum non eſſe hominem factum, ſed hominem induiſſe, quare, ſicuti ſi Rex indueretur veſtibus ruſtici, non eſſet ruſticus, ita Verbum indutum humanitate, non eſt homo; ſed reprobanda prorſus explicatio adeo contraria Scripturis, Patribus, & Conciliis quod alio in loco declarabimus, explicant ergo textum illum Ambroſ. & Chryſ. ibi non excludi veritatem humanæ naturæ, & hominis, ſed ſolum humanam naturam, & hominem purum conceptum ex ſemine viri, natum in peccato, & peccatis obnoxium, qualis certe Chriſtus non fuit, licet talis videretur, qua in ſignificatione etiam Paulus ad Galat. 1. ait. *Se non didiciſſe Evangelium ab homine, ſed a Chriſto*. Ubi procul dubio per hominem intelligit hominem purum, alioquin Paulus ſibi contradiceret, præſertim 1. ad Timot. 2. ubi ait. *Unus eſt mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Jeſus*. Neque mirum ſit, ſi humanitas indumenti nomine indicatur, nam, non ideo dicitur indumentum, quia Chriſtus non ſit ſubſtantialiter homo, ſed quia (& in hoc tantum tenet exemplum) ſicut per veſtes

stes cognoscuntur homines, ita per humanitatem manifestatum est Verbum, & sicut indumentum mutatur, quin mutetur persona, ita in sola humanitate mutata, Deus homo factus, in se ipso immutabilis perseveravit. Textus iste alibi occurret.

29. Op.2. Christus a SS.PP. præsertim a S.Basilio in ps.59. appellatur *Deifer* ergo quia non est verus Deus, ergo, ut talis sit, debent in ipso esse duæ personæ. Consequentia hæc tenet, quia etiam homines justi vocantur Christiferi, præcipue dum Eucharistiam sumpserunt, nec tamen sunt una persona cum Christo.

Resp. si velint nobis afferre Basilium, male afferunt, non dixit enim, Christum esse Deiferum, sed carnem Christi esse Dei gestatricem, valde autem inter se differunt Christus, & caro Christi; Christus appellat personam, caro Christi tantum naturam. Sed si ita, explicabimus Christum secundum naturam, non secundum subsistentiam, sicuti quando Augustinus in lib. de prædest. Sanct. cap.15. dicit, Dei Filium assumpsisse hominem, per nomen hominis intelligi debet humanitas.

30. Op.3. Christus Filius Dei ad Heb. 7. dicitur, *sine Matre & sine genealogia* e contra Filius Mariæ dicitur cum Matre & genealogia, ergo Christus Filius Dei est distinctus a Christo Filio Mariæ. Secundo Christus Filius Mariæ dixit Mat.27. *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* & Joan.12. *Pater salvifica me ex hac hora*, sed hoc non poterat convenire Christo Filio Dei, ergo. 3. Filius debet esse homousios, seu consubstantialis parentibus, atqui Christus Deus non est consubstantialis Mariæ, siquidem ille est æternus, omnipotens &c. non sic ista, ergo. Tandem. Hoc nomen Deus non significat Deum unitum humanitati, sed Deum tantum, sed Maria non peperit Deum tantum, sed Deum unitum humanitati, ergo Maria non peperit Deum, proinde &c.

Resp. priora tria argumenta explicari secundum diversitatem naturarum, quæ erant in Christo, non secundum diversitatem personarum; atque juxta hunc dicendi modum servamus etiam in Christo duas generationes, æternam unam in splendoribus sanctorum, temporaneam aliam, pro qua dictum, *illuminare his qui in tenebris &c.* quamvis enim generationis terminus sit suppositum, non tamen ubi duæ generationes, ibi duo supposita, nam eadem subsistentia, prout gerens vices subsistentiæ creatæ potest esse terminus *qui* generationis temporaneæ cujus terminus *quo* & specificus est ipsa natura, & prout terminat naturam divinam est terminus generationis æternæ. Quod si argumentum petitum a primo textu quidpiam probaret, cum ibi dicatur, *Rex pacis sine Patre, sine Matre* jam Patrem non haberet, quod tamen Nestorius non dixit. Ad ultimum; fateor, hoc nomen *Deus* non significare Deum unitum humanitati, sed neque excludere, & quod aptari possit Deo humanitati unito, colligitur ex eo, quod de facto aptetur illi, qui sanguinem fudit, & mortuus est; Lege acta Apost. cap.20. *Attendite vobis, & universo gregi &c. regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Lege 1. Joan.2. *In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit*. Alia similia mille non desunt.

ARTICULUS IV.

In quo consistat unio hypostatica.

31. Post rejectas hæreses Eutichis, & Nestorii, videtur, unionis hypostaticæ essentiam declarare ad Catholicos pertinere. Antequam hoc fiat; incongruum non existimo, si Brentii, & Smidelini errorem in medium proferamus. Docuerunt isti, naturam divinam & humanam in Christo uniri, nihil aliud esse, quam communicari humanitati omnia

omnia attributa divina, seu proprietates, non quidem per se, sed per accidens, quatenus divinitas habitet in humanitate, tanquam in suo proprio corpore, atque in ea exerceat *potentiam, sapientiam &c.* itaut talis esset unio; qualis invenitur inter causam principalem, & instrumentalem. Quamobrem dixerunt, Christum ab aliis hominibus non differre, nisi per energiam, quia per Christum Deus omnia operatur, per alios vero homines solum aliqua. Ita se explicant in concord. art.8. Hoc asserere plusquam Nestorianum est; neque in hujus hæresis impugnatione diutius immorabor, cum ex ipsis textibus, in quibus Christus dicitur Deus, & Filius Dei, satis refellatur. Sententiam igitur, veritatemque catholicam statuamus. De qua

32. Dicendum. Unionem hypostaticam naturæ divinæ, & humanæ nihil aliud esse, quam naturam humanam non habere subsistentiam propriam, & assumptam esse ad subsistendum hypostasi, seu subsistentia Verbi divini.

Rem quidem mirabilem dicimus, & quæ nullo unquam poterit exemplo declarari. Studuerunt tamen Sancti Patres aliquo pacto illam ostendere, sed in pluribus eorum simititudines defecisse, compertum erit. Studuit August. ep.99. & adducit exemplum Philosophi, qui mortuus sit, vere enim dicitur, Philosophus est mortuus, quin tamen mortua sit Philosophia; & ita etiam dicitur, Christus Deus mortuus est, quin tamen mortua sit divinitas; Sed quis non videt, hic agi de forma accidentali, quæ ad hominis subsistentiam nequaquam trahitur? quod in hac re potissimum considerandum est. Studuit Athanasius, & adducit exemplum animæ & corporis, nam anima rationalis extra corpus per se subsistit, & corpus etiam, antequam per animam actuetur, & tamen quando uniuntur, una est utriusque subsistentia. Sed quis non intelligit, corpus & animam esse naturas imperfectas & incompletas, ex utroque fieri unam tantum naturam, & neutram aliam trahere ad subsistendum subsistentia propria, sed utramque subsistere per subsistentiam totius compositi? quod in hoc mysterio admitti non potest. Studuit Basilius in orat.5. Nativit. & adducit exemplum ferri igniti; Hoc enim est quid unum, & tamen habet proprietates ignis & ferri, ita etiam &c. Hoc maxime placet Brentio, aliisque hæreticis, sed hoc præ omnibus minus est aptum; etenim non sustentatur ferrum a colore, sed calor a ferro, & tamen ipsi volunt, per calorem innui divinitatem, per ferrum humanitatem, proinde deberet divinitas sustentari ab humanitate; rursus in illo non fit prædicatio per conversionem, idest communicatio idiomatum, nec enim dicitur, *Calor est ferrum, ferrum est calor*. Studuerunt S. Th. & S.Bonav. in 3. dis.1. q.1. & mysterium incarnationis comparant arbori, cui inseratur arbor alterius speciei, sicut enim arbor, v.g. pirus est verum suppositum, & sustentat ramum alterius arboris, quæ inseritur, & quæ esset verum suppositum, nisi a piro sustentaretur, & tunc potest eadem arbor vocari utroque nomine, & exercere utrasque operationes, ita Verbum Divinum velut arbor magna ramusculum humanæ naturæ suo trunco suscepit, & sic factum est idem suppositum Deus & homo, nec Verbum ab humanitate pendebat, sed humanitas a Verbo, & utriusquæ naturæ habuit operationes. Comparatio hæc magis explicat, non tamen satis, siquidem ramus ille non est perfecte arbor, sed pars arboris, e contra humana natura in Christo non est pars naturæ, sed perfecta natura. Fateamur igitur oportet, mysterium hoc explicari non posse, nisi forte per aliud mysterium. sicut fecit Bernard. serm.3. in vigil. Nativit. ut quemadmodum mysterium Trinitatis in hoc consistit, quod una eademque natura triplici subsistentia terminetur, ita in mysterio incarnationis corpus, anima, & divinitas in Christo unica tantum

tum subsistentia. Verum ad probandum assertum nostrum jam deveniamus.

33. Sic autem probo. Unio incarnationis talis esse debet, ut per ipsam Verbum factum sit homo, & vera sit confessio Petri Mat. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi*; Sed ex hoc probatur unio incarnationis in Verbi persona. ergo. Pr. mi. Verbum factum esse hominem, & Christum esse Filium Dei, non servatur per unionem factam in natura, itaut sit una natura ex dictis superius, neque per hoc quod specialiter inhabitet, & sint duæ personæ pariter ex dictis, ergo per hoc tantum, quod sit facta in hypostasi, seu subsistentia Verbi, & plane si in Christo unica tantum est persona, aut humanitas communicavit subsistentiam suam Verbo; quod non minus impium, quam ridiculum est, vel Verbum communicavit subsistentiam suam humanitati, quod unice superest dicendum. Confirm. hoc amplius ex doctrina Concilii Tolet. sexti cap. 1. & ex veritate procul dubio Catholica. Sola persona Filii est incarnata, ergo unio facta est in aliquo, quod non sit commune toti Trinitati, alioquin tota Trinitas esset incarnata, sed sola subsistentia Filii est propria Filii, reliqua vero omnia communia sunt, ergo unio facta est in sola subsistentia Filii, proinde &c. atque ex hoc omnino refellitur error, de quo ante conclusionem dictum est, nam si unio hypostatica explicari deberet per communicationem perfectionum, & proprietatum divinarum, cum hæc non minus conveniant Verbo, quam Patri, & Spiritui Sancto, non esset potior ratio, quare Verbum, non reliquæ personæ sint, & dicantur incarnatæ; Hoc necessum est ad unionem hypostaticam; ut communicetur hypostasis, Deus enim Pater omnia communicat Filio, & tamen, quia non communicat hypostasim suam, non sunt uniti hypostatice, sed distincti.

34. Sed, ut clarius contra Brentianam hæresim quidpiam dicatur, affero apologeticam contra Orientales in defensione quarti anathematismi, ubi Cyrillus ex S. Julio Papa pro se profert hæc verba. *Incarnatus est ex Virgine Dei Filius qui & habitavit in nobis, non in homine energiam operans, perfectus Deus in carne &c.* Denique; Si unio hæc hypostatica explicari posset per communicationem attributorum & divinarum perfectionum, quid dicendum foret de corpore Christi pro triduo mortis? ergo hoc non fuisset hypostatice unitum Verbo, quia corpus mortuum non est capax omnipotentiæ, & hujusmodi; Rursus; nonne Christus Dominus plura sibi meruit? dicitur Luc. ulti. *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* ad Philip. 2. *factus obediens usque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum.* Ad Hebr. 2. *Videmus Jesum propter passionem gloria & honore coronatum.* Meruit ergo gloriam corporis, exaltationem nominis, ascensionem in Cęlum, sessionem à dextris, at si unio hypostatica consisteret in omnium donorum communicatione, ista non meruisset, sed habuisset semper, aut non fuisset semper unio hypostatica. Dicamus igitur, ut cetera quæcumque prætereamus, unionem hypostaticam unice explicari, sicut à nobis explicatur.

35. Op. Si subsistentia Verbi se extenderet ad terminandam humanam naturam, se extenderet ultra propriam virtutem, hoc non est dicendum, ergo unio incarnationis non est facta in persona, seu subsistentia Verbi; prob. maj. subsistentia Verbi terminans divinam naturam adæquate completur, ergo si &c. prob. ant. terminabilitas divinæ naturæ est infinita, ergo. Secundo. In eodem supposito nequeunt uniri peccabile & impeccabile, mortale & immortale, finitum & infinitum, ergo neque divinum & humanum.

Resp. ad 1., quod est argumentum Nestorii, ne. maj. ad prob. dis. ant. adæ-

quate

quate completur de primario conc. de secundario ne. ant. & conf. & sic ad prob. sicut cognoscibilitas naturæ divinæ adæquate complet divinam cognitionem, & tamen cognitio divina se extendit etiam ad res creatas, ita &c. Ad secundum quid dicendum de peccabilitate & impeccabilitate videbitur in propria quæstione, quod vero dicitur de mortalitate, & immortalitate &c. negatur, & est id, quod usque modo à nobis probatum fuit.

Alia argumenta desumuntur ex eo, quod humanitas deberet esse ubique, sed hoc magis esset verum in sententia Brentii; De hisce tamen occurret dicendum, ubi de idiomatum communicatione pertractabitur.

ARTICULUS V.

Quomodo Unio hypostatica facta sit in Unitate personæ.

36. DUrandus, Sotus, & Capreolus supponentes non esse in divinis nisi subsistentiam absolutam, & personalitates relativas tantum modificare subsistentiam absolutam, appropriantes eam uni, & non alteri personæ, eam sententiam docuerunt, ut dixerint, unionem immediatam & primariam factam fuisse in subsistentia absoluta, mediatam vero & secundariam in proprietate personali Verbi, vel factam esse in subsistentia absoluta, ut appropriata Verbo per relativam personalitatem; Utrum hoc admitti debeat quantum ad dictam suppositionem, spectat ad tractatum de Trinit. definire. Communius tamen Theologi asserunt, rationem formalem, per quam Verbum terminavit naturam humanam, fuisse subsistentiam relativam Verbi, & hanc sententiam amplector cum S. Thom. hic art. 2. Scoto in 3. dis. 1. q. 1. ad 2. Suarez, Vasq. Cacher. Puteobon. &c.

37. Sic primo probo ex Concil. Tolet. 6. & 11. in confessione fidei hæc habente. *Cum tota Trinitas cooperata sit formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in unitate naturæ divinæ, id est in eo, quod est proprium filii, non quod est commune toti Trinitati.* Sed hæc omnia non servantur, si ratio formalis, per quam Deus terminavit humanitatem, non sit subsistentia relativa Verbi, ergo. Minor constat, si perpendantur verba concilii, cum excludatur id, quod est commune, sicut se habet natura divina, & subsistentia absoluta, & non sufficiat solum id, quod est appropriatum, sed requiritur id, quod est proprium, sicut est sola subsistentia relativa.

38. Prob. secundo ratione. Id, per quod Verbum immediate & formaliter terminavit humanitatem, neque fuit subsistentia absoluta secundum se, neque ut appropriata Verbo per subsistentiam relativam, ergo fuit ipsa subsistentia relativa; prob. prima pars antec: Si id, per quod Verbum divinum immediate & formaliter terminavit humanitatem, fuit subsistentia absoluta secundum se, unio immediate & formaliter facta fuisset in aliquo communi toti Trinitati, & sic immediate & formaliter tota Trinitas fuisset incarnata, sed hoc est contra fidem, & contra concilium citatum, ergo. Maj. patet, quia procul dubio subsistentia absoluta est in omnibus tribus personis, minor præterquamquod clara est, insinuatur etiam in 4. Syn. gen. act. 8. hæc dicente, *Pater & Spiritus Sanctus nihil habent in incarnatione commune præter benignissimam voluntatem*, quod in Durandi sententia falsum esset; prob. 2. pars primi antec. Appropriatum & proprium diferunt inter se notabiliter, ergo si ex Concilio unio facta fuit in eo, quod est proprium filii, non fuit facta in subsistentia absoluta, ut appropriata filio; prob. ant. Natura divina per filiationem appropriatur filio, nec tamen est propria filii, ergo. Tum quia;

quia, ut aliquid dicatur appropriatum, sufficit, si trahatur ad propria, ut autem dicatur proprium, debet convenire subjecto ex propria differentia formali, ita ut non possit non convenire sine subjecti destructione, ergo.

39. Op. 1. Licet essentia divina esset immediate unita humanitati, non recte inferretur incarnatio Patris & Spiritus Sancti, ergo nullum propositum fundamentum; prob. ant. Licet essentia divina sit mediate unita humanitati, non recte infertur incarnatio mediata Patris & Spiritus Sancti, ergo à pari; prob. conf. Ideo primum, quia Pater & Spiritus Sanctus non sunt uniti personaliter, sed neque secundo modo essent uniti personaliter, ergo. Minor est doctrina Durandi. Confirmatur. Licet subsistentia absoluta communicetur, & uniatur humanitati, tamen non potest dici communicatus & unitus Pater, ergo. Prob. ant. licet subsistentia absoluta communicetur filio, tamen non potest dici communicata paternitas, vel Pater, ergo à pari.

Resp. ne. ant. ad prob. conc. ant. ne conf. quia essentia divina unitur humanitati media personalitate Verbi divini tanquam per rationem formalem per se & immediate, quod autem convenit essentiæ non ratione sui, sed proprietatis personalis, non potest dici commune toti Trinitati, præsertim quod cum Verbi personalitate non sunt idem aliæ personæ, sicut sunt cum essentia; E contra in sententia Durandi ratio formalis terminandi humanitatem esset essentia divina communis toti Trinitati, ideo &c. Unde ad prob. conc. maj. ne. mi. quæ enim dicuntur de Deo secundum se & absolute, dicuntur de omnibus tribus personis, ut patet in omnibus perfectionibus absolutis, & operationibus ad extra, proinde etiam deberet dici unio personalis, si unio conveniret essentiæ secundum se, & immediate. Præterea. Juxta Dutandi sententiam si Pater & Spiritus Sanctus non essent uniti personaliter, saltem essent incarnati essentialiter, nam quemadmodum ea dicuntur continua, quorum extrema sunt unum, ita ea dicuntur unita substantialiter, quorum est unum commune vinculum substantiale, sed natura, seu subsistentia divina absoluta hujusmodi est, ergo. Hoc autem asserere ex Goneto disp. 8. num. 12. valde temerarium est.

40. Ad Confir. disparitas colligenda est ex diversitate termini, cui communicatur subsistentia absoluta, & illius, cui communicaretur, si immediate uniretur humanitati; nam in primo casu communicatur termino relative opposito paternitati, mirum ergo non est, si ipsa paternitas non communicatur; in secundo autem communicaretur termino, cui nullo modo opponeretur paternitas, & pater, & ideo etiam hæc uniretur, aut saltem non esset major ratio, cur esset unitus filius, non pater. Alia etiam disparitas non deesset, & quidem multiplex, primo quia generatio, cum sit actus notionalis connotat relationem necessariam in principio generante, at unio posita à Durando est ex vi proprietatis essentialis tantum, nec requirit proprietatem personalem, sed illam tantum de secundario involuit. Secundo; per Durandum hic Deus, prout abstrahit à persona, per se unitur, nec tamen hic Deus, prout abstrahit à persona, generat, sed ut est Pater. Tandem; actus notionalis est proprius personæ producentis, & non productæ, quia præsupponit personam producentem origine priorem alia persona pro illo priori non constituta, e contra omnis communicatio ad extra supponit personas jam constitutas, proinde si talis communicatio sit per essentiam, non est potior ratio, cur fiat per unam, & non per aliam. Ita respondet P. Suarez, sed responsio mea clarius satisfacit.

41. Op. 2. Ut aliqua persona dicatur carnem assumens, non sufficit unio in subsistentia communi & absoluta, sed ulterius requiritur unio illius personæ

secun-

ſecundum proprietatem perſonalem, tanquam per modificativum communis, ſed unio ſecundum proprietatem perſonalem, tanquam per modificativum, facta fuit tantum in perſona Verbi, ergo. Confir. quando abſolutum modificatur filiatione, ita eſt proprium filii, ut non ſit alicujus diſtinctæ perſonæ, ergo. Prob. ant. quando abſolutum modificatur paternitate, ita eſt proprium Patris, ut non ſit alterius diſtinctæ perſonæ ergo. Ant. patet in potentia generativa; nam ut affecta paternitate generat, & eſt proprium ſolius Patris generare.

Reſp. primo ne. maj. juxta doctrinam ſuperius explicatam; Secundo diſtinguendo, requiritur ulterius unio illius perſonæ &c. tamquam ratio formalis, ad quam immediate terminetur unio conc. ad quam ſolum mediate ne. maj. tranſ. mi. ne. conſ. quæ omnia conſtant ex dictis. Ad Confir. diſ. ant. ita eſt proprium filii, ut non ſit &c. ſecundum rationem modificantem conc. ſecundum rationem modificatam ne. ant. ad prob. eodem modo: Immo argumentum urget adverſarios; nam ſicut virtus generativa, quæ eſt in Patre, licet ſit affecta paternitate, eſt etiam in aliis perſonis, ideſt idem intellectus, & eadem natura divina, quanvis in Patre ſit generativa, non in Filio, ita eadem ſubſiſtentia abſoluta, licet affecta filiatione, erit etiam in aliis perſonis, proinde non erit propria ipſius filii. Quod ſi in primo caſu poteſt dici generans in ſolo Patre, non dicitur, quod poſſit dici incarnata in ſolo Filio, nam ad generandum non ſufficit ſola natura, ſeu ſola virtus generandi formaliter, ſed requiritur, quod determinetur per relationem incommunicabilem Filio, ut ſervetur ordo producentis, & producti; at virtus terminandi in ſubſiſtentia abſoluta, licet non excludat conſortium modificationis relativæ, ſervatur tamen ratione propria, & ſecundum ſe, & ideo, ſi unio facta fuiſſet in tali ſubſiſtentia immediate & formaliter, omnes tres perſonæ fuiſſent incarnatæ, ſicut dixit Nicetus in 3. lib. Theſauri cap. 11. *Si enim carnem à natura Divina aſſumptam dixerimus, utique Patrem & Spiritum comprehendemus, cum una Sanctæ Trinitatis ſit natura.*

42. Op. ultimo. In eo immediate facta eſt unio hypoſtatica, in quo continetur eminenter ſubſiſtentia creata, ſed in ſubſiſtentia abſoluta, & non in relativa continetur eminenter ſubſiſtentia creata, ergo. Maj. patet, quia in eo præſtitum eſt, quod ſubſiſtentia creata dare debuiſſet; prob. mi. ſola ſubſiſtentia abſoluta, non relativa continet perfectionem, ergo in ſola abſoluta & non in relativa continetur ſubſiſtentia creata, cum continentia, quam eminentiæ vocant, ſit maxima perfectio.

43. Reſpondent plures cum Suarez, Cacherano, aliiſque, negando ſubſiſtentiam relativam non includere perfectionem ſibi correſpondentem in eſſe relativi; Sed quia hoc definire pertinet ad tractatum de Trinit. ideo dico, in mea ſententia, admittente ſubſiſtentiam creatam in negativo, argumentum nihil probare, cum ſic per ſubſiſtentiam divinam ſupplentem munus ſubſiſtentiæ creatæ præſtetur tantum incommunicabilitas, quæ reperitur in ſubſiſtentia relativa non in abſoluta. Unde argumentum ſic in adverſarios retorquetur. In eo immediate & formaliter facta fuit unio, in quo continetur eminenter ſubſiſtentia creata, ſed ſubſiſtentia creata continetur in ſubſiſtentia relativa, non in abſoluta, ergo Prob. mi. ſubſiſtentia relativa reddit naturam incommunicabilem, non abſoluta, alioquin natura Patris non poſſet communicari filio, quod eſt contra fidem, ergo. In ſententia vero aliorum diſtinguitur duplex effectus in ſubſiſtentia, unus, quo redditur natura in ſe poſitive completa, & ſic habet perfectionem, alius, quo redditur natura incommunicabilis, & ſic à perfectione & imperfectione præſcindit.

Tu-

Tutior tamen est responsio Scoti in 3. dis. 1. subsistentiæ relativæ convenire supplere munus subsistentiæ creatæ, non quia illam continet, siquidem etiam natura divina continet naturam creatam, nec tamen naturam creatam potest supplere; sed quia est independens, & quod est tale potest terminare dependentiam alterius ad ipsum, quod natum est habere terminum talem, ista autem dependentia nata est habere personam per termino, & non naturam, igitur persona divina independens potest sufficienter terminare talem dependentiam naturæ creatæ ad ipsam. Si obscurus in hac re videor, non est mea culpa, sed Scoti.

ACTICULUS VI.

An Christus sit persona composita.

44. Difficultatem istam pertractant Theologi cum S. Thom. hic art.4. Scoto in 3. q.3. atque ita omnes definiunt, ut unanimi calamo asserant, Christum esse personam compositam, attamen in modo se explicandi, & concludendi de nomine solum contendere videantur, atque eorum dicta perlegere, aliud non sit, quam lectorum mentem confundere. Antequam ipsorum proferam sententias, procul dubio tenendum est, Christum personam compositam esse; hoc enim à Patribus, hoc à Conciliis accepimus. Damascen.lib.3. Orthod. fid. cap. 4. ait. *In Domino Jesu Christo duas naturas cognoscimus, unam autem hypostasim ex utraque compositam.* Augusti. lib.3. de Trinit. cap.17. *Sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona*; particula autem *ex* proprie & stricte sumpta significat compositionem. Dionys. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 3. *Unum illud & simplex Jesu divini Verbi nostræ humanitatis assumptione ad compositum, atque visibile sine immutatione sui per summam clementiam processisse.* Si concilia adeamus, occurrit statim 5. Synod. gen. act.8. can.5. ubi legitur. *Qui non confitetur unitionem Dei Verbi ad carnem animatam secundum compositionem, sicut Sancti Patres docuerunt, & ideo unam ejus subsistentiam compositam, qui est dominus noster Jesus Christus, anathema sit.* Et infra contra Eutichem & Nestorium hęc habentur. *Sancta Dei Ecclesia utriusque perfidiæ impietatem reiiciens unitionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem profitetur.* Idem in 6. Synod. gen. act. 4. ubi sic. *Item confitemur Christum ex duabus naturis compositum.* Concil. Lateran. sub Martino I. can.8. damnat eum, *qui non confitetur proprie & vere secundum compositionem, idest secundum naturarum unitionem, ex quibus unus, & solus extitit Christus.*

45. Ratio autem Theologica esse potest, quia, ut ait Basil. lib.2. contra Eunom., compositum illud dicitur, quod constat ex duobus re distinctis, sed Christus est vere unus constans ex duobus re distinctis, ergo est compositus. Maj. declaratur, quia ex vi nominis compositum est illud cum alio positum, proinde, ubicumque reperiuntur duo re distincta & simul unita, ibi reperiatur compositio, necesse est. Hoc dico ad excludendam compositionem inter naturam divinam & subsistentiam, quia inter hanc & illam non datur unio, sed perfecta realis identitas, quare subsistentia Verbi, prout terminat divinam naturam, omnino simplex censenda est, prout vero terminat naturam humanam, & huic mediate unit naturam divinam, appellari potest composita; atque hæc est ea ratio, quam S. Th. hic art.3. in corp. adducit, dicendo; *Respondeo quod persona, sive hypostasis Verbi dupliciter potest considerari; Uno modo secundum id, quod est in se, & sic est omnino simplex, sicut est natura Verbi, alio modo secundum rationem personæ, seu hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura, & secundum hoc persona Christi* sub-

ſubſiſtit in duabus naturis; Unde licet ibi ſit unum ſubſiſtens, eſt tamen ibi alia, & alia ratio ſubſiſtendi. Dum audis *alia, & alia ratio ſubſiſtendi*, ne intelligas diverſam in re ſubſiſtentiam, ſed tantum diverſum munus, quia in natura divina ſubſiſtentia terminat identice & eſſentialiter, in natura vero humana terminat cum diſtinctione, & contingenter.

46. Nunc jam profero Doctorum mentem circa hanc Chriſti compoſitionem; & 1. eas ſententias producam, quæ apud Magiſtrum in 3. diſ.6. perleguntur. Alii dixerunt, in Verbi incarnatione hominem quemdam ex anima rationali & humana carne conſtitutum, & iſtum cæpiſſe eſſe Deum, & propter hoc Deum cæpiſſe eſſe hominem, (hoc dico, ut velim te intelligere, non ideo hominem cæpiſſe eſſe Deum, quia Deus incepit eſſe homo, ſed ideo Deum cæpiſſe eſſe hominem, quia homo incæpit eſſe Deus, ſic enim mutatio eſt ex parte hominis, non ex parte Dei,) Unde vere dicitur *homo factus eſt Deus, & Deus factus eſt homo*. Et cum dixerint hominem illum ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtere, non dixerunt, ex duabus naturis eſſe compoſitum, divina ſcilicet ac humana, nec illius partes eſſe naturas, ſed animam tantum & corpus. Hoc lit. B. Alii dixerunt, huminem illum non ex anima rationali tantum & carne, ſed ex humana & divina natura conſtare; Hic eſt Jeſus Chriſtus, & eſt una tantum perſona, ante incarnationem omnino ſimplex, in incarnatione vero compoſita ex humanitate & divinitate; perſona ergo, quæ erat omnino ſimplex in una tantum natura exiſtens, in duabus & ex duabus ſubſiſtit naturis; quæ erat Deus tantum facta eſt homo, nec tamen debet dici facta perſona, ſed facta perſona hominis, & in quantum eſt ita ſubſiſtens compoſita eſt, in quantum vero Verbum eſt, ſimplex eſt. Hoc lit. D. Dixerunt alii, in Verbi incarnatione non ſolum non eſſe perſonam ex naturis compoſitam, ſed neque aliquam ſubſiſtentiam ibi factam eſſe ex anima & corpore, ſed animam & carnem Verbi perſonæ unitam, ut illis, velut indumento, Verbum Dei veſtiretur, & mortalium oculis congruenter appareret, & ſic Verbum diceretur homo, quatenus humanitate indutum, non vero quia aliquid ex illis eſſet, ſimul diceretur Deus, quatenus Deus indumentum illud acciperet; nam ſi ſubſtantialiter Deus eſſet homo, & homo eſſet Deus, tunc ſi Deus aſſumpſiſſet humanitatem in ſexſu muliebri, mulier eſſet ſubſtantialiter Deus, & e contra, potuit autem Deus ita aſſumere. Hoc lit. F. & prorſus reiiciendum, cum in omnibus deficiat, & in dogmate, & in probatione.

47. Alii vero poſt Magiſtrum dixerunt, veram & propriam compoſitionem admittendam eſſe in Chriſti perſona, negantes ſemper ad veram & propriam compoſitionem neceſſariam eſſe imperfectionem, ſed hanc ſolummodo reperiri, quando compoſitio eſt inter partem & partem, quarum una ex natura ſua inſtituta ſit ad perfectionem alterius, aut ſervat ordinem eſſentialem ad aliam, quemadmodum contingit in compoſitione, quæ eſt inter materiam, & formam, genus, & differentiam, corpus, & animam, quamvis enim nec corpus mutetur in animam, nec anima in corpus, attamen naturalis exigentia utriuſque talis eſt, ut detur inclinatio mutua ad unionem, & propter hoc naturaliter producta ſint, quod quidem omnino alienum eſt à compoſitione, quam Catholici affirmant in Chriſti perſona, cnm neque natura humana ſit pars, neque à fortiori pars ſit natura divina, aut Verbi perſona. Ideo dicit Scot. in 3. diſ. 6. q. 3. *Sed illa opinio, in hoc, quod dicit perſonam Chriſti eſſe compoſitam, non tenetur communiter proprie loquendo de compoſitione, ſcilicet ex actu & potentia, ſicut ex materia & forma, vel ex duabus potentialibus, qualia ſunt elementa, & integrantia*. Quod ſi ibi Doctor videtur innuere, nullam eſſe com-

compositionem, vel excludit compositionem in natura, quatenus resultet una natura, sed ambæ maneant inconfusæ & distinctæ, vel si negat in persona, negat tanquam ex partibus.

48. Quia tamen ex communi loquendi modo nomen hoc compositionis quamdam imperfectionem significare videtur, ideo Cajetanus censuit, propositionem hanc, *Christus est persona composita* limitandam esse per particulam *ineffabiliter*. Mastrius per particulam *mirabiliter*, seu aliis terminis æquivalentibus, quibus quælibet imperfectio expresse removeatur. Inter hæc nolo præterire Durandum, qui in 3. dist.3. dicit in Christo non esse admittendam compositionem *hujus ex his*, sed solum *hujus ad hoc*, quod quidem ingeniose, & fortasse magis veraciter dictum asserere non trepidarem; nam unice videntur obstare quædam Patrum auctoritates adhibentium particulam *ex*; sed dici posset, nec Patres voluisse juxta omnem rigorem loqui, neque particulam *ex* semper indicare compositionem. ut constat ex illo Joan. I. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*; nec tamen hic indicatur vel aliquid se habens intrinsece, nec aliquid componens.

49. Hæc omnia retuli, & quæ contra compositionem in Christi persona militant, rejeci; Quod magis placet teneatur, dummodo compositio, ut Patres & Concilia servant, teneatur. Non parum laboravi, ut brevi fonte perstringerem, quod in aliorum oceano vix invenitur.

ARTICULUS VII.

Utrum aliæ divinæ personæ possint eandem naturam assumere vel seorsim, vel simul.

50. POtuisse alias divinas personas naturam humanam assumere, nemo potest ex Catholicis inficiari, licet de facto solum Filius factus est homo, contra Sabellianos & Patripassianos, qui admittentes personas divinas solo nomine distinctas, non re, per consequens dixerunt, incarnationem & passionem Filii fuisse etiam Patris, & Spiritus Sancti, & contra quemdam Clericum Gallum, qui, licet fateretur has personas re distinctas, attamen totam Trinitatem carnem factam esse asserebat, ut scribit S. Ansel. in lib. de incarn. Verbi cap. 1. & propterea damnatus fuit in Concil. Remens. non quidem sub Eugen. 3. tempore Bernardi, sed sub Raynaldo Archiep. tempore Anselmi, licet postea in alio Remensi Concilio sub dicto Eugenio iterum damnatus fuerit idem error, quem Gilbertus Porretanus denuo excitaverat. Ratio autem asserti nostri facile explicatur, si enim Verbum de facto assumpsit naturam humanam, quare non potuissent assumere aliæ divinæ personæ? Sicut in Verbo virtus essentialis infinita, & virtus terminandi naturam, ita admittitur in aliis personis, quæ licet habeant diversas relationes, attamen in omnibus æqualis est vis terminandi.

51. Neque obstat, Patrem, utpote ab alio non procedentem, non posse mitti, utpote habentem innascibilitatem pro sua speciali notione, non posse nasci, & utpote carentem filiatione naturali, non posse nobis tribuere filiationem adoptivam, quod valet etiam de Spiritu Sancto. Nam in primis hæc probarent impossibilem incarnationem aliarum personarum in quocumque sensu; Sed nihil revera concludunt; primum enim probat, Patrem non posse incarnari tanquam missum, at missio non est necessaria ad incarnationem; Unde Pater, si incarnaretur, à se veniret, & Filius incarnatur tanquam missus, non quia incarnatur, sed quia incarnatur ut Filius. Secundum desumptum ex innascibilitate incarnationem non prohibet, cum notio Patris sit innascibilitas æterna, non temporanea, & filiatio temporanea non confunderet personam Patris cum persona filii, cum hæc non constitua-

tuatur per filiationem temporaneam, sed æternam, immo etiam fieri posset incarnatio sine nascibilitate temporanea, si v. g. assumeretur natura humana à Deo solo immediate producta. Tertio respondet S. Th. dicendo, quod sicuti Filio incarnato, adoptivam filiationem accepimus per similitudinem filiationis naturalis ejusdem, ita si Pater fuisset incarnatus adoptivam filiationem acciperemus ab eo, tanquam à principio naturalis filiationis, & si fuisset incarnatus Spiritus Sanctus, tanquam à nexu communi utriusque.

52. Hæc quidem tanquam certa supponuntur. Quod inter scholasticos ad controversiam vocatur, est; Utrum omnes tres divinæ personæ (& idem dicendum de duabus) potuissent immediate & simul eandem numero humanitatem assumere. Affirmat S. Th. hic art.6. & in 3. dis. 1. q.2. art. 4. Cum eo Thomistæ omnes, Salmantic. Cajet. Joan. à S. Th. Gonet. Suarez, Vasq. Cacheran. Puteobonel. Negat Scot. in 3. dis. 1. qu. 2. Cum eo Scotistæ omnes præter Bassol. & Pontium, ex Neotericis vero Lugus & Amicus, citantur etiam Ricar. Alber. Palud. immo & S. Anselmus.

53. Dicendum, Tres divinas personas non potuisse simul assumere eandem numero naturam.

Plures rationes ad hoc probandum afferuntur à Scoto, quibus frequenter utuntur Scotistæ, & quidem juxta sua principia philosophica, quibus sicut contendunt, eundem effectum non posse simul à duplici causa dependere, quia penderet, & non penderet, ita contendunt eandem naturam non posse à duplici subsistentia terminari, quia terminaretur, & non terminaretur; Sed quemadmodum in illius quæstionis resolutione argumentum ex eo capite petitum præterivi, quod tamen contra Thomistas concedentes antecedens maximam vim habet, ideo & in hac re alia via procedam. Sic igitur.

Prob. assertum. Natura humana, idem dicatur de qualibet natura, terminata triplici subsistentia, vel constitueret unum hominem, vel plures homines, neutrum dici potest, ergo non potest terminari triplici subsistentia; prob. prima pars min. Si natura humana terminata triplici subsistentia constitueret unum hominem, in tribus suppositis non multiplicaretur, neque divideretur, quemadmodum natura divina constituens unum Deum in tribus suppositis neque multiplicatur, neque dividitur, sed hoc non est dicendum, ergo; prob. mi. Si natura humana in tribus suppositis non multiplicaretur, neque divideretur, esset infinita, sed hoc non, ergo. Prob. maj. non alia ratione probant Theologi non multiplicari in tribus suppositis naturam divinam, nisi quia est infinita, e contrario quamlibet aliam naturam multiplicari in suis individuis, quia finita est, ergo. Prob. secunda pars primæ minoris; Si natura humana terminata triplici subsistentia constitueret plures homines, jam multiplicaretur & divideretur, ergo non esset eadem numero natura, prob. ant. Si natura divina, terminata triplici subsistentia, constitueret plures Deos, jam multiplicaretur, & divideretur, ergo à pari.

54. Respondent 1. naturam esse in triplici supposito inferre infinitatem in natura, si ita sit juxta exigentiam propriam, & naturalem, meritoque propriæ fæcunditatis, atque ita esse convenit naturæ divinæ; non inferre tamen infinitatem, si hoc contingat per solam miraculosam elevationem, & præter propriam naturalem exigentiam; Hoc autem in re nostra eveniret. Sed profecto hujusmodi responsio futilis est, ac omnino reiicienda; nam eodem modo dici posset, per miraculosam elevationem posse creaturæ communicari omnipotentiam, & immensitatem, quia dici posset, has Deo convenire ex propria natura, creaturæ vero nequaquam. Quemadmodum ergo nullo modo possunt illæ, & alia divina attributa per ul-

lam elevationem creaturæ convenire, quia sunt proprietates divinæ naturæ ab ejusdem infinitate provenientes, ita nullo modo possunt convenire creatæ naturæ tres divinæ subsistentiæ, quin natura dividatur, & multiplicetur, quia titulo suæ infinitatis hoc propriam est naturæ divinæ.

55. Hac de re secundo respondent, non ideo naturam divinam esse infinitam, quia sine sui multiplicatione sit in tribus suppositis, sed quia sine sui multiplicatione est in tribus suppositis, servata cum iisdem perfecta identitate reali, quod non contingeret in natura creata.

Sed hoc etiam falsum est, nam si per impossibile natura divina esset sine sui multiplicatione in tribus suppositis, quanvis per idem impossibile esset distincta ab ipsis, adhuc esset infinita; & revera si quæratur, quare divina natura communicatur eadem omnino distinctis personis, non sic quæcumque alia natura, non alia responsio afferri potest, nisi quia dumtaxat illa infinita est. Sed revera fieri non potest, hanc naturam esse immultiplicatam in tribus suppositis, & ipsis non esse identicam; quare enim natura divina est hujusmodi? quia est in ipsis sine sui divisione; ex quo aliud argumentum pro sententia mea; & ratio hujus est, quia identitas naturæ cum suppositis oritur ex naturæ infinitate, non infinitas naturæ oritur ex identitate, non ergo natura divina est infinita, quia identica cum suppositis, sed ideo est identica, quia infinita, ideo vero infinita, quia in pluribus immultiplicata, & e contrario.

56. Neque dicas, naturam divinam, quia infinitam, & esse immultiplicatam, & esse immultiplicabilem, quod de natura creata, quanvis in divinis suppositis non multiplicaretur, affirmari non potest; Contra enim; natura creata per respectum ad supposita possibilia est essentialiter multiplicabilis, ergo per respectum ad supposita, quibus terminatur, est essentialiter multiplicata, & sic nunquam eadem manens eadem potest a pluribus subsistentiis terminari, si enim posse terminari est posse multiplicari, etiam actu terminari, est actu multiplicari.

57. Hoc fundamentum placuit inter tot proferre, cum militet non tantum contra Tomistas, quorum est sententia opposita, sed etiam contra Neotericos, qui ut solent, defendunt plures Thomistarum sententias, & in aliis cohærentibus ab ipsis recedunt. Si enim contra Thomistas tantummodo fuisset disceptatio, dixissem; Non potest idem effectus esse a duplici causa, ergo neque eadem natura terminari duplici subsistentia, & sicuti eidem rei potest tantum convenire una existentia, ita & una subsistentia, nisi sit existentia infinita exigens in semetipsa fæcunditatem adinstar producentis & producti, ut contingit in essentia divina; dixissem; non potest eadem materia actuari duplici forma, ergo neque eadem natura terminari duplici subsistentia, & sicuti in primo casu non suffragatur duplicitas compositi, ita in secundo casu non suffragatur duplicitas suppositi, ex alia parte si forma est actus primus materiæ, subsistentia est terminus ultimus naturæ, ante primum non datur prius, post ultimum non datur posterius; dixissem tandem, idem corpus non posse esse in duplici loco circumscriptive, quia determinatur & circumscribitur uno loco, ergo neque eadem natura sub duplici subsistentia, quia terminatur a subsistentia; Quascumque afferant disparitates, semper argumentum ex iisdem instaurabitur.

58. Unicam modo auctoritatem S. Anselmi lib.2. *Cur Deus homo* cap.9. cum tam contra Thomistas quam Neotercios æqualiter militet, præterire non possum. Ecce illius verba. *Plures personæ nequeunt unum, & eumdem hominem assumere* contra quem dicendi modum duo proferri posse videntur. Primum

mum cum Cajetano, & aliis Thomistis, ibi sermonem esse de natura jam habente propriam subsistentiam, seu, ut inquiunt, personata, non vero de natura propria subsistentia seu personalitate destituta. Secundum cum Suarez & aliis recentioribus, ibi negari tantum, tres personas non posse assumere eundem hominem, intellige humanitatem, in unitatem personæ, & de facto Anselmus prædictis verbis addit, *in unitatem personæ*; at hoc non eveniret in casu, nam in eadem natura assumpta constituerentur tres personæ, sicuti si eadem materia actuaretur triplici forma, quod per Scotistas non repugnat, constituer etur triplex compositum.

59. Sed contra. Prima explicatio Anselmi mentem non tenet; nam si loquamur de natura habente propriam subsistentiam, non solum tres personæ possunt illam assumere, sed neque una, ut fatentur ipsi Thomistæ, cum natura nequeat in se subsistere separatim, & simul subsistere in alio; & in eo loco, quod Anselmus negat tribus personis, concedit uni, aliter jocosum & ridiculum fuisset negare tribus, quod etiam negatur uni, ergo loquitur de natura, ut destituta propria subsistentia. Videtur magis approbanda secunda responsio; sed neque ista laudati Doctoris servat systema; Tunc enim res agebatur contra hæreticos, qui asserebant, omnes tres personas fuisse incarnatas, & dicebat, *Plures personæ unum & eundem hominem nequeunt assumere in unitatem personæ, quare in una persona id tantum fieri necesse est.* Quæ consequentia nullam vim habuisset, nam potuissent respondere, fieri potuisse assumptionem à tribus personis non in unitatem personæ, sed ad suas distinctas personalitates constituendo singillatim tres personas; addit ergo particulam illam, *in unitatem personæ* ad innuendum, quod si tres personæ assumerent eandem naturam; deberet ex tribus personis constitui una persona, quod prorsus impossibile est; atque ita intellexit Anselmum S. Bonavent. in 3. dist. 1. q. 3. art. 1. in corp. & quamvis in fine quæstionis dixerit; *In hoc tamen non excluditur alius modus assumptionis, quia cum multa possit facere Deus, quæ intellectus noster non videtur posse capere, quis audebit asserere, quod tres personæ non possint unum & eundem hominem assumere?* hoc dixit præ maxima modestia sua, ut notatur in margine & ibi addit; *Quidquid tamen sit de hoc, illud pro indubitato habendum est, quod modo assumendi determinato, impossibile est unum & eundem hominem assumere propter multiplicationem implicitæ contradictionis, quia sequeretur, quod Filius esset Pater.* En quomodo Seraphicus Doctor indicat, plures personas in unam convenire personam. Tandem responsio hæc ex nostra probatione destruitur. Addi potest aliud Anselmi testimonium dicentis lib. de incarn. cap. 4. *Quapropter impossibile est, Deum incarnatum secundum unam quamlibet personam, secundum aliam quoque incarnari.* Sed hoc intelligi non potest de natura numero diversa, ergo de eadem.

60. Paritas postremo adducta solvitur ex iis, quæ trado in libris physic. materiam esse subjectum indifferens ad omnes formas, neque adæquate compleri per unicam formam ejus potentiam passivam, quæ secundum se omnes reciperet, si in formis non esset oppositio; e contrario natura non est indifferens ad omnes subsistentias, & per unicam subsistentiam adæquate completur, quia ultimo terminatur, & fit alteri incommunicabilis, in quo consistit effectus formalis subsistentiæ, nisi sit natura infinita exigens essentialiter intrinsecam fæcunditatem. Neque certe ita discurrendum de natura ad subsistentiam, sicut de materia ad formam, aliter sequeretur, quod sicuti eadem materia transit de una forma ad aliam formam, ita posset natura transire ab una subsistentia ad aliam subsistentiam, & quidem in infinitum sicut illa.

Tan-

Tanta vis est fundamenti à me expositi, ut omnibus adversantium Doctorum argumentis eo tantum occurrere posse non ambigam. Quod ut manifestius fiat.

61. Op.1. Si omnes divinæ personæ nequeunt simul eandem naturam assumere, vel est repugnantia ex parte divinarum personarum, vel ex parte naturæ, sed ex nullo capite, ergo. Pr. prima pars minoris. Omnes tres divinæ personæ habent virtutem terminandi naturam, neque se excludunt à consortio terminandi eandem naturam, quia de facto terminant naturam divinam, ergo. Prob. secunda pars primæ minoris. Si est repugnantia ex parte naturæ, vel est, quia sunt plures subsistentiæ divinæ, & alienæ, vel quia sunt plures, sed ex nullo capite, ergo. Pr. prima pars minoris; Si est repugnantia, quia sunt divinæ & alienæ, humanitas non potuisset terminari per subsistentiam Verbi, quia hæc est divina, & aliena, sed hoc est contra fidem, ergo. Pr. secunda pars ejusdem minoris, tunc repugnaret, eandem naturam terminari pluribus subsistentiis, quando ex natura & istis deberet fieri unum tantum suppositum; sed in nostro casu deberet fieri multiplex suppositum, sicut de facto in natura divina, quæ cum tribus subsistentiis constituit tres personas, ergo.

62. Resp. totam repugnantiam esse ex parte naturæ humanæ, per quam etiam excluduntur personæ divinæ, ne eam simul terminare possint, & propter ejus limitationem fit, non posse fieri triplex suppositum nisi cum sui multiplicatione, alioquin esset infinita, uti probatum fuit; & si dicas, ex materia & tribus formis fieri triplex compositum, quin tamen materia multiplicetur, ergo ex natura & tribus subsistentiis fieri triplex suppositum quin tamen natura multiplicetur, responsio patet, ex quo ipsa multiplicatio compositorum destruit infinitatem in materia, non sic multiplicatio suppositorum destruit infinitatem in natura, alioquin natura divina infinita non esset, destruit autem illa, quia compositio ex materia & forma necessario involuit imperfectionem ex natura sua. Adde ea, quæ dicta sunt num.60.

63. Aliud argumentum promovet Pater Suarez disp.13. sec.2. sic. Personalitas Verbi non aufert à natura humana potentiam obedientialem, quam habet ad personalitatem Patris, ergo etiam per istam potest terminari; Prob. ant. Quando subjectum est capax duarum formarum, si formæ illæ non sint incompossibiles secundum se, sunt etiam possibiles in eodem subjecto, sed personalitas Verbi non est secundum se incompossibilis cum personalitate Patris, quia de facto reperiuntur in eadem natura divina, ergo cum subjectum esset prius utriusque capax, &c.

64. Resp. in natura humana dari potentiam obedientialem ad personalitatem Verbi & Patris non simul, & collective, sed seorsim, & divisive, unde si terminatur per unam, nequaquam simul terminari potest per aliam, & hoc titulo limitationis naturæ uti probatum est, & sicuti, quia proprium est naturæ divinæ esse in tribus suppositis cum identitate, per nullam potentiam hoc convenire potest naturæ creatæ, ita quia proprium est naturæ divinæ esse in tribus sine sui partitione, hoc nullo pacto convenire potest naturæ creatæ.

65. Ad superius argumentum reduci potest aliud, quod solent proponere. in mysterio incarnationis *sola ratio facti est potentia facientis* ut ait August. ep.3. ad Volus. sed postquam assumpta est natura à Verbo, manet eadem potentia in Deo, & eadem virtus obedientialis in creatura, ergo hæc poterit etiam assumi à Patre, & Spiritu Sancto, præsertim quod in omnibus tribus personis est eadem vis terminandi, nec afferri potest ratio, propter quam una per-

persona aliam impediat, ne terminet.

66. Eodem igitur pacto respondemus, & de mysterio incarnationis peracto tota ratio facti est potentia facientis, quia si factum est, profecto fieri non repugnabat; manet propterea eadem potentia in Deo, manet eadem virtus obedientialis in creatura, sed hæc nunquam fuit hujusmodi, ut simul posset à pluribus subsistentiis terminari. Hinc licet in omnibus tribus personis sit eadem vis terminandi, non possunt tamen omnes simul terminare, non quia impotentia oriatur à personis, sed quod sit incapacitas in natura. Valet hoc magis contra Thomistas, si afferamus paritatem effectus, qui esse nequit à duplici causa totali, pro qua idem argumentum confici potest.

67. Argumentantur alii, sed omnes negative. 1. hoc pacto. Si repugnat, eandem naturam &c. præsertim quia natura in subsistendo nequit dependere à pluribus terminis totalibus, sed hæc ratio non obstat, ergo. Pr. mi. tunc hoc obstat, cum totus concursus termini, à quo dependet natura, non potest imminui, & dividi in plures partiales, sed totus concursus verbi, à quo nunc dependet natura, potest minui & dividi in plures partiales, qui unum totum perficiant, ergo. 2. Si repugnat, eandem naturam &c. præsertim quia persona, cum sit rationalis naturæ incommunicabilis subsistentia (pro qua re satis egi in Metaph. ubi de subsistentia) reddit naturam incommunicabilem, sed hæc ratio nulla est, ergo. Pr. min. Illa definitio vel est personæ, ut personæ, vel personæ divinæ, vel creatæ. Si hoc dicatur, cum natura subsistat per subsistentiam divinam, jam poterit per aliam divinam personam subsistere; si dicatur primum, falsum dicitur, quia de facto plures personæ divinæ terminant eandem naturam divinam, propter hoc nequit affirmari primum. quia si esset definitio personæ, ut personæ, jam deberet convenire etiam personæ divinæ, nam definitio superioris convenit etiam inferiori, ergo.

68. Resp. 1. negando causalem, hanc enim rationem prorsus omisimus; ea tamen transmissa ne. mi. ad prob. tran. maj. ne. mi quæ si vera esset, tunc ex triplici subsistentia divina fieret una subsistentia totalis; sicuti ex pluribus causis partialiter concurrentibus fit una causa totalis; Sed falsum omnino est, posse minui, & quodammodo in partem dividi virtutem terminativam alicujus subsistentiæ divinæ, nam sicuti tota subsistentia communicatur, ita tota virtus subsistentiæ, & nunc ita subsistit natura humana per subsistentiam Verbi. Ad 2. pariter nego causalem propter eandem rationem, ea tamen transf. ne. mi. ad prob. dico, definitionem illam convenire personæ, ut personæ, ad prob. convenire suo modo etiam personæ divinæ, nam Paternitas reddit naturam incommunicabilem in linea Patris, & sic de aliis, quia tamen natura divina propter sui infinitam, & essentialem fæcunditatem, non unam tantum communicabilitatem servat, ideo per unicam subsistentiam non potest reddi incommunicabilis, quod non valet de natura creata.

69. Nunc, oppono rationem aliam, quam veluti ineluctabilem promovere existimat Pater Puteobonellus, opponam autem brevius, sed omnino. Possunt tres divinæ personæ assumere mediate eamdem naturam, ita ut hæc immediate terminari possit per subsistentiam absolutam communem omnibus tribus personis, & hoc per Scotum in 3. dist. 1. q. 2. constat autem, quod si subsistentia absoluta immediate terminaret naturam, mediate terminarent omnes personæ, quia non est relativum sine absoluto, cum quo servat identitatem; quo dato subsistentiæ divinæ adhuc communicarent suum effectum formalem, uniri enim mediate vel immediate non potest illum impedire. Quare, sicuti non inferretur infinitas in natura humana,

na, si mediate uniretur sine sui partitione tribus subsistentiis, ita neque si uniretur immediate.

70. Resp. Data illa sententia, in qua tamen Scotus videtur problematicus, nihil sequi contra rationem à nobis expositam. Primo enim difficultas illa fit, inquirendo, utrum Deus, ut abstrahens à tribus personis, possit terminare naturam, & concluditur affirmative propter subsistentiam absolutam & essentialem, quæ adhuc esset in natura divina ita abstracta (si tamen est hujusmodi subsistentia absoluta, de qua re in tract. de Trinit.) proinde tunc fieret abstractio à divinis personis, proinde etiam ab earum vi terminativa, unde sine sui partitione non subsisteret neque mediate per earumdem subsistentias. Secundo non est eadem ratio de terminatione mediata ac de immediata, etenim illa est omnino impropria, non est respectu naturæ, quæ terminaretur, sed tantum ratione identitatis naturæ assumentis, & conveniret non ratione sui, sed alterius; Quapropter, sicut per Puteobonellum & alios Theologos, quamvis natnra divina uniatur humanæ mediate, ideſt media personalitate Verbi, non tamen infertur, personas omnes esse essentialiter incarnatas, ut dicebatur ex Goneto, ita si unirentur divinæ personæ mediate, ideſt media subsistentia absoluta, non dicerentur omnes personaliter incarnatæ, sed solum esse incarnatam essentiam omnium trium personarum. Tandem responderet Scotus; quod sicuti repugnat, idem accidens esse in tribus suppositis, non repugnat tamen, si una sit superficies omnium trium subjectorum, ita repugnat eandem naturam esse in tribus suppositis, non repugnat tamen esse in natura trium suppositorum. Unde, sicuti in accidente nihil daretur in eo casu à tribus subjectis, sed totum daretur ab una superficie trium subjectorum, ita in nostro nihil daretur naturæ assumptæ à tribus suppositis, sed totum daretur ab una natura trium suppositorum.

71. Posset tandem dici. Idem corpus esse potest in duplici vel triplici loco, ergo eadem natura terminari potest duplici, vel triplici subsistentia; prob. conf. ita corpus circumscribitur per locum, sicut natura per subsistentiam terminatur, ergo si &c. & si non repugnat, circumscriptum per novam præsentiam circumscribi, neque repugnabit, terminatum per novam subsistentiam terminari.

72. Resp. idem argumentum fieri contra Thomistas negantes, idem corpus esse posse in duplici loco; directe tamen conc. ant. ne. conf. & multiplex dispar ratio affertur. Primo; sistendo in nostra probatione, quia corpus habere plures præsentias circumscriptivas non infert immensitatem in corpore ut notum est, naturam autem sine sui multiplicatione esse in pluribus personis infert infinitatem, sicut est probatum. Secundo; circumscriptio corporis habetur à loco solum extrinsece, terminatio autem habetur à subsistentia intrinsece. Tertio; corpus à loco non redditur incapax replicationis, natura à subsistentia redditur incapax communicabilitatis, cum effectus primarius subsistentiæ sit incommunicabilitas, non sic effectus primarius loci sit irreplicabilitas; & si valeret hoc argumentum, sequeretur, quod sicut corpus potest transire de loco ad locum, ita natura posset transire de subsistentia in subsistentiam; Sequitur ergo &c.

ARTICULUS VIII.

Expenduntur breviter plura, de quibus aliqui Doctores fusius pertractant.

73. Diuturnam nimium quæstionem hanc apud plures Doctores invenies, ita ut quis unam, quis aliam promoveat difficultatem, quælibet tamen est, ut inquiunt de possibili, nec quidquam confert ad mysterium incarnationis, sed solummodo ingeniosius, ne dicam

dicam futiles ſibi vindicat diſputationes. Ex his aliqua & ergo proferam, ne eorum penitus me ignarum exiſtiment.

Quærunt 1. Utrum una perſona divina potuiſſet plures naturas aſſumere.

Reſponſio eſt affirmativa; Ratio Theologica communis eſt, quia hoc repugnaret vel ex parte naturarum, vel ex parte perſonæ, ſed neutro modo, ergo. Prob. mi. non ex parte naturarum, cum omnes ſupponantur aſſumptibiles; Quod ſi in ipſis adinveniuntur diverſæ formæ, præter quam quod hæc oppoſitio formarum per me non repugnat in eodem ſubjecto, ſatis excluditur per diverſitatem ſubjectorum, ideſt naturarum, in quibus invenitur; non ex parte perſonę, hæc etenim eſt infinita, proinde habet infinitam vim terminandi, ita ut à nulla creatura exhauriatur, ergo.

Dices. Pater habet infinitam vim generandi, & tamen non poteſt habere niſi unum terminum generationis, ergo à pari licet divina perſona habeat infinitam vim terminandi, non poteſt aſſumere niſi unam naturam.

Contra; ſequeretur, divinam perſonam terminantem naturam divinam, nullam aliam naturam poſſe terminare, & ſic incarnationis myſterium deſtrueretur. Non poteſt ergo Pater habens infinitam vim generandi niſi unam perſonam generare, quia per hanc, veluti per terminum intrinſecum infinitum, & neceſſarium, adæquate completur, ſicut & perſona habens infinitam vim terminandi non poteſt neceſſario & infinite terminare niſi unicam naturam, ideſt divinam, libere tamen terminare poteſt aliam quamcumque, quemadmodum divina voluntas amando ſe ipſam neceſſario, amat bonum ſibi adhæquate correſpondens, hoc tamen non impedit amorem liberum erga res alias à ſe diſtinctas, quibus ſe communicat eo modo, quo poteſt communicari.

74. Videtur in hoc difficultas, utrum in hoc caſu dicendæ eſſent plures perſonæ, vel ſuppoſita, vel unum tantum. Cum enim perſona, ſeu ſuppoſitum deſumatur à ſubſiſtentia, ubi hæc una eſt, ibi & unum debet eſſe. Non una fuit Theologorum ſententia. Si Ricardum audiamus; Hic in 3. diſ. 1. q. 5. art. 1. aſſerit, ſimpliciter neque eſſe unum, neque plura, ſed ſecundum quid utrumque. Si Durandum, Altiſiodorenſem, immo Scot. in 3. q. 3. & S. Th. in 3. diſ. 1. q. 2. art. 5. ſenſerunt iſti, unam perſonam, habentem plures humanitates, appellandam eſſe plures homines, & ratio eſt, quia pluralitati formæ debet correſpondere pluralitas ſubſtantivi, ſicuti unitati formæ unitas ſubſtantivi correſpondet, oppoſitorum enim eadem eſt lex. Alii tandem cum Gabri. Marſ. Cajet. & Thomiſtis omnibus docuerunt in hoc caſu dici debere tantummodo unum hominem, aſſerentes, S. Th. ſe retractaſſe à ſuperiori doctrina hic art. 7. atque hæc mihi videtur ſententia probabilior, nam ratio perſonæ, ſeu ſuppoſiti non à natura deſumitur, ſed à ſubſiſtentia, ideo, quamvis in Chriſto dentur duæ naturæ, quia tamen datur unica ſubſiſtentia, eſt unicum ſuppoſitum. Omnes tamen ſententias in propria probabilitate relinquo, nec quidpiam definire placet, ut inſtitutum ſub initio articuli plenarie ſervem.

75. Quæruut 2. Utrum perſona creata poſſit hypoſtatice uniri naturæ creatæ. Affirmative reſolvit Ocham. in 3. q. 1. dub. ultimo. Dubius eſt Gabr. diſ. 1. q. 2. dub. 5. immo & Scot. q. 4. Ratio affirmandi eſſe poteſt, quia neque eſt repugnantia ex parte naturæ, quæ ſeparari poteſt à propria ſubſiſtentia, ac proinde ipſi eſt obedientialis virtus, per quam terminari poſſit ab alio habente vim terminandi; neque ex parte perſonæ creatæ, cum ad terminandam aliam naturam creatam non requiratur virtus, aut perfectio infinita. Opinio hæc magis confirmari poteſt eorum auctoritate, qui aſſe-

asserunt, hoc non solum fieri posse, sed revera factum esse; testatur enim Hieronym in 1. Aggæi, aliquos arbitratos esse, Malachiam, Aggæum, & Joannem fuisse Angelos in assumptis corporibus, & postea præfatus Doctor concludit; *Nec mirum hoc de Angelis credi, cum pro salute nostra Filius Dei corpus nostrum assumpserit*. Asserit etiam Maj. in 3. dist. 1. q. 1. art. 3. Sanctos aliquos dixisse, Antichristum futurum esse Dæmonem incarnatum. Tandem Tertul. lib. de car. Christi cap. 4. & 6. concedit, Angelos veram carnem assumpsisse, quando Abrahæ apparuerunt, quæ si vera sunt, suppositum creatum posse hypostatice uniri naturæ creatæ, negari non potest.

76. Negativam vero partem docuit S. Th. hic art. 1. ad 2. ubi docet, convenire tantum personæ divinæ propter ejus infinitam virtutem, ut naturę uniatur sub unica subsistentia. Hæc mihi videtur probabilior, non quidem ob rationem à S. Th. adductam, sed quia, licet subsistentia creata infinita non sit, neque terminare naturam aliam exigat vim infinitam, tamen una subsistentia creata tota absorbetur ab una natura creata, & sicut hæc non potest simul extendi ad plures subsistentias, ita illa non potest simul extendi ad plures naturas. Ita loquor magis juxta dicta in antec. art. Quare adductis exemplis respondeo ea negando in sensu, in quo est quæstio. Si enim aliquando homines dicuntur Angeli in scripturis, non dicuntur secundum substantiam, sed vel ab officio, vel à vitæ puritate. Si Antichristus dicitur futurus Dæmon incarnatus, hoc non asseritur, nisi ad magis indicandam malitiam & fraudem ipsius, tamqnam Dæmonis instrumenti, subtiliorisque discipuli; Quapropter Ambrosius in 2. ad Thessalon. 2. inquit, Dæmonem esse ejusdem pedagogum, quod & significat Theodoret. in epit. divi. cap. de Antichris. & tandem, si qui Patres docuerunt, Angelos verum corpus assumpsisse, nunquam tamen explicarunt modum illius assumptionis, nec quidquam de hypostatica unione protulerunt. Hoc unum certum est, de facto nullam aliam unionem factam esse hypostatice præter Verbi incarnationem.

77. Quærunt 3. an Verbum potuisset assumere aliam naturam præter humanam.

Responsio est affirmativa, sive loquamur de natura superiori, ut est angelica, sive de inferiori, ut est qualibet alia irrationalis. Præterea in hac re errorem Wiclef. dicentis, Verbum non potuisse assumere nisi eam singularem humanitatem, quam assumpsit, quis enim adeo desipiat, ut velit divinam virtutem coarctare ad hoc determinatum individuum? & si Deus determinat causas secundas ad hunc potius numero effectum, quam ad alium, ut docent Philosophi, cur non poterat Deus se determinare potius ad assumendam hanc humanitatem, quam illam? Perpendendo igitur prius naturam Angelicam, qua ratione hæc assumi non potuerit, ego non video, cum enim etiam in Angelo natura sit distincta à subsistentia, & ex alia parte detur major dignitas in substantia angelica, quam in humana, si hæc de facto assumpta fuit, cur non potuit illa? Hoc plane supponit illud Apost. *Numquam Angelos aprehendit*. Indicat ergo potuisse apprehendere. Quod si S. Th. art. 1. ad 3. concludit. *Unde relinquitur, quod sola natura humana sit assumptibilis* ibi expresse loquitur secundum congruentiam necessitatis, non absolute. Si vero sermo sit de quacumque alia natura irrationali, non fuit quidem in hac vel congruentia dignitatis vel necessitatis, nulla tamen fuisset repugnantia; etenim ex una parte natura quamvis irrationalis capax est subsistentiæ, cum de facto per propriam subsistat, ex alia subsistentia divina continet quidquid esse potest in subsistentia qualibet creata, ergo præstare potest quidquid ista præstaret; Ratio fundamentalis est, quia

quia sive natura rationalis sit, sive irrationalis, æquali modo continetur sub perfectissimo Dei dominio, ergo cum utraque secundum se terminabilis sit per subsistentiam, utraque etiam assumi potest à divina persona, si tantum ratio assumptibilitatis consideretur.

78. Et si ad rationem negativam progrediamur, quid esse potest impedimenti? Vel erit, quia naturæ irrationali nequeat convenire sanctitas, assumi autem non potest, quin reddatur sancta, vel quia, sicut irrationalis elevari non potest ad supernaturaliter operandum, ita neque ad supernaturaliter subsistendum, hoc enim spectat ad esse supernaturale, quod est ad supernaturalem operationem, sicut esse naturale est ad operationem naturalem; vel quia, sicut natura irrationalis nunquam fieri potest persona, ita numquam affici potest personalitate, vel quia, sicut naturæ irrationali nequit concedi unio intentionalis, ita neque à fortiori unio physica, sicut est personalis, præsertim quia accidentalis est illa, substantialis est ista; Vel tandem, quia posset per idiomatum communicationem dici, *Deus est rugibilis*, *Deus est lapis* eo pacto quo, quia assumpsit naturam humanam, dicitur, *Deus est homo*. Hoc autem videtur omnino incongruum, immo auditu horribile; Sed nulla ex hisce rationibus probat repugnantiam unionis hypostaticæ cum natura irrationali, & qualibet alia, ergo.

79. Non prima, quia unio personæ, quamvis infinite sanctæ, habet tamquam effectum primarium terminare, sanctum vero reddere pertinet ad effectum secundarium, qui separabilis est, quando subjectum non est capax illum recipiendi, & sic, licet ad gratiam habitualem pertineat reddere filium Dei adoptivum, talem tamen non constituebat Christum propter ejus incapacitatem; Quod si loquamur de sanctitate pure physica consistente in speciali quadam dignitate honoris & cultus, hujus capax est etiam natura irrationalis, sicuti nos etiam Crucem adoramus. Non secunda; quia esse naturæ datur ad operari, non autem esse subsistentiæ, cum hæc sit pura conditio ad operandum, proinde si non reperit subjectum capax operationis, nullo modo illud constituit operativum. Non tertia, quia subsistentia ut subsistentia indifferens est ad reddendam naturam vel personam, vel suppositum, si enim advenit naturæ rationali constituit personam, si irrationali suppositum, & inde fit, quod natura irrationalis licet sit incapax divinæ personalitatis reduplicative ut personalitas est, capax est tamen divinæ personalitatis, ut subsistentia est. Non quarta, quia licet unio physica & substantialis, major sit unione intentionali, & accidentali, attamen argumentum non tenet à minori ad majus, quando hæc sunt in linea omnino diversa, ut contingit in casu, & ratio est, quia ad unionem physicam substantialem sufficit potentia obedientialis passiva, ad intentionalem vero requiritur activa, quæ in natura irrationali esse non potest, ut suppono probatum in physica; non postrema; etenim infirma mundi eligit Deus, ut fortia quæque confundat, & sicut nihil turpe de Deo affirmatur, quando muscam aut creat, aut conservat, ita nihil turpe diceretur, si muscam assumeret, non enim juxta sensum nostrum, sed juxta sensum Dei, omnipotentiam divinam metiri debemus, omnia ipsi æqualiter subjecta sunt, & si nihil turpe de Deo asseritur, dum dicitur, Deus est mortuus, & crucifixus, nihil etiam turpe, dum in ea hypothesi diceretur, Deus est musca, Deus est lapis, nisi apud rudes, & pusillos. Hæc est responsio Tertul. lib. de carne Christi cap. 4. contra Marcionem, qui dicebat, stultum esse, ac Deo indignum putare, quod terrestre corpus assumpserit Deus. Verumtamen est, ab hac idiomatum communicatione, ne offendantur infirmorum aures, esse abstinendum; Quare plures Doctores imprudentem dixerunt Ga-

brielem, qui dixit, Deum posse dici Diabolum, aut hominem damnatum.

80. Quærunt 4. an unio hypostatica sit quid distinctum ad extremis, quorum unio facta est. Hoc resolvi potest juxta ea, quæ quisque in philosophicis disputationibus sustinet de unione inter materiam & formam.

81. Quærunt 4. an unio hypostatica sit substantialis; & omnium unionum maxima.

In eo quod attinet ad primum punctum, hæreticorum errorem, eam in Christo admittentium unionem, ut in eo duplicem asserant personam, nullo pacto in controversiam vocamus, sed quæritur, utrum retenta per fidem unione inconfusa duarum naturarum in unica Christi persona, possit hæc unio accidentalis appellari. Hoc videtur sensisse Durand. in 3. dist. 5. q. 4. à quo non recedit Palud. q. 1. art. 2. Quod enim advenit enti ac substantiæ, id ex accidente venire censendum est, atqui unio hypostatica hoc pacto advenit, ergo ex accidente advenit; Hoc erat eorum fundamentum.

82. Contrarium tamen omnino tenendum est cum reliquis omnibus Theologis, S. Th. hic art. 6. Bonavent. in 3. q. 3. art. 1. Ricardo q. 2. art. 3. immo Suarez, si de re loquamur, id existimat esse de fide; quod quidem pluribus potest ostendi momentis. Primo ex modo, qui in hac re apud Concilia & Patres invenitur. Et si de Conciliis loquamur, in Chalcedonens. act. 1. approbantur verba, quæ habet Cyrillus in epist. ad Nestorium, quæ est 8., & sunt ista. *Sed quod ex ea natura sit sacrum illud corpus animatum anima rationali, cui substantialiter adunatum Dei Verbum, carnaliter natum esse dicitur*. Ita in translatione facta per Surium, quamvis alii, qui eandem Cyrilli epistolam transtulerunt, non legerint *substantialiter* sed *secundum hypostasim*, quod tamen non obstat, nam vere ipsa divina hypostasis substantia est, & ex hypostasi & natura est suppositum substantiale; Clarius etiam id habetur in Concil. Constantinopolit. V. act. 8. can. 4. & in Lateranen. sub Martino I. in quo consultatione 5. can. 6. hæc leguntur. *Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie, & secundum veritatem ex duabus naturis substantialiter unitis &c.* & can. 8. *Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie, & secundum veritatem naturarum substantialem unionem indivise & inconfuse in eo cognitam, condemnatus sit*, quæ particulæ *substantialiter*, *substantialem unionem* licet in aliquibus Concilii codicibus non legantur, in aliis tamen reperiuntur, unde, quod Græci dixerunt secundum hypostasim, id latine dictum est, *secundum substantiam*. Si vero Sanctorum Patrum mentem investigemus, satis esset definitio jam exposita; sed addi potest Joan. Maxentius, qui in confessione fidei tomo 5. Bibliothecæ afferens Athanasium, Nazianzenum, Cyrill. aliosque, inquit, *Secundum traditionem Patrum duas naturas confitemur substantialiter unitas*.

83. Ratio autem Theologica in promptu est, & sic illam expono. Christus est substantialiter Deus, & substantialiter homo, ergo unio humanitatis cum Verbo est substantialis; ant. est dogma fidei, & sicut vere dicitur, *Petrus est homo*, ita vere dicitur, *Christus est homo*. Pr. consa; si hujusmodi unio esset tantummodo accidentalis, posset homo prædicari de Christo tantum in *quale* non in *quid* ut patet in iis omnibus, quæ sunt accidentaliter unita. Sic quia albedo unitur parieti accidentaliter, interroganti qualis est paries, recte respondemus est albus, non sic recte responderemus interroganti, quid si paries; atqui si Christus est substantialiter Deus, & substantialiter homo, jam Deus & homo prædicantur in *quid* de Christo, ergo si &c. atque hoc est quod habetur in definitione Alexandri III., in cap. *Cum Christus*, *de hæreticis* ubi damnantur illi, qui dicebant: Christum

ut ho-

ut hominem non esse *quid*. Et sic textum hunc intellexerunt S.Th. hic art.6. Scot. in 3. dis.6. q. ultima, S. Bonavent. in 3. dis.6. art.1. quod addidi, ne ulteriori disputatione cum Lugo & Vasquez Pontificis mentem explicem & exponam.

84. Immo si ad Patres regrediamur, ita substantialis existimata est hujusmodi unio, ut illam appellaverint naturalem ac essentialem; Hoc habetur in Concilio Alexandrino, cujus epistola, quæ est Cyrilli decima, approbata fuit in Ephesino, & in 6. Synodo generali in epis. ad Sophronium act.2. leguntur hæc verba. *Deus Verbum est, & non caro: quanquam carnem rationaliter animatam assumpsit, hancque sibi unitione naturali, & secundum subsistentiam adunivit*. Idem statuitur act.13. quod etiam invenies apud Joan.Maxentium in conf. fidei; apud Fulgent. lib.3. ad Trasimund. cap.15. Petrus vero, non Damianus, ut aliqui legunt, sed Diaconus lib. de incarn. & gr. Christi cap.3. asserit, Verbum essentialiter carni unitum esse, atque in suæ doctrinæ confirmationem affert Nazianzenum ep. 1. ad Cledonium ita dicentem; *Si quis sicut in Propheta, secundam gratiam dicit inoperasse Domini Verbum, & non essentialiter factam confitetur unitionem, sit vacuus melioris inoperationis, magis autem plenus sit deterioris*. Et idem reperies apud Damasc.lib.3. de fide cap.3.

85. Hoc totum ita intelligas velim, ut non dicas, hanc unionem naturalem, ac si naturaliter facta sit, aut ita essentialem, ut factam fuisse in essentia divina suspiceris, sed ideo naturalem Patres appellarunt, ut veram ac realem declararent, non vero fictam ac apparentem, ut dicebant illi, quos infra adducemus, vel per affectum, operationem, dignitatem, ac authoritatem; ut contendebant Nestoriani. Quod totum declarat Nicetas lib.3. Thesauri cap.3. dicens. *Essentialem dicimus conjunctionem, hoc est veram, & non phantasticam, seu commentitiam*.

86. Superest, ut argumento, quo Durandus utitur, respondeamus. Hoc sibi proposuit S. Th. hic art.6. & ad 2. sic respondet. *Illud, quod advenit post esse completum, accidentaliter advenit, nisi trahatur in communionem illius esse completi, sicut in resurrectione corpus adveniet animæ præexistenti, non tamen accidentaliter, quia ad idem esse assumatur, ut scilicet corpus habeat esse vitale per animam, non est autem sic de albedine, quia aliud est esse albi & aliud esse hominis, cui advenit albedo. Verbum autem Dei ab æterno esse completum habuit secundum hypostasim, sive personam: ex tempore autem advenit ei natura humana, non quasi assumpta ad unum esse prout est naturæ, sed ad unum esse, prout est hypostasis, seu persona, & ideo humana natura non unitur accidentaliter Verbo Dei*. Adeo clara est responsio, ut ipsi nihil addi posse videatur.

87. Quod attinet ad 2. idest, utrum unio hypostatica sit omnium unionum maxima. Dubium hoc multifariam accipi potest; Vel enim hæc unio consideratur secundum dignitatem eorum, quæ unita sunt, & hoc pacto licet ex parte Verbi divini, sit omnium maxima, nihil enim eo dignius esse potest, non est tamen ex parte naturæ humanæ, cum hæc non sit omnibus substantiis creatis nobilior; vel consideratur secundum id, in quo facta est unio, & sic omnium maxima dicenda est, quia est personalitas Verbi, quæ est vinculum commune utriusque naturæ, vel tandem attenduntur extrema hujus unionis, prout magis tendunt ad faciendum unum, & sic maxima non est, quia cum natura humana & divinum Verbum maxime distent inter se, minus etiam tendunt ad unum faciendum, quam cætera plurima, quæ in creatis rebus uniuntur.

88. Absolute tamen ac Theologice unionem hanc maximam possumus prædicare, sicut asseruit S. Bernard. lib.5. de considerat. ad Eugenium, cujus verba sunt

ba sunt ista. *Igitur inter omnia, quæ recte unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, qua tres personæ una substantia sunt. Secundo loco illa præcellit, qua e converso tres substantiæ una in Christo persona sunt*. Et infra. *Tantum denique, tamque expressam unionis vim in se præsefert ea persona, in qua Deus & homo unus est Christus, ut si duo illa de se invicem prædices, non erraveris, Deum videlicet, & hominem Deum, vere catholiceque pronuntians. Non autem similiter, vel carnem de anima, vel animam de carne, nisi, absurdissime, prædicas, etsi similiter anima & caro unus sit homo*. Immo Augustinus 1. de Trinit. cap. 10. sic dicit. *Homo potius est in filio Dei, quam filius in Patre*. Quod tamen non est ita intelligendum, quod humana natura sit magis in filio Dei, quam filius in Patre, hoc enim falsum est, sed quod ipse homo quantum ad aliquid sit magis in filio Dei quam filius in Patre, quia homo & filius Dei est idem suppositum, non sic suppositum Patris est suppositum filii.

ARTICULUS IX.

Utrum Verbum assumpserit verum corpus, non vero apparens & phantasticum.

89. AD alia inquirenda progredimur, in quibus fidei nostræ dogmata pertractantur; & antequam propositum dubium resolvam, suppono tanquam certum, solam naturam humanam fuisse assumptam à Verbo; Constat hoc ex divinis scripturis, in quibus dicitur, Verbum factum esse carnem, & Deum non apprehendisse Angelos, sed semen Abrahæ, atqui caro, quæ erat de semine Abrahæ est solum natura humana, & excluduntur Angeli, ergo. Adde nullam esse scripturam, nullam traditionem in oppositum, ego non nisi temere dici potest, aliam naturam fuisse assumptam.

90. Contrarius tamen videtur Origenes in Joannem hæc habens. *Factus est omnibus omnia, ut omnes lucrifaceret vel perficeret, homo hominibus, Angelus Angelis factus est*. Ratio autem producitur. Illorum natura assumpta fuit, pro quibus mortem subivit, sed hanc subivit etiam pro Angelis, ut notat Theodoretus in epist. ad Hebr. ergo.

Verum in hac re nullius ponderis est Origenes, utpote qui in cæteris hujusmodi erravit, cum dixerit etiam pro Dæmonum salute in aere supernisque locis, passum esse, ut scribit S. Hieronym. in epist. ad Avitum. Sed si etiam explicare velles, dicas, Angelum Angelis factum esse, quantum ad meritum, non quantum ad naturam. Ad 2. dicitur Christus mortuus pro Angelis, non propter gratiam, quam habuerunt in via, aut propter gloriam, qua fruuntur in patria, sed propter gaudium, quod ex hominum reparatione perceperunt, *gaudium* enim *erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente*. Cæterum, sicut, si Adam non peccasset, Verbum quidem venisset, non tamen in carne mortali & passibili, juxta principia mea, ita non est mortuus Christus pro Angelis, qui non peccaverunt, nec pro illis, qui peccaverunt, quia nullus reparatus fuit. Si vero nolis hisce acquiescere; nego majorem argumenti.

91. Resolvendo quod in titulo quærebatur, dico, Verbum assumpsisse verum corpus, non phantasticum & apparens. Dictum hoc est contra illos hæreticos, quos adduximus in proleg. unico, præsertim contra Marcion. ut notavit Tertullian. lib. de præscript. cap. 30. Epiphan. hær. 42., immo, ut scribit Iren., omnia, quæ de generatione Christi temporanea narrant Evangelistæ, ipse eradebat. Idem postea sensit Lucan. ex Tertul. loco citato cap. 51. Apelles vero, Marcionis discipulus, non ita docuit omnino, etenim veram carnem fatebatur in Christo, non tamen sumptam ex Virgine, sed ex elementis, & ideo

& ideo Christum in morte sua eam elementis reddidisse. Narrat hoc Philast. in libello contra hæreses, & Augustin. de hæres. cap.28. Marcionis errorem sequuti sunt Manichæi ita appellati à Manete natione Persa, seu à Manin ex August. de hæres. cap.45. deinde Prodianitæ, seu Hermajonitæ, & tandem Priscillian. Episcopus Abulens: ex quo ortum duxerunt Prisillianistæ tempore Leonis I. Pontificis, qui in epist. ad Turrib. 91. hujusmodi errorem damnavit.

92. Neq. miror, si ita docuerint Manichæi, cum enim per istos duo essent dii, unus bonus, & alter malus, & à malo Deo esset quælibet natura corporea, ideo verum corpus à Christo excludebant, quem Dei filium profitebantur; Marcion vero alio fundamento nitebatur, quippe qui diceret, corpus non esse particeps redemptionis, & Christum venisse ad animas liberandas, non corpora.

93. Pro assertione nostra, quæ est dogma fidei, eleganter scripserunt Cyril. in lib. de recta fide, Ambros. de incar. domin. Sacramento, & satis definita fuit in Concil. Alexand. Ephes. Tolet. Brachar. Later. sub Inn. III. cap. *Firmiter* de summa Trinit. Mihi vero sufficit, quod ex Scriptura Sacra colligitur; idest Verbum carnem factum esse, quod de nullo, qui corpus apparens sumpsit, ut plurie legimus ab Angelis factum esse, dictum est, & Christum per resurrectionem discipulis dixisse, cum phantasma arbitrarentur. *Palpate, & videte, quia spiritus ossa, & carnem non habet.* Tres autem rationes pro hac re affert S.Th. in hoc art. Prima est, quia pertinet ad humanam naturam verum corpus habere, ergo si assumpsit illam, etiam hoc; secunda, quia ea, quæ in mysterio incarnationis evenerunt, sunt vera, non essent autem, si corpus fuisset tantum apparens; & quia dicti hæretici utrumque negant, addidit tertiam, quia verum corpus assumere, spectabat ad dignitatem assumentis, qui est prima veritas. Hoc postremum, ut arbitror, desumpsit vel ex S. Ambrosio, vel ex S. Augustino. Habet ille in cap. 23. Luc. cap. de tristitia & dolore Christi hæc verba. *Non est tristis sapientia non divina substantia, sed anima, suscepit enim animam meam, corpus meum, non me fefellit, ut aliud esset, & aliud videretur.* Habet alter in libro 83. quæst. 14. hæc alia. *Si phantasma fuit corpus, fefellit Christus, & si fallit, veritas non est, est autem veritas Christus, non igitur phantasma fuit corpus Christi.* Hisce omnibus addi possunt & alia; primo quia verum corpus spectat ad essentiam hominis, ergo vel Christus vere homo non fuit, quod esset alia hæresis, vel habuit verum corpus. Secundo quia illud corpus fuit assumptum à Christo, in quo posset pro nostra redemptione pati, & nobis ostendere exempla virtutum, ut inde corpus nostrum configuraretur corpori claritatis suæ; & hinc Christus non solum redempturus erat animas nostras, sed etiam corpora nostra.

94. Contra hæc plura videntur afferri posse; falsum esse, nos a Christo deceptos fuisse, si ipse tantum phantasticum & apparens corpus assumpsit, etenim de facto Deus in veteri testamento, aut Angelus nomine Dei in corpore aliquo assumpto pluries apparuit, nec tamen decepit, ego a pari.

Hoc tamen non tenet, nam Deus, vel Angelus ita apparentes nunquam sibi humani corporis aliquid tribuerunt, sicuti Christus, qui sæpe se hominem prædicabat, & omnia quæ hominis sunt, sibi vindicabat. Fefellissent nos Deus & Angelus, si sub apparenti corpore se dixissent homines, & de Raphaele apud Tobiam quid dictum sit, narrat Scriptura, ego etiam fefellisset nos Christus.

95. Secundo opponitur quod habet Paulus 2. ad Corint. 5. *Si cognovimus Christum secundum carnem, sed jam non*

non novimus & aliud ad Philip. 2. *In similitudinem hominum factus*, quod autem est juxta similitudinem, non est secundum veritatem.

Sed ex primo textu nihil evincitur, nam, ut omittam alias explicationes, illam proferam, quæ est 7. Synodi act. 6. tom. 4., Nimirum prius nos cognovisse Christum secundum carnem passibilem, dum nobiscum viveret, nunc vero novimus eum in carne impassibili jam ad dexteram Patris; atque hoc consonum est verbis Pauli, quæ subduntur; *Ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui mortuus est, & resurrexit*. Ex secundo pariter nihil, primo quia falsum est, id quod est per similitudinem, non esse juxta veritatem in propria natura; Quid enim est generatio? *Nonne origo viventis à vivente in similitudinem naturæ?* Et tamen qui generatur habet veram naturam, sicut habet generans; & Gen. 5. dicitur de Adamo, *genuit filium ad imaginem & similitudinem suam*; atque ita intelliguntur Sancti Patres, si qui dixerint, venisse filium Dei in figura hominis; Sed demus etiam per similitudinem excludi veritatem, dicam, ly *in similitudinem* referri ad statum hominis, non ad substantiam, seu non ad carnem, sed ad peccatum, ut patet ex aliis verbis, *misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati*, ita ut fuerit verus homo cum vero corpore, & appareri t tantum peccator homo.

96. Tandem, si dicant, figuram & signa debere correspondere rei signatæ & figuratæ, apparitiones vero in veteri testamento, quæ fuerunt signa & figuræ apparitionis Christi, non fuerunt secundum corporis veritatem, sed secundum imaginem, ut patet Isaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem &c.*; proinde etiam apparitio Dei in mundo fuit non in corpore vero, sed apparenti; facile responsum datur, figuram correspondere quantum ad similitudinem, non quantum ad veritatem rei figuratæ, alioquin si corresponderet quantum ad omnia, non esset signum, sed idem cum signato. Qua in re dixit Apost. 2. ad Colos. 2. *Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*.

97. Immo non solum dicendum est, Verbum assumpsisse verum corpus, sed terrestre, mixtum, & elementare eandem habens naturam, quam habet quodcumque corpus humanum; & quamvis ad hoc probandum uti possimus momentis superius relatis, attamen contra Gnosticos & Valentinianos asserentes, Christum corpus de cælo attulisse, & per Mariam, velut aquam per tubum, transiisse, afferuntur omnes scripturæ textus, in quibus Christus dicitur, filius hominis, atque id, quod legitur Mat 1. *De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*. Non potest autem quis dici filius, nec de alio natus, qui ex ipsius substantia non gignitur ergo. Porro error iste damnatus fuit in omnibus Conciliis, in quibus dicitur Christus verus homo, præsertim vero in Concil. Chalcedon. 5. in confess. 2. fidei, in Carthaginen. 4. c. 1. & in epis. Eutychiani Papæ ad epis. Provinciæ Beticæ.

98. Neque obstat, quod scribit Apost. 1. ad Corint. 10. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis*; vel quod, si Verbum terrestre corpus assumpsisset, angelica natura deterior fuisset, atque ideo post mortem super omnes angelicos choros exaltari non debuisset; nam primus textus intelligendus est de secundo homine quantum ad personam, quæ in Sinu Patris originem ducit, & cui unitum fuit corpus terrestre; & si velis explicationem Augustini ad Orosium, & Hilarii lib. 10. de Trinit. dicas, Christum duplici modo de cælo descendisse, uno propter naturam divinam, non quod hæc in cælo esse desierit, sed quia novo modo fuit in terra cum assumpta natura, juxta illud Joan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo*, alio propter corpus, non quod corpus secundum sui sub-

substantiam de cælo descenderit, sed quia virtute Spiritus Sancti fuit in utero virginali formatum. En verba Augustini, *Cælestem dico Christum, quia non ex humano conceptus est semine*. Neque etiam in re nostra deesset Chrysostom. hom. 32. in 1. ad Corint. dicens Christum appellari hominem cęlestem propter gloriam, quam licet non habuerit usque ad resurrectionem, ipsi tamen erat debita ab initio, primum vero hominem appellari terrenum propter mortalitatem ex peccato contractam; Generatim tandem Patres cælestem hominem dicunt Christum propter cælestem vitam, quam duxit, & impeccabilitatem, Adamum vero terrenum, utpote peccatis obnoxium; atque hoc consonum est Paulo infra dicenti; *Qualis terrenus, tales & terreni, qualis cælestis, tales cælestes*, ubi recensentur homines peccatores, & justi.

99. Quantum ad secundum; Christus juxta corpus deterior fuit Angelis, *Minuisti*, enim, *eum paulo minus ab Angelis*, quia vero opera humanitatis propter unionem hypostaticam erant longe digniora, ideo donatum fuit illi nomen, quod est super omne nomen, & exaltatus ad dexteram Patris omnia creata sibi subjecit; *omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Quod si res esset in sensu hæreticorum, neque corpus cæleste tribui Christo deberet, quia hoc etiam inferius est Angelorum natura. Si vero adduceretur alius textus Pauli I. ad Corint. 15. ubi habetur; *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*. Non intelligas carnem, & sanguinem secundum substantiam, sed tantummodo secundum corruptionem quantum ad culpam, & appetitus rationi contrarios, si quis ipsis assensum præbuerit; aliter nullus hominum ad regnum Dei adeptionem perveniret; Nec tandem aliquid vile sentias de Deo, si cum corpus cæleste nobilius sit terreno, hoc, non illud Christo concedamus; nam, præter quam quod, hoc verum sit de corpore, ut corpus est, non tamen de corpore, ut vivens est, quale fuit assumptum à Verbo, adhuc pro hac re finge tibi artificem optimum, qui non in pretiosa materie artis excellentiam ostendit, sed interdum majorem sibi vindicat in rudi admirationem, & cum in luto, & terra disciplinæ suæ demonstrat virtutem, multo magis se laudabilem præbet; *Ita omnium maximus & optimus artifex Dei Verbum* (Sunt verba S. Theophili recitata in Ephes. Synodo) *Non aliquam pretiosam materiam corporis cælestis apprehendens ad nos advenit, sed in luto magnitudinem suę artis, ostendit*.

ARTICULUS X.

Utrum Verbum assumpserit animam.

100. Sequitur refellendus alius error Arianorum & Apollinistarum dicentium, ut testatur S. Augustin. in lib. de hæres. cap. 49., à Verbo assumptam esse carnem, non tamen animam rationalem. Hoc quam falsum sit, paucis ostendamus; ait autem idem Augustinus in libro de agone Christiano cap. 21. *Non eos audiamus, qui solum humanum corpus dicunt esse susceptum à Verbo Dei, & sic audiunt quod dictum est, Verbum caro factum est, & negant, illum hominem vel animam, vel aliquid hominis habuisse, nisi carnem solam*. Huic addimus Ambrosium adductum in antec. num. 93. Sed clarum testimonium dat ipse Christus, qui Luc. 23. dixit. *Tristis est anima mea*, infra, *inlinato capite tradidit spiritum*. Et Joan. 10. *Ego pono animam meam, & iterum sumo eam*. Non potest autem hisce verbis significari solum anima metaphorice, sicut cum dicitur Is. 1. *Solemnitates vestras odivit anima mea*. Nam, ut optime notavit August. in lib. 83. quæst. q. 80. in evangelica narratione refertur, Christum admiratum esse, iratum, contristatum, quæ omnia indicant animam veram, sicuti ex quo esurierit, comederit, defatiga-

tigatus fuerit, indicatur verum corpus, si enim hæc metaphorica censeantur, evangelicæ historiæ veritas corruet, cum similia in veteri testamento legantur de Deo; sed aliud est, quod prophetice nuntiatur in figuris, aliud, quod secundum veram proprietatem ab Evangelistis scribitur, inquit S. Th. q.5. art.3. in corp.

101. Evangelicis illis textibus convictus Apollinaris sentientem animam, rationalem negans, concessit; ut referunt Epiph. hæres.77. Aug. hær.55. Vincent. Lyrin. in libel. contra hær. cap.17. Verum & hoc falsitatis ac dementiæ plenum est, ait enim Isaias cap.7. *ut sciat reprobare malum, & eligere bonum* & 52. *Ecce intelliget puer meus* ps.15. in persona Christi dictum fuit, *non derelinques animam meam in inferno*, & ps.138. *anima mea cognoscit nimis*; Hinc Augustin. in lib. de fide ad Petrum cap. 24. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, Christum Filium Dei habere verum nostri generis carnem, & animam rationalem*; Immo præclarissimus Doctor in lib. contra Felicianum Arianum cap.13. inquit, se prætermissis scripturis velle ratione contendere; Præcipua autem est, quia si in Christo non fuisset anima rationalis, nullus fuisset finis incarnationis, tunc enim Christus nec potuisset orare, nec mereri nec pro hominum peccatis satisfacere; Secunda est, quia, cum Verbum incarnatum fuerit ad redimendum genus humanum, id debuit assumere, quod in homine ceciderat, ut illud assumendo repararet, sed ceciderat rationalis anima, ergo hanc debuit assumere.

102. Fuit autem hæc veritas catholica pluribus in Conciliis recepta ac statuta, in Ephes. in epist. Cyrilli ad Nestorium, quæ can.3. fuit approbata, in Chalcedon. act.1. in 5. Syn. sess.8. can.4. in Carthagin. 4. cap.1. in Tolet.1.6.& 11. in fidei confessionibus præter Concil. Rom. sub Damaso Papa.

Quæ ab Arianis & Apollinaristis opponebantur sunt hæc. Primo si Verbum assumpsisset animam rationalem, potuisset peccare, hoc non, ergo. Secundo in Evangelio habetur, *Verbum caro factum est*, nunquam vero legitur, *Verbum anima factum est*. Tertio ubi Verbum est, omnino superfluit anima, hæc enim corpori necessaria est, ut corpus vitam habeat, at Verbum ipsum carni, quam assumpserat, vitam tribuebat, legitur enim ps.35. *Domine apud te est fons vitæ*, ergo.

Verum hæc nihil probant; Ad primo concedimus animam illam potuisse peccare, nisi aliunde advenisset impedimentum. Ad secund. dum legis, Verbum carnem factum esse, intellige factum esse hominem, quamvis vero non legatur expresse, Verbum factum esse animam legitur tamen æquivalenter; Novum porro non est in scriptura carnis nomine totum hominem significari, sic Isaiæ 40. habetur. *Videbit omnis caro pariter, quod os Domini loquutum est*. Atque de hoc in nostro casu non est ambigendum, subditur enim *Vidimus gloriam ejus*. Ad tertium ea quę dicuntur de Christo vera quidem sunt de anima, non de Verbo, ut patet consideranti textus à nobis expositos. Adde, Verbum numquam corpus dimisisse, & tamen corpus fuisse mortuum, ergo per separationem alicujus, quod vitam tribueret, nec esset Verbum, ergo anima. Est utique Verbum fons vitæ, sed tamquam prima causa vitæ effectiva, non tanquam forma. Ideo &c.

ARTICULUS XI.

An Verbum hypostatice assumpserit sanguinem.

103. Quatuor sententias in proposita controversia reperies apud Doctores, duas extremas, quarum prima asserit, nihil sanguinis proxime & immediate fuisse unitum Verbo, alia, fuisse totum unitum pro

pro triduo mortis; Duas medias, unam admittentem, sanguinem fuisse immediate assumptum ante triduum mortis, & in illo triduo unitum non permansisse, aliam, distinguentem sanguinem naturalem à nutrimentali, illum, non istum assumptum fuisse; De qua distinctione nihil profero, cum hoc in animastica fuerit pertractatum.

104. Prima opinio, quæ tribuitur Duran. in 4. dis. 10. q. 9. Ric. in 3. dis. 2. act. 2. q. 1. aliisque, pluribus fuit affecta censuris, ut à Capreolo dicatur erronea, & hæretica, à Medina intolerabilis error, à Vasq. temeraria. Tertia tribuitur Francisco à Ruvere prius S. Francisci Ordinis Comissario generali, deinde Cardinali, & demum Pontifici Maximo Sixto IV. tum Francisco Collio tract. de Sanguine Christi lib. 2. cap. 2., licet ab auctoribus eisdem censuris, sicut alia, non notetur, attamen saltem tanquam minus pia ac tuta existimatur. Ego nihil quantum ad sententias qualificandas definiens.

105. Dico 1. Totum sanguinem proprie dictum fuisse assumptum à Verbo.

In hac re nimis contendit Vasquez, cum Sylvestro in rosa aurea tract. 3. q. 30. adducit enim decretum Clementis VI. missum ad Nicolaum Roselli ordinis Prædicatorum generalem inquisitorem in Catalauniæ regno, quo præcipiebatur, publice damnari dictum cujusdam concionatoris, qui Barcinonæ docuerat, Sanguinem Christi, in passione effusum, non fuisse hypostatice unitum Verbo. Verum, utrum hoc decretum fuerit, nec ne, non satis constat; & de facto jussu Pii II. perquisitione facta nunquam adinventum est, immo Pontifex iste orta controversia inter Fratres S. Dominici, ac S. Francisci, acceptis votis Cardinalium ac Theologorum rem indecisam reliquit, & constitutionem edidit ann. 1464., in qua prohibuit, ne quis damnaret alterutram controversiæ partem, donec Sedes Apostolica aliter definiret.

106. Aliud fundamentum producunt plures Theologi, ex quo Sanguini Christi præsertim tribuatur redemptio nostra, ut colligitur ex pluribus scripturæ textibus. Ad Eph. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus*. 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro, & argento, sed prætioso Sanguine quasi agni immaculati*. 1. Joan. 1. *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato*. Et tandem Luc. 22. *Hic est calix in Sanguine meo, qui pro vobis effundetur*. Tantam autem efficientiam sanguis non habuit, nisi propter unionem cum divinitate, ergo.

107. Argumentum tamen hoc non esse magni ponderis judico; nam dici potest tantam sanguini efficaciam concessam fuisse, non propter rem oblatam, sed propter offerentem, qui erat divina persona in humanitate subsistens; & quidquid modo de sanguine dicitur, dictum esset de lacrymis, de sudore, immo & de saliva Christi, si per lacrymas & sudorem, nos voluisset, sicut potuisset, redimere; nec tamen lacrymæ vel sudor erant hypostatice quid assumptum à Verbo.

108. Afferamus igitur aliam rationem magis intrinsecam, & quidem præscindendo à quæstione philosophica, utrum sanguis informetur ab anima, ac vivat, nec ne; quidquid enim sit de hoc, quod dubium est, parum refert; Affero autem in primis doctrinam Concilii Tridentini, quod sess. 13. cap. 3. inquit, in Sacramento Eucharistiæ sub speciebus panis reperiri formaliter Corpus Christi, & concomitanter sanguinem, & divinitatem, & sub speciebus vini reperiri formaliter sanguinem, concomitanter vero corpus, & divinitatem, ergo quia sanguis fuit assumptus hypostatice à Verbo; quod magis confirmatur, occurrendo responsioni, quæ posset afferri, nimirum, divinitatem esse sub speciebus vini, non quia sanguis fuit assumptus, sed quia inter sanguinem, & corpus datur connexio, ita ut, quia ubi est sanguis,

est corpus & anima de concomitanti. & ideo etiam de concomitanti sit divinitas propter corpus & animam; Atque hoc videtur expressum per verba Concilii dicentis; *Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & sanguine hypostaticam unionem*. Sic inquam magis confirmatur per doctrinam Scoti in 4. dis.8.q.1. Si in triduo mortis consecrata fuisset Eucharistia sub speciebus vini, fuisset sanguis cum divinitate, & tamen hæc concomitantia non fuisset propter corpus, eo quia tunc sanguis fuisset separatus à corpore, ergo concomitanter cum sanguine est divinitas propter assumptum sanguinem, non propter corpus. Amplius. Si species vini consecrati in cęna Domini fuissent in triduo reservatæ adhuc ibi fuisset sanguis Christi, nec amplius fuisset corpus per concomitantiam, & anima, sed adhuc fuisset divinitas, alioquin non remansisset verum Sacramentum, sicut prius, nec ibi fuisset author gratiæ; ut postulat hoc Sacramentum ergo.

109. Porro Tridentinum ita definiens non absque naturali ratione definivit; etenim Verbum assumpsit ea omnia, quæ ad corporis integritatem pertinent, quia assumpsit corpus integrum, & absolutum, pertinet autem sanguis, cum non sit tantum corporis nutrimentum, alioquin in corpore glorioso non deberet admitti, sed etiam sit principium operationum, & instrumentum earum functionum, quæ ad veritatem vitæ necessario exiguntur, ut probat Arist.3. de hist. anim. cap. 2. & ideo etiam idem Concilium loco laudato definivit, *Sub speciebus panis consecrati poni sanguinem propter naturalem connexionem cum corpore*. Ergo. Unde hic sumi debet corpus non solum quantum ad essentialia, sed etiam integralia, quia sumi debet corpus organicum, cujus anima est forma.

110. Dico secundo; Verbum retinuisse sibi hypostatice unitum in triduo mortis sanguinem in passione effusum, & a corpore separatum. Ratio hujus desumitur primo ex argumento superius exposito, quia adhuc pro illo triduo fuisset verum Sacramentum Eucharisticum, proinde cum sanguine fuisset divinitas, & author gratiæ. Præterea. In triduo mortis retinuit sibi hypostatice unitum corpus, unitam animam, ergo & sanguinem. Pr. ant. in triduo mortis Verbum dicitur sepultum, descendisse ad inferos, sed hoc non potest dici de Verbo, ut verbo, sed solum de corpore & anima, proinde de Verbo ut hypostatice unito ego. Tandem valet illud Damasceni lib.3. fidei cap.27. *Quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit*, & illud Christi vitam promittentis sive manducanti corpus, sive bibenti sanguinem, ergo eodem modo loquendum est de assumptione corporis, & de assumptione sanguinis consequenter &c.

Dixi in assertione prima, *Sanguinem proprie dictum*, idest sanguinem illum, qui habet veram formam partialem sanguinis sibi correspondentem, non autem chylum, aut quodcumque aliud habens aliquam propinquitatem cum sanguine per hoc, quod fiat materia proxima, quæ in sanguinem transeat.

111. Op. sanguis non informatur anima, ergo a Verbo non fuit assumptus, prob. consa. primo, quia, ut docet S. Th. q.6. art.1. Verbum non assumpsit corpus nisi mediante anima, ego si sanguis non informatur anima, non fuit assumptus. Secundo; Verbum in assumptione humanitatis eas partes terminavit, quas terminasset subsistentia creata, sed hæc non terminasset nisi eas partes, quæ informantur anima ergo.

112. Resp. conc. ant. ne. conf. ad primam probationem; nomine corporis non tantum intelligi debent partes ab anima informatæ. sed etiam aliæ, quæ ad ejus pertinent integritatem, præsertim vero sanguis; quamvis enim hic non habeat in se animam, attamen est propter animam, quæ sine sanguine in corpore conservari non potest, quo modo expli-

explicamus illud Levitici 17. *Anima est in sanguine* & ipse sanguis postulat aliquam animæ conjunctionem humanique corporis, sine qua esse & diu nequit servari. Ad 2. conc. maj. ne. mi. nam sicut natura hominis non constituitur tantum per partes, quæ ab anima informentur, sed etiam per alias, tanquam integrantes, & perficientes; ita subsistentia naturæ humanæ non tantum terminat illas, sed etiam istas; Neque obstat, sanguinem habere suam formam, suamque subsistentiam, proinde non posse terminari per aliam; etenim habet suam formam partialem subordinatam alteri formæ totius, & ita etiam suam subsistentiam, sed partialem, pariter subordinatam subsistentiæ totius naturæ; Quare, sicut natura, licet sit una, non est tamen omnino simplex, sed ad sui veritatem, & integritatem multa complectitur, ita & subsistentia non est omnino simplex, se ex pluribus partialibus subsistentiis resultat, quod tamen absque imperfectione aliqua subsistentia divini Verbi supplevit.

113. Op. 2. Esto sanguis ita se habeat, ut necessarius sit ad vitam, & ad vitæ munera, non propterea dici potest assumptus à Verbo, & ad corporis integritatem spectare, ergo. Pr. ant. esto aer ita se habeat, ut necessarius sit ad vitam, atque ad vitæ munera, nec enim sine attractione & respiratione potest animal vivere & operari, attamen non fuit assumptus à Verbo, ergo à pari. Præterea. Si sanguis fuisset assumptus à Verbo, quidquid prædicatur de sanguine, posset de Verbo prædicari, & sic dici posset, Verbum est effusum, sed hoc non, ergo. maj. patet à pari, nam quia natura humana fuit assumpta à Verbo, quidquid prædicatur de homine prædicatur de Verbo.

114. Resp. disparem valde rationem esse de aere, ac de sanguine, quamvis enim aer necessarius sit ad vitam, & ad vitæ functiones, attamen non habet ordinem intrinsecum & determinatum ad componendum corpus, quod vivit, tamquam ejus pars, sed extrinsecus se habet, & quidem ita, ut non sit potius addictus uni viventi, quam alteri, cum eodem aere omnia vivant, quæ vivunt; e contra se habet sanguis; & profecto in corpore glorioso erit sanguis, nec tamen erit aer, ergo. Ad secundum argumentum nimis probat, nam sequeretur, neque manum, neque pedem fuisse assumptum à Verbo, nec enim quod de illis dicitur, dici potest de Verbo, qua propter communicatio idiomatum fundatur in toto, non in parte, sicuti in re nostra est sanguis; Hæc est communis Doctorum responsio apud Suarez, Vasquez, Cacheran. aliosque; Mihi tamen non placet; nam etiam corpus est pars humanæ naturæ, & tamen sicut de corpore dicitur esse sepultum, ita dicitur de Verbo, ergo à pari, licet sanguis sit pars, si de sanguine dicitur effusum esse, dicetur etiam de Verbo; & si dicant dari quasdam denominationes provenientes à parte attamen convenientes toti, & ex quo toti conveniant, transire ad personam assumentem, talis autem est denominatio sepulti, quæ non tantum dicitur de corpore, sed etiam de homine, vere enim dicimus, *homo sepultus est*, responsio videtur infirma, nam etiam manus, vel pes est pars minus principalis hominis, sicut sanguis corporis, & tamen ratione manus, vel pedis, dicimus Petrus scribit, Petrus ambulat, ergo eadem ratione, qua denominatio sepulti, quæ est à corpore, transit ad personam assumentem, etiam denominatio effusi, quæ est à sanguine, transibit ad personam assumentem, si fuit assumptus.

115. Hac de re melius respondet Scot. in 3. dis. 22. q. unica ad 3. principale, in hisce paritatibus non esse petendam disparitatem aliquam ab intrinseco, cur Verbum dicatur sepultum ratione corporis, non sic dicetur effusum ratione sanguinis, sed solum recurrendum esse ad communem usum loquendi, quo usurpatur ab hominibus una denominatio,

tio, non usurpatur alia; quando figurate loquimur, sumendo totum pro parte, ut contingit in casu, non valet discursus in omni materia, & hoc non alio titulo, nisi quia communis acceptio est in una, non in alia; Exemplum habes in hoc. Si Petri manus abluatur, dicimus Petrus est ablutus, si tamen abscindatur, non dicimus, Petrus est abscissus, itaque etiam in re nostra dici poterit &c. Quanquam si diceremus, Verbum esse effusum, irrationabiliter non diceremus, nec contrarium probari posset; & revera ps.21. dixit David in persona Christi; *sicut aqua effusus sum*. Quamobrem Amicus sect.7. omnes illas prædicationes admittit.

116. Op.3. contra secundum assertum. Sanguis in circumcisione effusus & præputium abscissum dimissa fuerunt à verbo; ergo etiam sanguis in passione fusus. 2. Illę partes carnis, quę successu temporis ex vi nutritionis in Christo amittebantur, non retinebant unionem cum Verbo, ergo neque sanguis divisus à corpore. 3. Sanguis in triduo mortis non retinuit formam substantialem sanguinis, quia exsiccatus, & pulveri immixtus, ergo.

117. Resp. negando antec. tertii argumenti; si naturæ ordinem, & exigentiam inspiciamus, id fieri debuisset, non si divinam dispositionem, quæ statuit, incorruptum omnino permanere, juxta illud ps.15. *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Pro secundo & tertio argumento conc. ant. ne. conf. & dispar ratio ex eo colligitur, quod nec sanguis in circumcisione effusus. nec partes carnis, quæ amittebantur, erant a Christo reassumendæ, ideo nullo pacto censebantur amplius partes corporis Christi; e contra sanguis in passione effusus erat statim in resurrectione reassumendus, ideo &c.

118. Ex his oritur dubium, an aliqua pars veri Sanguinis Christi in terris remanserit. S. Th.3. p. q.54. art.2. ad 3. negat hisce verbis; *Sanguis autem ille, qui in quibusdam Ecclesiis pro reliquiis conservatur, non fluxit de latere Christi, sed miraculose dicitur effluxisse de quadam imagine Christi percussa.* Confirmat hoc historia Athanasii in lib. de passione imaginis Jesu Christi, narrantis cap.1. usque ad 6. Judæos quosdam Berithi, cum quamdam imaginem Christi invenissent, eam exercuisse in ipsam barbariem, qua in verum corpus crucifixores sævierunt, & tandem latere lancea percusso fluxisse sanguinem, quem statim amphora colligentes, ut experimentum facerent, omnes ægrotos in synagogam convocarunt, qui conspersi statim sanitati restituti sunt, eoque viso miraculo Christi fidem amplexi sunt. Episcopus ejus civitatis rem considerans, & quid de eo sanguine faciendum esset, cogitans statuit ad plures Ecclesias quædam vasa illo sanguine plena mittere ut factum fuit; concludit vero Athanasius. *Hic est Sanguis ille Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur, nec esse aliter a veris catholicis æstimandum est, præter id, quod scribitur à nobis, quasi ex carne & Sanguine Christi aliquid possit in mundo inveniri, nisi illud, quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie efficitur.*

119. Nihilominus censeo, probabiliorem esse aliorum Theologorum sententiam, aliquid sanguinis in passione effusi in terris permansisse. In hac re recitatur à Sylvestro in rosa aurea trac. 3. q.51. quædam Bulla Pii II. ad Abbatem Monasterii Sanctæ Mariæ Diœcesis Xantonensis, ubi declaratur, non repugnare, aliquam particulam Christi Sanguinis in mundo reperiri, quod etiam confirmat Baronius ad ann. 804. tanquam plurium Pontificum diplomatibus confirmatum. Platina etiam refert in Vita Leonis III., Pontificem Mantuam se contulisse ad Christi Sanguinem adorandum, eumque tanquam Christi approbasse. Sed quid mirum? Nicephorus lib.1. historiæ cap.30. narrat, Beatissimam Virginem, & Joannem

nem Sanguinem & aquam e Christi latere profluentem devote in vasculo recepisse. Et profecto historia ab Athanasio superius relata non potest habere locum in sanguineis maculis, quæ in Sacra Syndone, in Sudario, & Spinis adhuc cernuntur, siquidem istæ erant, antequam miraculum illud contingeret; Neque satisfaciunt illi, qui dicunt, maculas illas non esse verum Sanguinem, sed sanguineum colorem; etenim, sicut corpus album non reddit album aliud subjectum, nisi communicando aliquam particulam substantiæ albæ, ita Sanguis non efficit colorem sanguineum, nisi communicando aliquam Sanguinis partem; quod & in atramento contingit, quod nullum profert in carta colorem, nisi se communicando. Tandem ratio, quam affert S. Th. desumpta ex quo Corpus Christi gloriosum habet quidquid spectat ad Corporis integritatem, non evincit; nam aliquam Sanguinis partem non esse in Corpore, non aufert Corporis integritatem. Ita magis faveo fidelium pietati, ac venerationi.

120. Non est tamen existimandum, Verbum retinuisse unionem cum Sanguinis hujus particulis contra Valentiam, & Centinum, etenim Sanguis iste neque est pars actualis Corporis Christi, neque servat ordinem ad Corpus, siquidem vel illæ partes sunt iterum uniendæ, vel non; Si hoc dicatur, jam Sanguis non est amplius pars, si dicatur illud, ergo Christus, perfecte non resurrexit, nec habet eam perfectionem, & integritatem, quam habebit post diem judicii, quod non est dicendum. Præterea; si Sanguis ille esset pars Corporis Christi, & ejusdem Sanguinis, deberet per consecrationem reperiri in Eucharistia, quod usque modo nemo dixit; Quod si adhuc debitus est illi cultus latriæ, hoc nihil probat, nam ad cultum hunc sibi vindicandum sufficit, fuisse semel hypostatice unitum Verbo; Si enim Cruci ob solum contactum physicum præcedentem, hujusmodi cultum exhibemus, à fortiori Sanguini.

121. Sed si non retinuerunt unionem cum Verbo, quando illam perdiderunt? Card. de Lugo existimat, totum Sanguinem effusum retinuisse unionem cum Verbo usque ad resurrectionem Christi, nam omnes partes tunc idem jus habebant ad reassumptionem. Arriaga distinguit; Vel guttæ Sanguinis non reassumendi erant separatæ à Sanguine reassumendo, vel non; si erant separatæ, statim post effusionem dimissæ sunt à Verbo; si non, unionem retinuerunt, donec fuerunt separatæ. Quidquid dicatur, satis apte dicetur.

122. Quod dictum est de Sanguine, resolvendum est etiam de aliis tribus humoribus, & de spiritibus vitalibus, qui gignuntur respective in cerebro, & in corde, isti enim sunt partes subtilissimæ, & quidam fulgores Sanguinis perfectioris deservientis motibus & sensationibus, quare si assumpsit Sanguinem, etiam &c. Posset etiam inquiri de capillis, & dentibus &c. quæ cum proportione sunt stabilienda; Verum hæc omnia magis phylosophica sunt, quam Theologica, ideo omittantur.

ARTICULUS XII.

An defectus Corporis fuerint assumpti à Verbo.

123. INter corporis defectus alii sunt communes naturæ ex ipsa naturæ conditione in specie, ut sunt passibilitas & mortalitas, alii convenientes naturæ, non conditione naturæ immediate, sed propter aliquas causas particulares, ut febris, dolor capitis &c.

Dico pr. Verbum assumpsisse defectus corporis in priori sensu, ideo ejus caro fuit passibilis mortalis &c. est dogma fidei definitum in concil. Ephes., & Later. contra Julianum & Eutich. Suadent hoc Divinæ Scripturæ, in quibus Christus dicitur passus dolores, crucem, & mo-

& mortem. Isaiæ 50. *Vere languores nostros ipse tulit*. Luc.20. *Nonne oportuit, Christum pati*. 1. Petri 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum.*

124. Plures autem pro hac re possunt proferri congruentiæ. Christus enim debebat satisfacere pro peccatis totius generis humani, ergo debebat sustinere aliquas pœnas debitas generi humano, sed pœnæ debitæ generi humano sunt mors & alia hujusmodi, ergo. 2. Christus per suam passionem voluit nos in fide firmare, & in futuræ gloriæ spem erigere, insuper præbere exempla humilitatis, patientiæ, aliarumque virtutum, quæ sine corpore passibili, & subjecto defectibus humanæ speciei communibus, exerceri non possunt.

125. Contra hoc assertum dicit Julianus; Christum passum esse mortem, dolores, & alia, non naturaliter juxta suæ carnis exigentiam, sed solum divinitus, idest ex divina dispositione, proinde ex allatis authoritatibus, & congruentiis nequaquam inferri; ejus carnem fuisse passibilem. At non videt, multiplicari miracula sine ulla necessitate? cum tota vita Christi fuerit nunquam interjecta passio, perenne miraculum in patiendo patravit; deinde, Christus per Miraculum patiendo nullum nobis reliquisset exemplum, nec vere languores nostros ipse tulisset, si non esset passus, sicut nos pati debemus, cum patimur.

126. Op. 1. Christus non erat deterioris conditionis ea, in qua fuit Adam in statu innocentiæ, sed Adam pro statu innocentiæ habebat carnem impassibilem, & immortalem, ergo etiam Christus. 2. Anima Christi erat beata, ergo etiam corpus; consq. tenet, cum animæ beatitudo redundet in corpus. 3. defectus corporis sunt pœna peccati, sed Christus nullum habuit peccatum, ergo. 4. Anima Christi fuit undequaque perfecta propter dona gratiæ & scientiæ, ergo etiam corpus Christi fuit undequaque perfectum. Tandem, propter unionem hypostaticam humanitas Christi non habuit posse peccare; ergo propter eandem non habuit posse pati. Pr. consq., tam repugnat Deo posse pati, quam posse peccare, cum sicut est prima & substantialis sanctitas, ita sit prima & substantialis vita, sed quia est prima & substantialis sanctitas, repugnat posse peccare, ergo quia est prima & substantialis vita, repugnat posse mori, itaque &c.

127. Resp. carnem Christi non fuisse deterioris conditionis carne Adami quantum ad substantiam, fuisse tamen quantum ad statum, assumpsit Verbum eandem carnem in specie, quam habebat Adam, status vero carnis Adami innocentis erat felicior carne Christi, ratio est, quia Verbum assumpsit eam carnem, quam sanavit, sed caro, quam sanavit, non erat caro Adami innocentis, ut innocentis, ergo. Qua de re, si Christus appellatur secundus Adam; est tantum in hoc sensu, quod sicut primus fuit caput omnium in ordine naturæ, ita Christus fuit caput omnium in ordine gratiæ & gloriæ. Ad secundum conc. ant. ne. conf. ad prob. dis. ant. nisi ex divino beneplacito impediatur conc. si impediatur ne. ant. & conf. Voluit autem Deus hanc redundantiam impedire, ut Christus pateretur, propter quod in mundum advenerat. Ad tertium dis. maj. sunt pœna peccati vel proprii, vel alieni conc. tantum proprii ne. maj. conc. mi. ne. conf. Pœna enim respicit culpam etiam alienam, dum quis vult satisfacere pro peccato alieno, hoc evenit in Christo, de quo Isaias, *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Ad quartum conc. ant. dis. conf. Christus debuit habere & principium satisfaciendi, & materiam aptam ad satisfaciendum conc. & non materiam aptam ad &c. ne. ant. Principium autem satisfaciendi consistebat in gratia virtutibus, & scientia, materia satisfaciendi in pœnalitatibus, ergo ex parte animæ debebant esse gratia, & virtutes,

ex

ex parte vero corporis pęnalitates, ſicque caro paſſibilis, & mortalis. Ad ultimum falſum eſt in ſententia mea, impeccabilitatem Chriſti habitam eſſe ab unione hypoſtatica, ſed à gratia & gloria, quare argumentum nihil probat; in ſententia vero aliorum dici debet, ideo per unionem hypoſtaticam animam Chriſti fuiſſe impeccabilem, quia peccatum nequit ad Deum referri, nec poteſt eſſe materia apta ſatisfactionis, e contra dicendum de paſſibilitate ac morte corporis, unde diverſo modo Deus eſt prima cauſa ſanctitatis, ac ſit cauſa vitæ.

128. Op. 2. ex pſal. 20. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, ergo Chriſtus, qui antonomaſtice dicitur ſanctus, non fuit obnoxius corruptioni. Accedit conſenſus SS. PP. Cyrill. lib. 9. de adoratione in ſpiritu, & veritate inquit. *Corpus Chriſti propter unionem cum Verbo fuit incorruptibile*. Dionyſ. Alexandr. in epiſ. contra Paulum Samoſat. appellat hunc hæreticum, quia dixerat, Sanguinem Chriſti fuiſſe corruptibilem; Id autem dicendum de carne, quod de ſanguine. Hilar. lib. 10. de Trinit. *Chriſtus non habuit naturam ad dolendum, ſed virtus corporis ſine ſenſu pęnę vim pęnę in ſe ſævientis excepit*.

129. Reſp. Pſalmiſtam intelligendum eſſe de incorruptione poſt mortem, ita ut caro Chriſti non deberet reſolvi in vermes & cinerem, ſicut cæterorum hominum caro; Non vidit ergo Chriſtus corruptionem, cum nullam ſenſerit ejus caro putredinem, non propter carnis incorruptibilitatem, ſed propter reſurrectionis celeritatem; ita poteſt explicari Cyrillus, ſed melius fortaſſe dici poſſet per incorruptibilitatem voluiſſe innuere inſeparabilitatem ab unione hypoſtatica. Ad tertium; increpatus fuit Paulus Samoſatenus, quia contendebat, Chriſti Sanguinem eſſe corruptibilem etiam poſt reſurrectionem, & in Euchariſtia. Ad ultimum; exiſtimarunt aliqui, Hilarium virum certe doctiſſimum in errorem Gainitarum dicentium, corpus Chriſti per aſſumptionem factum eſſe impaſſibile, incidiſſe; quia tamen Hjeronim. in epiſ. 7. ad Let. inquit, Hilarii libros inoffenſo pede decurrat, ideo Hilarium benigne explicabimus dicendo, Chriſtum non habuiſſe naturam ad dolendum, hoc eſt, cauſam & demeritum ſubeundi dolorem, ſicut habent cæteri homines, non vero in ſenſu adverſariorum; vel dicam, ly *ſine ſenſu pęnę*, explicare ſummam patientiam Chriſti, coram enim ſe tondente velut manſuetiſſimus agnus obmutuit, & non aperuit os ſuum.

130. Ex dictis ſequuntur alia, quæ corpori paſſibili & mortali negari non poſſunt, ut ſunt fames, ſitis, defatigatio, pro quibus ſatis manifeſtos textus in ſcripturis habemus; Si enim de fame & ſiti loquamur, eſt illud Ioan. 19. *Sitio* & aliud Mat. 4. *Cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus poſtea eſuriit*. Si vero de fatigatione, legitur Joann. 4. *Fatigatus ex itinere ſedebat ſuper fontem*. Ex hoc ſequitur fuiſſe in Chriſti corpore gravitatem, quam negavit Theodorus quidam, cujus cum Beda in Man. cap. 28. meminit S. Th. aſſerens, Chriſti corpus naturaliter deorſum non tendere; ad quod probandum non refert, quod habetur Mat. 10. Chriſtum ſuper maris undas ambulaſſe, nam hoc etiam pluribus Sanctis conceſſum eſſe legimus, & audivimus, quibus tamen corpus cum gravitate fuiſſe, negari non poteſt.

131. Dico 2. Quamvis defectus iſtos convenientes corpori ſecundum intrinſecam naturam corporis aſſumpſerit Verbum, alios tamen Chriſtus non habuit, qui progrediuntur à ſingularibus cauſis, niſi fortaſſe tranſeunter; qua in re non eſt, cur diuturnum ſermonem protrahamus, cum oppoſitum dicere temerarium cenſeatur à Suarez, & Medina refert, quemdam concionatorem, qui dixerat, Chriſtum laboraſſe febri, cæteriſque morbis, ad dicti ſui retractationem fuiſſe coactum; Multo minus dici poterit,

Christum habuisse defectus provenientes ex imperfectione virtutis formativæ, siquidem genitus fuit ex Maria Virgine ope Spiritus Sancti. Fuit igitur optimo temperamento prædítus, eamque prætulit pulchritudinem, quæ virum decet consistens in membrorum integritate, eorumque proportione, & nativi coloris convenientia, qua de re ipsi à Sanctis Patribus aptatur illud ps. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum* & aliud Cantic. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*. Et profecto corporis pulchritudo valde Christo conveniebat, ut per eam suæ internæ excellentiæ specimen præberet, est enim ex Ambrosio lib. 2. de Virginit. *Simulacrum bonæ mentis, & figura probitatis*, & sibi hominum venerationem conciliaret, id enim olim de pulchritudine dictum fuit ab Euripide, *ut primaria species digna foret imperio*.

ARTICULUS XIII.

Resolvuntur aliqua alia de Verbi divini assumptione.

132. Supersunt aliqua alia resolvenda, de quibus inquiri potest, an, & quomodo fuerint assumpta à Verbo divino; De istis modo sermo noster exponetur brevi, ut solemus, nostra methodo utendo, nihil tamen pro nostra sententia prætereundo.

Quæritur 1. an Verbum divinum assumpserit hominem.

Loquutio ista sæpius usurpata fuit apud Patres & Concilia. Hanc invenimus apud Hieronym. in cap. 26. Matt. August. de prædestin. cap. 15. & lib. 9. de Civit. cap. 17. Damasc. lib. 3. de fide cap. 4. Boetium lib. de duabus naturis. Hanc in Concil. Alexandr. in epis. ad Nest. quæ est 10. Cyrilli, approbata in Ephes. in Concilio Tolet. 1. in confess. fidei; in Francofordi. in epis. ad Episc. Hispan. in quo iisdem terminis ad eosdem Episcopos scripsit etiam Adrian. Papa. Scholastici tamen Doctores uno fore atentur, Verbum divinum hominem non assumpsisse, nam homo, Theologice loquendo, non est humanitas sola, sed suppositum habens naturam humanam, sed Verbum non assumpsit suppositum habens naturam humanam, aliter in Christo essent duæ personæ, ergo. Si igitur apud Concilia & Patres viguit ille dicendi modus, ut Verbum divinum hominem assumpsisse affirmaverint, ideo hoc factum est, quia tunc ista vox *homo* indifferenter accipiebatur tam ad significandum concretum, quam abstractum; at post quam inventus est terminus significans abstractum, sicut est humanitas, & terminus significans concretum, sicut est homo, non amplius illum loquendi modum possumus adhibere. Hoc clarum fit alio exemplo. Olim hoc nomen hypostasis indifferenter significabat naturam, vel subsistentiam, & ideo S. Hjeronymus tres hypostases in Trinitate negabat, at postquam ex usu, communique consensione hæc vox hypostasis ad significandam subsistentiam, vel suppositum instituta & accepta est, non amplius licet asserere in Deo unicam tantum hypostasim esse.

133. Quæritur 2. Utrum de Christo dici possint tres substantiæ.

Etiam in hac re, si Conciliis & Patribus quam plurimis adhæreamus, tres substantias dici posse, in dubium revocare non possumus. Augustini 13. de Trin. cap. 17. verba sunt ista. *Sic Deo conjungi poterat humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona, ac per hoc jam ex tribus, Deo, anima, & carne*. Isidorus lib. de different. cap. 6. inquit. *Nos ex duabus subsistimus substantiis, animæ videlicet, & corporis, illeex tribus, Verbi, animæ, & corporis*. Bernardus etiam serm. 3. de nativitatis vigilia expressius sit loquitur. *Attende, quia sicut in illa singulari divinitate Trinitas est in personis, unitas in substantia, ita in ista speciali commixtione Trinitas est in substantiis, in persona unitas*. Ex Conciliis afferri potest præ-

præsertim Tolet. 11. in confess. fidei, atque extat etiam quædam controversia inter Julianum Archiepiscopum Toletanum & Benedictum secundum, de qua satis Pater Vasquez, neque enim in rebus ad Hispanos veteres spectantes hic digredi placet.

134. Iste dicendi modus valde displicet S. Damasceno 3. de fide cap. 16. & Paulino Aquilejensi in libro Sacrasyllabo, ut in Concil. Francoford. in epist. ad Episc. Hispaniæ; Ratio horum est, quia si dicere possumus, Christum tres habere substantias, quia habet divinitatem, animam, & corpus, eadem ratione affirmari poterit, Christum ex sex substantiis constare; corpus enim constat ex quatuor elementis. Rationem hanc inefficacem esse apud illos Philosophos, qui asserunt, elementa non manere in mixto, ut inquiunt, formaliter, sed solum virtute, facillime quisque percipiet. Nihilotamen minus approbatur à S.Th. hic q. 4. art. 1. in corpore, ubi affert autoritatem Augustini superius adductam, atque ita dicere tunc opus erat, ut Patres se opponerent Apollinari Locodicensi, neganti, ut diximus, Verbum assumpsisse animam intellectu præditam.

138. Nunc vero, errore illo prorsus extincto, satius ac tutius est ad fidem nostram sincere profitendam opposito modo nos explicare, ita ut dicamus, duas esse in Christo substantias, divinitatem scilicet ac humanitatem, quod etiam asseruit Concilium Francofordien. dicens. *Aliud est contra hæreticos contendere, aliud vero, puram fideliter confiteri fidem, ibi enim veritas animæ, & carnis in Christo attendenda est, hic perfecta humanitas in eodem confitenda est*. Ratio porro hujus est, quia in compositis non considerantur partes remote constituentes, & ideo, etiam si elementa formaliter manerent in mixto, non diceremus, hominem v. gr. constitui per quinque substantias, & ita in proposito, cum humanitas constet ex corpore & anima, dicere non debemus, nisi Christum constare ex humanitate, cum sit homo, & ex divinitate, cum sit Deus.

136. Quæritur 3. Utrum anima assumpta fuerit prius quam caro; vel caro prius quam anima, vel utraque simul.

In hac re; Fuit error Origenis, ut notarunt Hieronym. in ep. ad Pamach. & Epiphan. in epist. ad Joann. Episcop. Jerosolimit. ex recentioribus vero Alphon. de Castro verbo *Christus*, & Sander: de visibili Monarchia lib. 7. hæres. 46., animam Christi fuisse cum reliquis animabus creatam ab initio mundi, atque indivisibiliter Verbo unitam, antequam carni conceptæ in utero Virginis conjungeretur. Errorem hunc damnavit Concilium quintum generale can. 2. ubi sic definitur. *Si quis dicit, aut sentit, animam Domini præextitisse, unitamque esse Dei Verbo ante incarnationem & nativitatem ex Virgine, anathema sit*. Dum audis nativitatem ex Virgine, non intelligas editionem partus, sed conceptionem; juxta illud Mat. 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*, quæ dicta fuerunt Josepho, antequam partus in lucem prodiisset. In sexta synodo etiam recitata fuit epistola Sophronii act. 11., & act. 13. probata, ubi statuitur, neque carnem, neque animam Christi ante unionem extitisse, quod & declarat Leo I. in epist. 11. ad Julianum, Ex Patribus habemus aperte S. Fulgent. de fide ad Pet. cap. 18., & Damasc. 3. de fide cap. 2. Quare dicendum superest, neque animam prius assumptam fuisse, quam carnem, neque carnem, prius quam animam, sed utramque simul; *Non, ut quidam mentiuntur, ante eam, quæ est ex Virgine, incarnationem, intellectus est unitus Deo Verbo, & ex tunc vocatus est Christus* ait Damasc. lib. 4. cap. 6. *Simul Dei Verbi caro animata, rationalis, & intellectualis* inquit lib. 3. cap. 2. Hujusce rei rationem optimam exhibet S. Th. hic q. 6. art. 4. nimirum, Verbum non assumpsisse carnem, nisi secundum ordinem, quem habet ad animam,

mam, sicut ad propriam formam, atqui hunc ordinem non habet, nisi quando ei advenit anima, ergo tunc illam assumpsit, per quod etiam probatur, prius non assumpsisse animam, quam carnem, quia anima non est priusquam carni uniatur. Posset fortasse dici, in carne reperiri ordinem ad animam etiam ante animæ receptionem propter prævias dispositiones, sed hoc locum non habet, dum de carne loquimur Christi, in hujus enim conceptione Spiritus Sanctus, qui est infinitæ virtutis simul & materiam disposuit, & ad perfectum perduxit, ut loquitur S. Th. hic ad 1. Quod si opponeres, Verbum fuisse unitum carni post separationem ab anima, ergo etiam ante unionem, cum magis caro ordinem servet ad animam ante, quam post; responderem, carnem Christi non fuisse ante unionem cum anima, retinuisse vero unionem cum illa post separationem, quia statim cum illa redemptionis opere jam completo erat resurrecturus.

137. Hæc dicta sunt, si de temporis simultate sit sermo, si autem de prioritate naturæ, dicendum est, prius animam assumptam esse, quam carnem, omnes enim Patres, qui contra Apollinarem scripserunt, Verbum media anima corpus assumpsisse docuerunt; Præterea plures, & unicum proferam Augustinum in epist. 3. hæc habentem de divina virtute; *Ipsa animam rationalem, & per eandem etiam corpus humanum, totumque omnino hominem in melius mutandum nullo modo in deterius mutata coaptavit*. Hoc exprese definitum fuit in 6. syn. gen. act. 18. in edicto fidei Constantini Pogonati, cujus formula missa fuit ad Leon. 2. qui epist. sua illam confirmavit.



QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De intellectu Christi.

ARTICULUS IV.

Utrum detur in Christo duplex intellectus, & intelligere.

1. Cum facultas intellectiva in sui operatione supponatur prior volitiva, non incongruum videatur, si prius de Christi intellectu, quam de voluntute arbitror esse pertractandum; Ut autem propositam difficultatem resolvam, quærendum est, utrum in Christo admittendus sit unus, vel duplex intellectus sicut unum, vel duplex intelligere, humanum scilicet ac divinum; Secundo, an intellectus humanus intellexerit, aut intelligere potuerit per intellectionem divinam, & increatam. Quantum ad primum.

2. Dicendum, dari in Christo duplicem intellectum, proinde duplicem intellectionem. Assertum hoc est de fide statutum in 6. Syn. gener. act. 4. ubi habentur hæc verba. *Confitemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas ejus prædicamus, & unamquamque proprietates naturales habere, divinam omnia, quæ divina, humanam omnia, quæ humana sunt.* Deinde confirmatum in Concil. Lateran. sub Mart. 1. & in Florent. sess. ultima; Magis vero demonstrabitur, ubi de Christi duplici voluntate pertractabitur. Ex hisce sequitur, fuisse etiam in Christo duplicem intellectionem, alioquin unus intellectus frustraneus ac superfluus omninò fuisset.

3. Quantum ad 2. aliqui admittentes nobiscum duplicem intellectionem in Christo, dixerunt, intellectum ejusdem creatum intellexisse, præsertim divinam essentiam, per intellectionem increatam Verbi ipsi communicatam, aut saltem per illam potuisse intelligere. Contra quos.

Dicendum, intellectum creatum Christi non intellexisse per intellectionem increatam, immo in hoc fuisse repugnantiam.

Prob. prima pars. Si qua est ratio, propter quam dicamus, intellectum Christi intellectione increata intellexisse, vel est, quia intellectus Christi est beatus, & videt Deum, vel quia in eodem, tanquam assumpto à Verbo, est divina intellectio, sed neutrum probat, ergo. Prob. prima pars. min. Licet beati in patria videant Deum, tamen non vident per intellectionem increatam, ergo licet intellectus Christi sit beatus &c. Prob. secunda. Quod intellectus Christi fuerit assumptus à Verbo probat unionem inter intellectum humanum & divinum, non autem intellectum humanum intelligere intellectione divina, sicut non probat intellectum humanum esse divinum, ergo.

4. Prob. secunda pars, per quam magis ostenditur prima. Neque per absolutam potentiam potest intellectus creatus fieri intelligens intellectione divina, ergo. Prob. ant. Non potest etiam per absolutam potentiam aliquis intellectus fieri intelligens per aliquam intellectionem, quæ non producatur ab ipso intellectu, & intime in ipso recipiatur, nam intellectio est actio immanens & vitalis, quæ debet esse in principio, à quo est, sed intellectio divina neque per absolutam Dei potentiam potest intime recipi in intellectu creato, ut constat ex titulo maxime perfectionis, quæ debet ipsi concedi, ergo. Adde intellectio-

ctionem divinam esse ipsum Deum, reciperetur ergo Deus.

5. Dices. Potest subsistentia divina uniri naturæ humanæ, & hanc reddere subsistentem subsistentia divina; potest divina essentia uniri intellectui beatorum adinstar speciei intelligibilis, & illum reddere intelligentem, ergo etiam poterit intellectio divina uniri intellectui creato, ita ut per eam reddatur intelligens.

Sed contra, Ut natura reddatur subsistens, servatur in natura indifferentia ad subsistentiam propriam, vel alienam; at vero ut intellectus reddatur intelligens, hæc indifferentia excogitari non potest, cum intellectio nequeat præscindi à notione actionis vitalis, & immanentis, ad quam necessario spectat, esse à suo principio, & in ipso recipi, uti dictum est. Ad aliam partem anteced. disp. est, quia uniri adinstar speciei intelligibilis est uniri adinstar principii activi, cum non alio titulo admittatur hæc species, quam ad agendas vices objecti, quod per se ipsum immediate non concurrat ad intellectionem; sed objectum concurrit tanquam principium activum, ergo. Intellectio autem non unitur hoc modo intellectui, sed adinstar formæ ab ipso productæ, & in ipso receptæ, & ideo potest admitti primum, quod tamen Thomista negat, non secundum.

ARTICULUS II.

De Scientia animæ Christi.

6. DE triplici scientia difficultas proponitur, idest de beata, de per se infusa, & de per se acquisita. Primam negarunt Christo pro toto cursu vitæ mortalis Calvinus, Bucerus, aliique sectarii, asserentes insuper pro triduo mortis, Christum passum esse omnes damnatorum pœnas. Secundam negarunt S. Bonavent. Alorain, aliique, dicentes, ejus scientiam fuisse tantum infusam per accidens, tertiam negavit Rich. omnes vero admiserunt S. Th. Scot. & cum istis omnes recentiores Theologi.

7. Dicendum 1. Christum in primo suæ conceptionis instanti habuisse scientiam beatam. Dictum hoc est de fide, aut saltem certum certitudine Theologica, ut notant Suarez, Amicus, Medina & alii. Hoc autem colligitur ex Scripturis Sacris. Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse narravit* idest ex August. tract. 3. in Joan. & Chrys. hom. 14. in eundem, *Unigenitus, qui videt, ipse narravit* Joan. 3. *nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo.* Jo. 12. *Ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Ps. 40. *Beatum faciet eum in terra* quæ & similes authoritates melius explicari non possunt, quam de scientia beata in anima Christi. Ratio autem hujus esse potest, quia cum Christus dominus esse deberet præcipuus mysteriorum Dei magister, oportebat, ab eo non tantum audita, sed etiam visa prædicari.

8. Totum autem hoc intelligi debet de toto vitæ tempore, cum non sit major ratio de uno, quam de alio, & æquali modo impediri poterat hæc visio in corpore passibili, quo infantili, cum sit supra statum utriusque, & ex alia parte radix hujus visionis primaria, idest unio hypostatica, fuerit in Christo à primo conceptionis instanti. Pro hac re optime adducitur textus ille Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*, ita ut, quemadmodum semper fuit unigenitus cum plenitudine gratiæ, & veritatis, fuerit semper Unigenitus cum plenitudine gloriæ, quæ sine visione, seu scientia beata excogitari non potest. Merito propterea Rich. à S. Vict. lib. 2. de Emmanuele cap. 22., ut cæteros Patres omittam inquit. *Quod nos expectamus in consummatione, illi datum est in conceptione.*

9. Dicendum 2. Christum habuisse à pri-

à primo instanti scientiam vere infusam distinctam à beata, & naturali, quæ possit acquiri.

Ad hoc probandum aliqua scriptura efficaciter evincens afferri non potest, nam quod de Christo infante Luc.2. dicatur. *Sedebat in medio, & stupebant omnes super prudentia, & responsis.* & Joan.7. *Unde hic litteras scit cum non didicerit*, Possunt omnes effectus isti tanquam à scientia beata proficiscentes explicari. Quare aliter sic. In Christo non debet reperiri sola scientia, per quam cognoscat res in Verbo, sed etiam illa, per quam cognoscat eas in se ipsis, ergo præter scientiam beatam ipsi tribui debet scientia vere infusa. Pr. ant. Christus non tantum fuit comprehensor, sed etiam viator, ergo præter scientiam beatam &c. Pr. consa. pr. quia si conceditur aliis beatis cognitio, quam matutinam dicunt, & alia quam vespertinam appellant, cur non Christo, qui caput semper fuit omnium beatorum, immo & Angelorum? Secundo & hoc extra Scotica principia, de quibus infra,) quia Christo ut viatori conveniens quam maxime fuit infusa scientia, ut posset mereri, scientia enim beata contulit Christo amorem necessarium erga Deum, ergo ad merendum non est idonea, cum ad meritum requiratur libertas; ex alia parte non sufficiebat scientia solum per accidens infusa, quia hæc est naturalis, meritum autem est in linea supernaturali. Hinc S. August.10. de Civit. cap. 38. inquit. *Hujus scientiæ privatio non futura esset, ut proficeret, sed multum noceret*,

10. Neque dicas, quod sicut idem nequit cognosci per medium probabile & demonstrativum, quia scientia & opinio nequeunt simul componi, ita nequeat cognosci per scientiam beatam, & & infusam, idest in Deo, & in se, vel superfluere scientiam imperfectam, sicut est infusa, ubi est perfecta, sicut est beata; etenim hoc asserere est negare beatis id, quod usque modo omnes Theologi concesserunt, deinde in assensu scientifico, & opinativo aliquid repugnans invenitur, ut ostendunt illi, qui tali sententiæ adhærent, non sic in scientia matutina & vespertina, ut pariter demonstrant; quod magis dicendum est, si idem subjectum habeat duplicem statum comprehensoris scilicet, ac vitatoris, ut in casu. Quare ad 2. ne.maj. etiam propter rationem in probatione adductam.

11. Immo sic magis confirmo. Quanvis Christus habuerit gratiam unionis, non est tamen ipsi deneganda gratia habitualis, esto illa sit major, hæc minor, ut suo loco ostendam, ergo quanvis habuerit scientiam beatam, non est illi deneganda scientia per se infusa; & profecto quis dicat, non esse concedendum animæ Christi, quod animæ separatæ conceditur? Huic autem convenit cognoscere res independenter à sensibus externis & phantasmatibus, sicque per scientiam infusam, ergo & animæ Christi, præsertim cum fuerit Spiritus Sancti donis instructa, quæ sine scientia infusa incongruenter darentur proinde &c.

12. Dicendum 3. Christum habuisse scientiam acquisitam experimentalem & naturalem per proprios actus successu temporis.

Pr.1. authoritatibus scripturæ. Ad Hæbr.5. *Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam*, idest addit Glossa, *expertus est*. Luc.2. *proficiebat sapientia & ætate*. Mat.24. *De die autem illa & hora nemo scit* quas omnes SS. PP; explicant de scientia Christi experimentali & naturali. Ex græcis afferam Cyr. in posteriori libro de recta fide de Reginas cap.3. ubi ait. *Si enim non esset Verbum Dei factum homo, scivisset utique, & siquidem humanum quiddam de ipso dicere licet, etiam nondum in hanc vocatum foret nostrarum passionum experientiam, ubi autem nostram indutum est carnem, tentatum est per omnia, nihilominus non dicimus*,

mus, quod ignoraverit, sed quod præexistente divina cognitione, etiam per ipsam experientiam voluit discere. Quæ verba secundum aliam translationem repeᵣiuntur in Conc. Ephes. cap.6. ubi sic legitur. *Neque tamen dicimus, ante quidquam omnino eorum omnium ignorasse, sed scientiæ divinæ, quam obtinebat; eam quoque notitiam, quam affert experientia, accessisse*. Ex latinis non prætereibo Ambrosium lib. de Incarn. Domin. Sacramento cap.7. dicentem. *Sensu hominis profecit, sicut scriptum est, & Jesus proficiebat ætate & sapientia & gratia apud Deum & homines, quomodo proficiebat sapientia Dei? doceat te ordo verborum, profectus est ætatis, & profectus sapientiæ, sed humanæ est; ideo ætatem ante præmisit, ut secundum hominem crederes dictum, ætas enim non divinitatis, sed corporis est, ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis, sapientia autem sensu proficit, quia à sensu sapientia*.

Ratio autem sic proponi potest. Christus successu temporis habuit nova phantasmata, ergo etiam habuit novam scientiam. Pr. ant. Christus successu temporis videbat, & audiebat nova objecta, ergo & habuit nova phantasmata, cum visio & auditio habita in sensibus externis transmitteretur ad sensum internum, in quo hujusmodi phantasmata fiunt.

13. Op. contra primam. Luc. 22. *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* ergo gloriam semper non habuit. Joan. 7. *Nondum erat spiritus datus, quia nondum erat Christus glorificatus*. Joan. 17. *Clarifica me Pater claritate, quam habui, antequam mundus fieret*. Mat. 27. *Tristis est anima mea* ergo Christo in hac mortali vita defuit visio beata.

Resp. primas tres authoritates intelligendas esse de glorificatione corporis sui, quam laboribus & morte sua sibi promeruit, vel de manifestatione & exaltatione nominis sui, non de gloria animæ. Pro quarta authoritate dico; tristem fuisse ipsius animam, & simul beatam de eodem objecto secundum diversa, gaudebat enim propter Deum clare visum, & propter passionem, ut directam ad humani generis redemptionem, & satisfactionem divinæ justitiæ, tristabatur vero de eadem passione, ut sibi non conveniente, & inutili propter tot hominum damnationem, quapropter & flevit super Jerusalem.

Dices; gloria corporis est necessario conjuncta cum gloria animæ, si corpus sit animæ conjuctum, ergo si Corpus Christi non fuit beatum, neque fuit beata ejusdem anima. Sed contra gloria animæ fuit debita Corpori, tamen propter redemptionem nostram, ob quam venerat, divina dispensatione & ad tempus ea caruit, quod qudem demonstratum fuit in ejus transfiguratione, in qua animæ gloriam ad corpus transire permisit.

ARTICULUS III.

Quid per scientiam beatam agnoverit anima Christi.

14. Primo in hac re inquirendum de objecto scientiæ beatæ, tanquam perfectioris, atque tanquam certum suppono, animam Christi non comprehendisse divinam essentiam, ad quod probandum occurrunt omnia argumenta, & auctoritates scripturæ & Sanctorum Patrum, quibus in tract. de Deo uno visionem Dei comprehensivam, si Deus dederit, impossibilem ostendemus. Quæstio igitur ad hoc reducitur, utrum Christus per scientiam beatam cognoverit creaturas præteritas, præsentes, & possibiles.

Dico 1. cognovisse omnes creaturas præteritas, præsentes, & futuras. Assertio hæc est contra Celsum asserentem, Christum ignorasse ea, quæ passurus erat; contra Agnoitas tribuentes Christo diei judicii ignorantiam; contra Lu-

Lutherum, Calvinum, aliosque sectarios idem affirmantes. Quod vero spectat ad creaturas futuras, videtur esse contra aliquos Scotistas & Nominales admittentes quidem in Christo cognitionem tot futurorum, ut excedat cujuscumque beati cognitionem, non tamen omnium, nisi in habitu, vel in actu primo, quatenus cognoscit divinam essentiam ex se paratam ad repræsentanda omnia futura; qua in re nullam quæstionem promovere placet, cum Scotus in 3. dis. 14. q. 2. utrumque dicendi modum admittat. Meum quidem §. *Potest dici*. Alium vero §. *Sed si ista*. Quare Scotistæ ordinis sui inter se contendant. Interea pro asserto meo sunt S. Th. hic q. 10. art. 2. Alber. Magnus, Suarez, Vasquez &c.

15. Prob. 1. ratione. Christus per scientiam beatam ea omnia in actu secundo videre debet, quæ pertinent ad ipsius statum, ut de facto vident etiam beati, sed cognoscere omnes creaturas præteritas, præsentes, & futuras pertinet ad ejus statum, ergo. Prob. mi. Christus constitutus est omnium judex & caput, ergo; atque ex hoc antecedente constat, judicii diem præsertim cognovisse, cum dies ista spectet ad universalis judicis prærogativam.

Secundo. Scripturæ auctoritatibus confirmatur. Joan. 3. *Christo non est datus spiritus ad mensuram*. Apocal. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere divinitatem, & scientiam*. Addit Glossa, id est *omnium cognitionem*. Ad Colos. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*.

Dices; hæc testimonia non esse intelligenda de Christo ut homine, alioquin scriptura sibi ipsi contradiceret. Cum Luc. 2. dicatur, *proficiebat sapientia*. Et Marci 13. *De die autem illa, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius hominis, nisi Pater* videlicet juxta expositionem Patrum in 6. Synod. act. 12. *Nesciebat ut homo sciebat ut Deus*.

Sed contra; intelligenda esse de Christo ut homine, constat ex verbis, signanter ex primis duabus, etenim in prima dicitur, *est datus* in alia fit sermo de agno, qui occisus est, sed est hujusmodi ut homo, ergo. Ad textus oppositos, dico primum explicari vel de externa manifestatione, vel de sapientia acquisita & experimentali, uti dictum fuit; Secundus acceptus juxta litteram est falsus, alioquin nec Spiritui Sancto notus esset dies judicii, & Pater haberet aliquam cognitionem, qua carerent aliæ personæ; In eo igitur fit sermo vel de scientia tantum naturali, qua dies judicii non cognoscitur, vel de humanitate reduplicative accepta juxta conditionem humanitatis, non de ipsa, ut unita Verbo, & sic explicabitur quodcumque dictum vel scripturarum vel Patrum, quod afferri posset. Quod si textum illum Marci 13. juxta Patres explicare placeret, multiplex interpretatio non deesset, ut videri potest apud Vasq. disp. 51. cap. 3.

16. Ex probatione à nobis posita videtur, generatim concludi non posse omnium omnino futurorum cognitionem in Christo, sed eorum tantum, quæ spectant ad ejus statum tanquam judicis vivorum, ac mortuorum; Cur autem spectabit ad Christum scire quot futura sint pecora, aut arborum folia? nunquid hæc judicaturus est? Ita hoc arbitror tenendam esse Scoti sententiam, quam docet §. *Sed si ista*. Nimirum posse hæc omnia cognoscere, si velit.

17. Dico 2. Christum cognoscere aliquas creaturas possibiles, & probabiliter omnes. Prima pars apud Theologos communis est, secunda ferme contra omnes.

Prob. prima, cæteri beati vident aliquas creaturas possibiles, ut suppono ex tract. de Deo uno, ergo etiam Christus, illatio hæc perperam negaretur, cum non sit negandum capiti beatorum, quod ipsis beatis conceditur.

Prob. secunda pars, sine aliqua neces-

necessitate negatur, Christum cognovisse omnes creaturas possibiles, & cum maxima congruentia hoc conceditur, ergo. Prob. prima pars antecedentis solvendo argumentum unicum, quod opponunt; Secundo si est aliqua necessitas negandi &c. erit communis repugnantia in cognitione creata inepta ad cognoscenda omnia possibilia in Verbo, sed non ista, ergo. Prob. mi. eadem ratione, qua supra de futuris dictum est; Prob. secunda pars prioris anteced. Est maxima congruentia ex parte dignitatis & perfectionis Christi, si dicamus, Christum cognoscere omnia futura, ergo etiam si dicamus, cognoscere omnia possibilia.

Hoc magis confirmo. Christus agnovit virtutem passionis suæ, ergo agnovit omnes homines possibiles, & omnia peccata possibilia, consa. hæc tenet, quia virtus passionis suæ adeo fuit copiosa & superabundans, ut sufficeret non tantum pro peccatis totius mundi, sed aliorum quoque possibilium consequenter &c.

18. Dices in oppositum esse definitionem Ecclesiæ, nam in Concilio Basileensi sess. 12. damnatur tanquam erronea hæc propositio. *Anima Christi videt tam clare & intense Deum, sicut Deus videt se ipsum*; & in directorio Inquisitorum refertur tanquam damnata hæc alia. *Quam cito anima Christi fuit unita divinitati, statim ipsa anima scivit omnia, quæ scit Deus*. Sed si Christus cognosceret omnia possibilia, dictæ propositiones essent veræ, ut patet, ergo.

Sed contra; negatur minor, nam sicut anima Christi, cognoscens omnia futura, non cognoscit tam clare, & intense, sicut Deus, ita etiam cognoscens omnit possibilia; in primo casu est diversitas quantum ad modum, & pariter in secundo. Quare, dum dico, omnia possibilia à Christo cognosci, loquor secundum rem, non secundum omnem modum possibilem. Alia propositio fuit damnata non secundum se, sed in sensu authoris, existimantis, animam Christi scire omnia, quæ scit Deus, eo quod visio spectet ad suppositum, non ad naturam, quod est falsum. Cæterum, dicta propositio admitti potest, &, ut refert Eusebius in epis. ad Damas. fuit Sancti Hieronymi, qui morti proximus Christum alloquutus est hisce verbis. *Tua anima, ut unita fuit divinitati; omnia perfecte scivit, sicut ipsa divinitas*.

19. Argumentum unicum, de quo in probatione, est hoc. Data hac sententia cognitio Christi esset infinita, immo comprehensiva Dei, hoc non etiam per nos, ergo. Verum, nequaquam esset infinita, quia, vel ipsa possibilia in se ipsis infinita non sunt, vel si sunt, erit cognitio tantum infinita terminatione; non esset comprehensiva, quia adæquaret cognoscibilitatem Dei tantum extensive, non vero omni modo, ut ad comprehensionem requiritur. Adverte tamen in sententia mea, ex cognitione omnium possibilium non sequi cognitionem comprehensivam Dei, ut tradam de Deo uno.

ARTICULUS IV.

Quid per scientiam infusam noverit anima Christi.

20. Plura sunt de quibus inquiri potest; atque in primis ens in substantia supernaturale, sicut est mysterium Trinitatis, de quo potissimum difficultas movetur à Doctoribus, non quidem loquendo de ipso tanquam objecto immediate, & directe, cum hoc omnes ad scientiam beatam spectare fateantur, sed tanquam mediato & in directo. In hac re communis Theologorum sententia cum S. Th. hic art. 1. affirmative concludit, si sermo sit de re, seu, ut inquiunt, *quo ad an sit*. Ita Joan. S. Th. disp. 13. art. 1. Godoi disp. 36. §. 5. Suarez disp. 27. sec. 5. Cacher. Madern. Puteobonell. contra Lorcam disp. 60. & præ-

præsertim Vasquez disp. 53. cap. 1.

21. Prior sententia videtur præferenda, quam quidem diversis momentis Theologi declarare nituntur. Primo autem sic arbitror posse demonstrari. Intellectus Christi debuit esse perfectus quantum attinet ad sui dignitatem, sicut perfecta fuit ejus voluntas, sed voluntas Christi fuit perfecta donis viæ & patriæ nimirum gratia & gloria, ergo etiam intellectus Christi debuit esse ita perfectus, sed cognitio Trinitatis ad hujusmodi perfectionem requiritur, ergo *Christus* cognovit mysterium Trinitatis, ex alia parte non cognovit per fidem, quę in ipso non fuit, ergo cognovit per scientiam infusam, & non solum per beatam, quæ est visio patriæ. Secundo. Cognovit Christus actus fidei nostræ erga Trinitatis mysterium, sicut ipsius gratia, ut eos haberemus præbebat influxum; sed fieri non potest cognosci actum fidei, erga Trinitatis mysterium, quin hoc etiam cognoscatur, cum inter actum & objectum detur relatio & connexio, ergo. Tertio juxta Thomistas, & alios in hac re adversantes, Christus per actum obedientiæ, & amoris erga Patrem merebatur, sed meritum hoc non dirigebatur à scientia beata, sed infusa, ergo per scientiam infusam novit Patrem, per consequens etiam Trinitatis mysterium, cognitione quidem abstractiva, non intuitiva.

22. Ex his autem innuitur in quo medio Christus ita cognoverit, pro quo declarando plurimum divisi sunt auctores, ut videti potest apud Suarez disp. 27. sec. 5. atque insuper reiiciuntur fundamenta oppositæ opinionis, quæ energice proponere Vasquez contendit; atque primo loco affert S. Th. doctrinam, qui in hac quæst. art. 1. postquam dixerit, Christum per hanc scientiam cognovisse omnia, quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sapientiæ, sive ad donum prophetiæ, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti, concludit. *Ipsam tamen Dei essentiam, per hanc scientiam non cognovit, sed solum per primam*; idest beatam, si autem cognovisset mysterium Trinitatis, plane & divinam essentiam cognovisset. Secundo inquit, nullum effectum supernaturalem connecti cum Deo trino, sed tantum cum Deo uno, quia causa effectrix est divina voluntas ac omnipotentia, Trinitas vero ad actiones extraneas tantum concomitanter se habet; Tertio ad summum potuisset Christus Trinitatem cognoscere per evidentiam in attestante; idest per testimonium Dei, & hoc non sufficit ad habendam scientiam infusam, quæ debet esse evidens, & per aliquod medium intrinsecum, & cum evidentia in attestante habeatur quidem actus fidei, non vero actus scientiæ.

23. Quid vero pro explicanda Sancti Thomæ auctoritate dicendum sit, satis apte cogitarunt Thomistæ, quare laudatus Doctor verba, quæ ibi habet, nimirum; *Hec sententia adeo pugnat cum verbis Sancti Thomæ, ut Thomistæ, qui eam sequuntur, simulque profitentur doctrinam Angelici Doctoris in omnibus defendere, verba ipsius minime legisse videantur*, præterire potuisset. Ibi enim ab Angelico excludi solum scientiam essentiæ divinæ immediatam, & in proprio genere, non mediatam per effectus supernaturales compertum est; dixerat enim prius, per hanc scientiam cognovisse omnia, quæ per divinam revelationem innotescunt, atqui per divinam revelationem innotescit mysterium Trinitatis, ergo per scientiam infusam illud agnovit. Ad secundum; si inspiciamus Deum tanquam causam efficientem, nullus effectus creatus connectitur cum ipso, ut Trino, sed ut uno, si autem tanquam objectum, id negamus. Ad tertium argumentum corruit in illorum sententia, qui dicunt, evidentiam in attestante proferre evidentiam rei; quia tamen hoc a me in tract. de fide negatum fuit, ideo dico, non per hujusmodi evidentiam Christum agno-

agnovisse Trinitatem, sed per aliud, ut supra.

24. Dico 2. Christum per scientiam infusam cognovisse res naturales, de supernaturalibus enim nulla est difficultas, nisi fortasse de aliquibus, de quibus tamen nullum efficax argumentum afferri potest, ut inferius dicam; Quantum vero ad punctum statut., Scot. in 3. dis.14. q.3. contrarium docuisse existimant plures cum Suarez, attamen tam multa disjunctive ibi Doctor exponit, ut id absolute non neget, sed plura dici posse juxta cognitionem abstractivam, vel intuitivam declaret; ac revera Mastrius cognitionem abstractivam tam universalium quam singularium, præteritorum omnium ac præsentium animæ Christi per scientiam infusam concedit; Quare si Scotus contrarius fuerit, apud Scotistas res dirimenda relinquatur.

Ratio autem assertionis nostræ est; quia quidquid per lumen inferius cognosci potest, id etiam per superius attingi posse inficiabitur nemo, nisi qui velit superiorem virtutem nimium coarcatare, & ignoret, vim, quanto superior fuerit, eo universalius se extendere, ut constat etiam, si intellectum & sensum placeat considerare; poterunt igitur res naturales per species supernaturales cognosci, sicut etiam per actum supernaturalem, & per supernaturale lumen, cur igitur rerum naturalium infusa scientia Christo denegabitur? Res creatas nega percipi posse per speciem increatam, sicut est divina essentia, & res materiales per speciem immaterialem, deinde nega, quod nunc nostra interest. His adde, conveniens valde fuisse, animam Christi res naturales perfectiori modo cognoscere, quam cognascat intellectus Angelicus, si autem eas non per scientiam per se infusam, sed tantum per accidens & acquisitam cognosceret, imperfectiori modo illas perciperet, sicut intellectus naturalis Christi intellectu Angelico est minus perfectus. Hinc falsa est doctrina asserentium, scientiam infusam, per quam Christus cognovit res naturales, specie non differre à naturali & acquisita sed solum per accidens, sicut differt visus habitus per naturalem generationem à visu per miraculum restituto, etenim uterque visus eodem omnino modo tendit in suum objectum formale, non sic scientia infusa & acquisita, cum illa per species superiores & inditas, hæc per inferiores & successive comparatas habeatur.

25. Dictum fuit supra de supernaturalibus nullam esse difficultatem, nec ullam efficax argumentum afferri posse. Ut vero omnia clarius proponantur, de tribus rebus supernaturalibus potest inquiri; 1. de gratia, 2. de visione beata; 3. de incarnationis mysterio. Quod de gratia opponi potest ex eo desumitur quod sit participatio divinæ naturæ, oporteret igitur cognosci divinam naturam, ut inde gratia cognosceretur, illa autem solummodo per visionem beatam cognosci potest, ergo similiter & gratia. Quod de visione beata ad hoc reducitur, quod, cum visio hæc sit similitudo Dei, ut objecti beatifici unius & trini, cum videatur sicuti est, sequeretur per hanc scientiam videri, etiam Deum unum & Trinum, quod concedi non potest. Tandem, Christum per hanc scientiam non cognovisse mysterium Incarnationis probari potest, quia incarnatio est superioris ordinis, quam gratia, & omnes res supernaturales, & cum includat intimam unionem cum Verbo, nequaquam nisi in Verbo videri potest.

26. Parum tamen hæc urgent; etenim primum refellitur dicendo, gratiam esse quidem participationem divinæ naturæ, quia est à divina natura tanquam à causa efficiente vel exemplari, esse tamen qualitatem absolutam & omnino à divina natura distinctam, atque ideo per diversam notitiam attingi posse, certe omnia entia creata sunt participationes Dei, & tamen in proprio gene-

genere cognosci possunt, etiamsi non cognoscatur Deus. Ad 2. vel sermo est de visione beata aliorum, vel propria; si de prima, procul dubio hæc cognosci potuit, quin videretur Deus, cum sit quid absolutum in se ipsa, &, ut ait Scot. quodlib. 14. in fine, cognosceretur ut objectum quod, non ut quo, seu ratio videndi, cum hujusmodi esse nequeat nisi in eo in quo est; & si probaret opposita ratio, Christus non potuisset cognoscere per scientiam infusam actum charitatis in alio, non viso Deo, quia etiam actus charitatis tendit in Deum, ut est in se. Si vero sermo sit de secunda, idem dicendum propter eamdem rationem, cum hujusmodi visio esse possit objectum sui ipsius reflexum, non quatenus terminatur ad Verbum, sed quatenus est visio sui ipsius. Ad 3. duo sunt in mysterio incarnationis distinguenda, nimirum persona Verbi, & unio naturæ humanæ cum Verbo; in pr. sensu certum est, per scientiam infusam ab anima Christi cognitum non fuisse, cum Verbum nonnisi per visionem beatam cognosci possit evidenter; in secundo tamen sensu probabilior est pars affirmativa, quia simpliciter est aliquid creatum, quod non est extra objectum istius scientiæ. Cæterum, generatim loquendo; Cum Christus sit auctor gratiæ & supernaturalium mysteriorum, valde conveniens est, omnia in proprio genere cognovisse, & quamvis non fuerit author incarnationis, attamen in ipso peracta erat incarnatio, idest in ipso erat unio humanitatis cum Verbo.

27. Superest inquirendum, an objectum scientiæ infusæ Christi fuerint etiam secreta cordium, & futura contingentia, & quantum ad primum; hoc in sententia Scotica negari non potest, cum juxta hujus principia hæc notitia etiam intellectui angelico concedatur, à fortiori igitur animæ Christi. Neque etiam in schola S. Th. potest in dubium revocari juxta ea quæ habet S. Th. hic art. 1. & à me adducta sunt num. 22. constat enim, cordium secreta hominibus nota fieri per revelationem; Quod si in 3. dis. 14. art. 3. docuit, animam Christi hæc tantum in Verbo cognoscere, loco citato se retractavit, ut notant Cajetan. & Gonet. Ex hac Sancti Th. doctrina recte etiam infertur, agnovisse futura contingentia, cum etiam hæc per revelationem possint cognosci, sed quo pacto illa cognoscat & in quo medio, plurimum laborant authores explicaturi.

28. Aliqui dicunt illa cognoscere in suis causis contingentibus sumptis in actu pr. aliqui in decreto Dei libero, aliqui in veritate objectiva ipsorum futurorum, aliqui immediate in se ipsis, & aliqui tandem in divina revelatione includente divinam authoritatem & testificationem evidenter manifestatam; neutrum tamen ex istis admitti posse videtur; non primum, quia illæ causæ in actu primo consideratæ indifferentes sunt ad illos effectus, in medio autem indifferenti non potest unum certo ac determinate cognosci. Non secundum. Quia deberet cognosci hujusmodi decretum Dei liberum, seu essentia divina per decretum determinata; quod solummodo spectare potest ad scientiam beatam; non tertium; etenim asserere, futura contingentia cognosci in veritate objectiva est petere principium, cum rem esse objective præsentem aliud non sit, quam rem cognosci, & quamvis à Deo sic cognoscantur; non inde inferri potest etiam à Christo cognosci, quia ideo à Deo cognoscuntur, quia objective sunt æternitati præsentia, & præsentia in æternitate nequit esse mensura scientiæ infusæ, multo minus dici potest, cognosci potuisse in se ipsis, quia in se ipsis nullo modo sunt; Quod denique dicitur de divina revelatione evidenter cognita, nullo pacto approbare possum, cum hæc componi quidem possit cum fide, & cognitione obscura, quæ in Christo non fuit, non tamen cum evidentia rei in se ipsa, ut ad scientiam infusam requiritur.

29. Hi-

29. Hisce igitur breviter sic expositis, mihi magis placet sententia Scoti in 3. dis.14.q.3. cujus ratio est,quia veritates contingentes non possunt cognosci per species quascumque innatas, cum ex cognitione terminorum non possit cognosci veritas complexorum contingentium de illis terminis, quia illarum complexionum veritas non includitur in terminis, sicut in speciebus & terminis earum includitur veritas necessaria; Quid de hoc momento sentiendum sit, & quo pacto ejusdem obscuritas explicari possit, sit aliorum studium. Clarius ego me geram sic. Quidquid cognosci potest per scientiam infusam, vel debet cognosci intuitive & immediate, vel abstractive & mediate, sed neutro modo cognovit Christus futura contingentia, ut probavi, ergo.

30. Neque vero quid probant argumenta, quæ pro opposita sententia afferuntur ut sunt, Christum esse omnium judicem, omnium caput, omnium doctorem,ad quod quidem munus exercendum valde conveniens erat futurorum contigentium cognitio; & revera Mat. 26. dixit de Juda; *Hic me traditurus est*; & Petro, *ter me negabis* etenim ex his probatur quidem, Christo non defuisse futurorum contingentium cognitionem, non tamen fuisse cognitionem infusam.

Si autem quæratur, utrum hæc scientia infusa fuerit semper in aliquo actu secundo, Responsio est affirmativa; nullum enim habuit impedimentum, & ex alia parte erat hoc Christo valde conveniens, hoc siquidem impedimentum vel oriri debebat à phantasmatibus, & hoc non, quia scientia infusa, ut distinguatur ab acquisita, ab istis non dependet, vel ab actibus scientiæ beatæ,& hoc neque, cum actus scientiæ infusæ non sint illis oppositi, immo potius subordinati, sicut scientia intuitiva non excludit abstractivam, nec matutina vespertinam, ergo. Si autem dicamus, ut plerique dicunt, scientiam infusam, utpote liberam, esse regulam cujuscumque meriti, non beatam, utpote necessariam, sicut conveniens erat, Christum semper esse in aliquo exercitio meriti,ita & conveniens fuerit, esse semper in hujusce scientiæ exercitio.

31. Esset hic agendum de illis, quæ per scientiam acquisitam cognoverit anima Christi; sed, cum non sit quæstio apud Doctores de objectorum substantia, sed dumtaxat de modo, peculiarem quæstionem hisce dubiis tribuere parum nobis consentaneum existimamus. Quare, qui hæc voluerit fusius investigare, facili negotio usque ad satietatem apud ipsos inveniet.



QUÆ-

QUÆSTIO V.

De Christi voluntate.

ARTICULUS I.

An in Christo duplex fuerit voluntas, & operatio.

1. Um in Christo duplex à nobis contra Eutichianos fuerit propugnata natura, parum videretur in hoc puncto studii ac laboris fore impendendum, cum duabus integris naturis suæ operandi sint tribuendæ facultates. Nihilo tamen minus fuit peculiaris Monothelitarum hæresis, quæ licet in Christo duas naturas profiteretur, duplicem tamen voluntatem negare non trepidavit. Antequam catholicam sententiam exponamus & probemus, aliquid de hac hæresi liceat producere,& paululum differere; cum diversa apud Doctores rem hanc ex instituto probantes reperiantur.

2. Hujus hæresis authores fuerunt Macharius Patriarcha Antiochenus, Cyprus,alii legunt Cyrus, Sergius,Pirrhus, & Paulus, quos recenset S. Th. q.18. art.1. nec non Typus, ut constat ex Concil. Lateran. sub Martino I. consultat.5. can.18. Isti omnes recedentes ab Eutichete, unicam tantum naturam in Christo admittente, à Neostorio duplicem personam affirmante, & Apollinare animam Christi sine mente & intellectu asserente, dixerunt, duplicem esse naturam, unicam personam, animamque cum intellectu humano fuisse assumptam, nequaquam tamen fuisse duplicem voluntatem, quarum una foret humana & alia divina.Porro quid voluntatem humanam negantes, negare voluerint, non facili adeo negocio percipi potest; Fuit siquidem aliquorum sensus, proprie non negasse facultatem appetitus rationalis, sed solummodo operationem ab hac facultate progredientem, atque ideo unicam in Christo fuisse operationem, quam appellabant Theandricam, seu Dei virilem, ita ut omnis motus, sive internus, sive externus Christi, à sola divina voluntate penderet. Hoc præsertim P. Vasq. disp.73. cap.1. plurimis momentis, quæ hic à me prætermittuntur, contendit ostendere.

3. Contrarium vero omnino docuerunt alii, ita ut Monothelitæ non solum actionem voluntatis, sed etiam ipsam voluntatem, seu facultatem, qua volumus,aut possumus velle, prorsus à Christi ademerint persona; quod certe negare non possumus, nisi dicamus S. Th., quod absit, in hac re fuisse deceptum, cum in hujus articuli probatione contra eosdem sic dicat. *Manifestum est, quod filius Dei assumpsit naturam perfectam* (& hoc fatentur hæretici, de quibus sermo) *ad perfectionem autem humanæ naturæ pertinet voluntas, quæ est naturalis ejus potentia, sicut intellectus*. Quo dicendi modo ita illos compellere nitebatur, ut sicut intellectum, idest intelligendi facultatem, & intellectionem, Christo concedebant, ita etiam non solum facultatem volitivam, sed etiam ipsum facultatis exercitium,dicamus volitionem, ipsi non negarent; alioquin Doctoris Angelici argumentum nihil contra ipsos probaret.

4. Sed hanc revera fuisse Monothelitarum mentem altioribus principiis, idest ex Patrum antiquiorum dictis, demonstrare non prohibemur. Præcipui sunt Sanctus Maximus Martyr, & Sanctus Joann. Damascenus, qui strenue, sapienterque contra hæresim illorum

scri-

scripserunt. Primus autem in lib. de duabus voluntatibus hæc habet apud Euthymium in Panoplia. *Quænam est natura operationis expers, aut extra naturalem operationem? Ut enim nullo modo caret existentia, ita neque naturali facultate; quasi caret, etiam existentia carebit; Quod enim facultatem nullam habet, tanquam penitus imbecillum, solum est nihil; Si quidem omne quod est, differentiam habet, per quod constituitur, insitam videlicet motionem, quæ cum genere assumpta subjecti definitionem efficit, cujus beneficio tum esse ipsum, tum quid sit proprie cognoscitur, cum iis, quæ sunt ejusdem speciei, nulla re discrepantem similitudinem obtinens, & differentiam rursus ab iis, quæ speciei sunt alterius.* In hoc testimonio sermo est de facultate seu potentia, non de actionibus, cum enim istæ transeuntes sint, nec constituere possunt, nec distinguere nisi demonstratione habita à posteriori. Secundus vero lib. 3. cap. 14. differens de naturalibus voluntatibus, & operationibus, sic loquitur. *Naturales, non hypostaticas dicimus voluntates, & operationes, dico autem volendi & operandi facultatem, secundum quam volunt, & operantur quæcumque volunt, & operantur.* Cum igitur laudati Patres contra Monothelitas rem haberent, ex iis plane evincitur, Monothelitas non solum actionem duplicem, sed etiam duplicem voluntatem Christo denegasse. Totum autem hoc melius expressiusque ex sexta synodo demonstratur, cum enim actione 8. Macharius Antiochenus interrogatus fuerit, *An duas consiteretur naturales facultates, & duas operationes naturales in Incarnatione Christi Domini*, respondit, *se neque duas naturales voluntates, neque duas naturales operationes agnoscere*, Verum de hac re fusius agant qui velint, nobis satis erit, Monothelitarum dogma, sive negaverint voluntates & operationes, sive tantum operationes, profligare. Quamobrem.

5. Dicendum; In Christo domino fuisse duas voluntates, & duas operationes.

Hoc autem probaturus nihil de voluntate divina, quæ in Christo fuerit, dicam, cum hanc pleno ore asserverint Monothelitæ. Humanam autem in Christo voluntatem, & operationem extitisse, Scripturæ Sanctæ ubique testantur. Joan. 6. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Juxta id, quod prius dixerat Joan. 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Mat. 26. *Verumtamen non sicut ego volo sed sicut tu*; ergo erat distincta voluntas Christi à voluntate Patris, erat igitur in Christo voluntas humana, etenim voluntas divina omnino est in Patre & in Verbo, ut suppono ex tract. de Trinit. Præterea scripturas alias, in quibus Christi voluntati tribuitur, quod voluntati divinæ nullo pacto convenire potest; Hujusmodi est id, quod legitur Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum* & aliud ad Philip. 2. *Christus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

6. In hujusce catholicæ veritatis confirmationem afferrem sextam synodum act. 4. 8. 11. & in oratione ad Constantinum Imperatorem, ubi Patres inquiunt. *Perfectum igitur in divinitate, & eundem in humanitate perfectum secundum antiquas Patrum traditiones, & divinam Calcedone sancitam formulam prædicamus; atque uti naturas duas accepimus, ita & duas naturales voluntates, & duas naturales ipsius operationes agnoscimus, quippe neutram in Christo naturam in ejus incarnatione voluntatis expertem, aut operationis audebimus asserere, ne eorum proprietates perimentes, naturas una perimamus.* Verum Monothelitæ synodum hanc nimium sibi sentientes infensam prorsus reiiciunt ac convitiis persequuntur; audiant igitur Concilium Calcedonense, quod in Decreto fidei hæc habet. *Perfectum eundem in*

in humanitate Deum verum, & hominem verum ex rationali anima, & corpore consubstantialem Patri secundum divinitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis æqualem absque peccato; haudquaquam differentiam unione tollente, sed proprietatem potius utriusque naturę conservante. Quomodo autem Christus esset perfectus in humanitate, quomodo per omnia nobis æqualis, quomodo proprietates utriusque naturæ conservarentur, nisi animæ Christi propria daretur voluntas & operatio omnino distincta à voluntate & operatione divina? Ex dicto autem Concilii testimonio sic argumentor. Quia Christus est perfectus in divinitate & consubstantialis Patri, perfecta pollet voluntate ac operatione divina, ergo quia Christus est perfectus in humanitate, & consubstantialis nobis, perfecta pollet voluntate ac humana operatione. Idem antea statutum fuit in Nicæno 1. & Ephes. 1. in symbolo & decreto fidei confitentibus, Christum esse verum hominem ex corpore & anima rationali unica cum Verbo divino personalitate subsistentem, qui pro nobis voluntarie passus, & crucifixus est, quæ, nisi adessent humana, voluntas & operatio, vere dici non possent.

7. Nunc, ut res postulat, ad Patrum doctrinam deveniendum esse, quisquis intelligit. Porro ex istis non desunt, qui pro dogmate nostro scripserint, tam antequam Monothelitica hæresis ortum haberet, quam postquam initium & propagationem habuerit. Exordior autem à primis; & jam occurrerent Ignatius Martyr in epis. ad Trallianos, Justin. in dial. cum Tryph. Iren. lib. 3. cap. 32. Hippolit. Portuensis in exposit. ps. 2. aliique plures, quorum, cum dicta recenseat Petavius Theolog. dogm. de Incarn. lib. 8. nos libentissime tanquam minus probantia prætermus. Clarius pro duplici voluntate scripserunt Athan. tract. de adventu divini Verbi, Gregor. Nys. contra Apollin. Joan. Chrysost. & Cyril. Alexandr. inquit Athan. in illa verba Mat. 26. *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste: Duas hic voluntates ostendit, Unam videlicet humanam, quæ est carnis propria, alteram divinam*. Inquit Nys. in eundem locum. *Quoniam igitur alia est voluntas humana, alia divina, tanquam ex natura hominis hoc loquitur, quod naturæ humanæ consentaneum est*. Inquit Chrys. in illud Joan. 12. *Nunc anima mea turbata est. Christus humanam naturam mori nolentem ostendit, se extra humanas passiones non esse aperte declarans*. Inquit tandem Cyril. serm. contra Arian. *Calicis recusatio repugnantem in Christo humanam voluntatem indicat; cum autem sponte pati apparet, cum ad Patrem dicit: Non mea voluntas fiat, sed tua*.

8. Jam vero & aliquos Patres producamus, qui post præfatam hæresim floruerunt; Primi sint tres Pontifices Maximi, Leo, Agatho, & Martinus I. Primus in epis. ad Flavian. *Salva igitur*, inquit *proprietate utriusque naturæ, & in unam coeunte personam. Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est*. Secundus in epis. synodica loquens de synodis ac Patribus ait. *Quia etsi unum Christum, unamque ejus personam, ac subsistentiam, propter unitionem videlicet naturarum, quæ facta est secundum subsistentiam, docuerunt, differentiam tamen ipsarum, quæ in eo unitæ sunt, naturarum, post admirabilem, atque inseparabilem adunationem, usque ad intelligentiæ contemplationem nos cognoscere, ac prædicare tradiderunt; Si itaque proprietates naturarum in uno, eodemque domino nostro Jesu Christo propter differentiam conservantur, & differentiam quoque naturalium ejus voluntatum, & naturalium operationum plena fide nos congruit confiteri*. Tertius denique in epis. 3. hæc habet; *Quomodo igitur à se fabricatam, & propria incarnatio-*

natione assumptam à naturali voluntate, & operatione deminuit; non vere faciens substantiæ nostræ in se fidem, sed imaginarie, & fallaciter dispensationem secundum illos perpetrans, qui ob hoc unam divinitatis ejus, atque humanitatis voluntatem, & operationem esse dogmatizarunt? Ex aliis Patribus solius Sancti Maximi Martyris testimoniis integras paginas facere permitteremur, sed nos, non multis adhærentes, sed clarioribus, expressioribusque, tantum aliqua seligamus; Sic autem doctissimus Sanctus apud Euthym. in Panalop. tit. 8. ait. *Si una tantum in ipso voluntas, & una dicitur a nobis operatio, eundem vel non esse natura hominem, sed solum Deum; vel natura solum hominem, & non Deum; vel neque hominem, neque Deum, perspicue profitebimur &c.* & rursus. *Neque vero propter hypostaticam unitionem fit ulla naturalium proprietatum, operationumque decessio; cum certo sciamus, unitionem, quæ est secundum hypostasim, nihil eorum, quæ naturalia sunt, lædere; uti neque naturas ipsas, quamvis eas in unum colligat per sese secundum unam hypostasim.* Ex Damasceno lib. 3. cap. 15. hoc unum dicam. *Facit hoc quidem unitio, ut eadem sit hypostasis naturarum duarum, non tamen naturarum sublata differentia est. Porro salva manente differentia naturarum, salvæ erunt utique operationes earum, non enim est natura ulla operationis expers.* Plura alia subderem, sed cum fere idem probent prætereunda satius existimo.

9. Hinc merito concludam, Monothelitas unicam tantum voluntatem, aut operationem Christo tribuentes, duplicem in ipso naturam aut omnino stolide professos esse, aut tantum specie & adumbratione tenus asseruisse, ad quodquidem ostendendum omnium Patrum testimonia usque modo producta tendere compertum est. Atque ex iisdem rationes Theologicæ, quibus catholica veritas roboretur, satis aperte colliguntur; Huc pertinet illa, qua S. Th. q. 18. art. 1. utitur dicens, *Manifestum est, quod filius Dei assumpsit humanam naturam perfectam, ad perfectionem autem humanæ naturæ pertinet voluntas, quæ est naturalis ejus potentia, unde necesse est dicere, quod filius Dei humanam voluntatem assumpserit in humana natura &c.* Huc revocaretur alia, quæ sic proponi posset; Si in Christo unica tantum esset voluntas, vel esset simplex, vel composita, si primum, vel esset solius Dei, vel solius hominis, si solius Dei, Christus non fuisset, nisi Deus, si solius hominis, non fuisset nisi homo, si autem nec solius hominis nec solius Dei, Christus non fuisset nec Deus nec homo. Si secundum, hæc voluntas fuisset partim humana partim divina, sicut quia homo constituitur per animam & corpus est substantia partim corporea, partim spiritualis, hoc autem dato jam Christus non habuisset eandem voluntatem cum Patre, quod neque Monothelitæ affirmant. Huc tandem reducitur alia, qua ostenditur, nullum meritum futurum fuisse in Christo, si sola divina voluntate operabatur, hæc enim incapax est cujuscumque virtutis meritoriæ, ut sunt obedientia religio, misericordia, charitas &c. & ex alia parte actiones aliarum facultatum, nisi à voluntate humana dirigantur, nec sunt laude dignæ vel vituperio, proinde &c.

ARTICULUS II.

Refelluntur quædam Monothelitarum argumenta.

10. Primum argumenrum, quo errorem suum defendere nitebantur Monothelitæ, in eo positum erat, quo dicerent, ex multiplicatione voluntatum & operationum, plura etiam fieri supposita, seu volentia & operantia, qua de re cum Christus esset tantum unum suppositum, esto in ipso essent duæ naturæ, non propterea duę voluntates & operatio-

rationes. Ita Pirrhus in africana collatione contra Maximum..

11. Quantum in hujusmodi argumantatione erraverit Pirrhus, facile, breviterque scholasticis inhærendo demonstrarem, dicerem non suppositis formaliter tribuendas esse operationes, sed naturis; natura siquidem, ut ajunt philosophi, est principium motus, ac quietis, atque ideo ubi duplex natura, duplex operationis principium, juxta quod ait S. Damasc. lib. 3. de fide cap. 15. *Quorum natura diversa, illorum diversa actio*. Amplius etiam dicerem, si ex hoc Pirrhi argumento absurdissimam rem sequi palam facerem; Res autem ita est; nam si ipse ex operatione diversa velit deducere diversum suppositum, eadem ergo licentia ex supposito diverso deducam diversam operationem; atque hoc pacto, cum in divina natura sint diversa supposita, diversas habebuut divinæ personæ operationes, & sic mundi creatio, conservatio, & gubernatio ad omnes tres divinas personas non pertinebunt; & si ad actiones æternas me vellent pertrhaere, cum generatio conveniat Patri, non filio, & spiratio activa Patri, & Filio, non Spiritui Sancto, eodem argumento evincerem, Spiritum Sanctum non procedere per eandem actionem Patris, & Filii, quia sunt diversa supposita. Falsum igitur est, diversam actionem debere à diverso supposito progredi; & quamvis verum sit, naturam perfectam non operari, nisi subsistentia affecta sit, quo sensu dicitur, *actiones sunt suppositorum*, unde ex actione infertur subsistentia naturæ, attamen ex diversa actione non recte concluditur diversitas suppositorum. Hac in re optime loquitur, (sic jam ex Patrum doctrina argumento respondeo) Theodorus Abucara opusc. 4. tom. 11 Biblioth. Pat. *Illud*, inquit, *usu venit, ut non hypostasis diversas habeat operationes, & tamen in unitate sua permaneat. Ut, exempli causa, videmus Paulum posse videre, audire, loqui, ratiocinari; Atqui visio, auditio, locutio, ratiocinatio, diversæ sunt operationes, & una distat ab altera; Sed Paulus una est hypostasis has omnes habens operationes quatuor; verum oculo videt, non alio corporis membro; audit aure, non alia parte &c.* Quid vero responderit Maximus jam a nobis dictum est num. 8. Sed progrediamur ampliora dicturi, declarantes, Christi operationes humanas, divinasque ab uno eodemque supposito operante proficisci. In promptu sunt S. Leo Papa in epist. ad cognominem Imperatorem, S. Ambros. lib 2. de fide ad Gratian. S. August. tract. 78. in Joan. quorum loculenta testimonia profert Petavius Theologic. Dogmat de Incarnat. lib. 8. cap. 11. Duo nobis sufficiant; Unum Sophronii Jerosolimitani Patriarchæ in epist. Synodica ad Sergium, ubi sic; *Emmanuel unus existens, & simul utraque, Deus, & homo, quæ utriusque naturæ propria sunt, revera faciebat, secundum aliud, atque aliud quæ agebat operans; Nam quatenus Deus erat idem, divina, quatenus idem erat homo, humana moliebatur, seipsum omnibus ostendere volens eundem esse Deum, & hominem; Propterea unus, & idem divina facit, & humana &c.* Alterum Joan. Damasceni lib. 3. cap. 14. ubi sic, *Quoniam una est duarum naturarum ipsius hypostasis, unum eundemque dicimus esse volentem, & operantem naturaliter secundum ambas naturas, ex quibus & in quibus est Christus Deus noster*. Concludamus itaque cum Petro Damiano in opusc. 1. cap. 7. *Non ergo alius, sed unus idemque duas operationes exercuit, & utraque operata est forma, vel natura cum alterius communione quod proprium habuit*.

12. Forte reluctaris, quia actio Christi Dei virilis sit, atque appelletur? immo ex hoc te convinco; Si enim Dei virilem, seu Theandricam Christi dicis operationem, jam utramque voluntatem operatam esse fatearis necessum est; *est* enim *Dei virilis operatio divinæ simul operationis, & virilis complexio*, ut ar-

gumentatur Martinus II. in Concilio Lateranensi, & Maximus in disput. cum Pirrho subdit; *Immo vox illa quodam circuitu per enumeratas naturas operationes ipsarum commendat*. Et certe quid est, actiones Christi dici deificatas, nisi divinitatis habuisse consortium? at quod ex divinitatis consortio deificatur à natura sua & essentia non excidit, sicut ex quo intellectus per lumen gloriæ & voluntas per actualem gratiam ad videndum, Deumque diligendum attollatur, non desinit esse voluntas, & intellectus.

13 Alterum argumentum proponebant, quia humanitas Christi se habebat tanquam instrumentum, divinitas vero adinstar causæ principis; Porro *instrumentum, & id quod movet, natura comparatum est ad unam actionem efficiendam* sunt verba Apollinaris in 6. Synodo act.4. recitata.

Hoc jam sibi proposuit S. Th. q.18. art.1. & respondit diversum instrumenti genus distinguendo; aliud enim est inanime & artificiale, quod nullam ex se actionem habet, sed sola agentis agitur impressione, aliud vero animatum, vel anima tantum sentiente, vel rationali; Si de primo fiat sermo, transmitti potest superior argumentatio, transmitti inquam, etenim etiam securi, vel gladio concedi potest aliquid actionis sibi propriæ, nimirum, quod perfectius scindat, ac feriat. Si autem sermo sit de instrumento animato anima tantum sentiente, hoc movetur per appetitum sensitivum, sicut equs à sessore; instrumentum vero præditum anima rationali, movetur per propriam voluntatem, sicut per imperium Domini movetur servus ad aliquid agendum; In hoc tertio sensu humanitas Christi dici potest fuisse instrumentum divinitatis, quod quidem frequenti sermone Sancti Patres ostenderunt. *Dominum Salvatorem dedisse humanæ naturæ, quam in se habuit, tempus propria operandi*, inquit Agatho Papa in epis. ad Constantinum Pogonatum ex Gregor. Nysseno. *Corpus omnia, quæ sunt corporis propria, ad nutum & voluntatem perfecisse copulati sibi Verbi, cujus erat proprium. Non enim à se ipso in naturales passiones appetitus ferebatur, neque tristitia refugiebat, aut detractabat, aut vero extrinsecus appulsus patiebatur, sed movebatur secundum naturalem propensionem, volente verbo, & concedente pati, aut agere quæ sibi erant propria, & consentanea* ait Damascen. lib.3. cap.15. Verum de humanitate Christi, quæ divinitatis dicitur instrumentum, erit alibi sermo.

14. Tertium momentum desumebant ex aliquibus Sanctorum PP. testimoniis, ut constat ex actione 12. sextæ Synodi. Cyril. Alexandr. asserit, *Christum unam cognatam operationem per ambas naturas ostendisse*; Nyssen. contra Eunom. inquit, *ita divinitatem per corpus, quod induit, communem omnium revera salutem operari, ut propria carnis perpessio, Dei vero sit operatio*. Athanas. lib.2. de adventu Salvatoris contra Apollinar. ait. *Exhibita carne sine carnalibus desideriis, & cogitationibus humanis, siquidem divinitatis solius voluntas fuit, quoniam, & tota natura Verbi in exhibitione carnis humanæ visibilis Adami secundi, non in divisione personæ, sed in extantia divinitatis, & humanitatis*. Ex quibus unica voluntas & operatio Christi videtur esse concedenda.

15. At nihil ex istis contra catholicam veritatem probari procul dubio tenendum est, & jam quid senserint Patres à nobis fuit satis expositum; Quod magis mirum videtur, nobis opponi Sanctum Cyrillum, qui inter cæteros duplicis voluntatis atque operationis in Christo fuit semper acerrimus propugnator; Mens tamen præclarissimi Doctoris in eo posita est, quod vel ibi loquitur de operibus extraordinariis, & miraculo adscribendis, ut erat mortuos ad vitam revocare, in quibus certe humanitas se habebat dumtaxat tanquam instrumentum, & tota virtus à divinitate pro-

proficiſcebatur, ut reſpondet Maximus in diſputatione cum Pirrho toties laudata, vel certe, quod magis opinor, ut idem Maximus ait in epiſt. ad Nicandrum, ibi ſumitur cognata operatio propter arctiſſimam duarum naturarum unionem in uno divino ſuppoſito, atque hæc eſt explicatio S. Martini Papæ apud Euthym. in Panop. In teſtimonio Nyſſeni nihil eſt arbitratu meo, quod explicemus, vere enim caro paſſa eſt, non eſt paſſa divinitas, nec de Deo poſſunt paſſiones affirmari niſi per idiomatum communicationem, de qua ſuo loco. Sed ſi vis ſtrictim reſpondeam, advertas, naturam hominis ita agere, ut ſimul patiatur non enim agit niſi ab alio mota; in quo ſenſu dixit Philo in lib. de Cherubinis. *Proprium Dei eſſe facere, quod nefas ſit alicui rei factæ tribuere. Proprium vero creaturæ pati*. Quare ſi neges operationem humanam Chriſto, quia propria fuit carnis perpeſſio, nega ſimiliter cujuſcumque alterius voluntatis, quia cum hæc creata ſit, proprium illius eſt pati. Ex Athanaſio duo colliguntur. Unum eſt; animam Chriſti & voluntatem caruiſſe paſſionibus rationi repugnantibus, atque ex Adæ peccato, quod nequaquam contraxerat, progredientibus; Alterum eſt, actionem fuiſſe unam ex parte ſuppoſiti, duplicem tamen ex parte naturarum, ut aperte colligitur ex verbis poſtremis, non in diviſione perſonæ, ſed in extantia divinitatis, & humanitatis.

16. Hic non recenſeo libellum quemdam Mennæ Conſtantinopolitani ad Vigilium Papam de una Chriſti voluntate, neque duos ipſius Vigilii, unum ad Juſtinianum Imperatorem, alterum ad Theodoram ejus conjugem, unicam operationem aſſerentes, etenim iſti omnino commentitii ac ficti ſunt, & plura mala fide decerpta, quædam aucta, quædam detruncata, ut deprehendit Synodus ſexta act. 5. & 8. & communibus omnium ſuffragiis damnata.

17. Ratione tandem ſic poſſent reponere; Eſſe poſſunt duæ naturæ integræ, & una propria voluntate & operatione carere, ergo quamvis in Chriſto admittantur duæ naturæ, attamen non eſt admittenda duplex voluntas, aut operatio; Prob. ant. eſſe poſſunt duæ naturæ, & una propria ſubſiſtentia carere, ut evenit in Chriſto, ergo etiam eſſe poſſunt duæ naturæ integræ, & una carere propria voluntate, & operatione; ſi enim voluntas perficit naturam, tamquam ejuſdem naturæ facultas, etiam ſubſiſtentia complet naturam tamquam ejus terminus ſubſtantialis.

Sed contra, quam falſum ſit antecedens ex Patrum ſententia declaratum ſuperius fuit; paritas autem non tenet; Primo quia in ſententia mea, quam juxta Doctorem ſubtilem in philoſophicis diſputationibus ſuſtineo, ſubſiſtentia in ſolo negativo conſiſtit, nec ullo pacto in linea ſubſtantiali complet naturam; Secundo quia, etiamſi in poſitivo ſita eſſet, adhuc eſt complementum ſeparabile à natura, nec naturæ intimum ac eſſentiale, quod quidem etiam Monothelitæ fateantur, neceſſum eſt, cum & ipſi duplicem naturam in unitate perſonæ non negent; e contra voluntas eſt facultas naturæ ipſi intima & identica ſaltem re, & in plurium ſententia etiam formaliſſime. Proinde &c.

Quod de Honorio Papa dici poſſet, habetur in noſtro primo opere Theologico.

ARTICULUS III.

An voluntas humana Chriſti fuerit omnino conformis voluntati divinę.

18. OMiſſi in antecedenti argumentum quodam, cui non mediocriter fidebant Monothelitæ; idest, ſi in Chriſto fuiſſet voluntas humana à divina diſtincta, una debuiſſet eſſe alteri contraria, ut rem hanc poſſem ampliori calamo perpendere, ac reſolutam exhibere.

Juvat autem hic plura exponere, quæ

quæ varii, & certe celebriores Doctores, in proposita difficultate senserunt. Supponunt autem omnes, hanc oriri ex eo quod legimus in Evangelio, Christi animam tristem fuisse pro morte sibi imminente, quare dixit, *tristis est anima mea usque ad mortem*, & Patrem oravit illis verbis Mat. 26. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*. In qua oratione, etsi notum sibi esset, Patrem æternum efficaciter suam mortem decrevisse, attamen mortem sibi displicere, atque eam libenter declinare, ostendebat.

19. Facillime omnia, quæ ad institutum pertinent, conciliarentur, si Hilarii, ac Hieronymi sententiam amplecteremur; arbitratus est Hilarius cap. 31. in Mat. Christum tristem fuisse non pro morte à se subeunda, sed usque ad mortem, quæ sunt verba Evangelistæ, propter scandalum, quod discipulos passuros esse, prævidebat, atque ideo etiam pro ipsis Patrem orasse, ne ipsi deficerent, nec mirum si ita docuerit, cum lib. 10. de Trinit. dixerit, *Virtus corporis sine sensu pęnę, vim pęnę in se sævientis excepit*. Quam auctoritatem nos alibi attulimus, & ipsum benigne interpretati sumus, quamvis plures alii, ut Claudius Mamertus Episcopus Viennæ in Galliis lib. de statu animæ cap. 10. Maldonatus in cap. 26. Mat. Bellarm. tom. 1. lib. 4. de Christi anima cap. 8. ad 7. Hilarium errasse dicere non trepidarunt; immo S. Bonavent. in 3. dis. 16. art. 1. q. 1. ad 1. asserit, à Guilelmo Parisiensi sibi dictum, vidisse, & legisse librum, in quo Hilarius hunc errorem retractavit; quod & affirmat Ric. in 3. dis. 25. in fine quæstionis, tum S. Th. in 3. sent. ad Anibal. dis. 15.

20. In eundem Hilarii sensum descendit etiam S. Hieronym. in eadem verba Mat. ubi asserit, tristitiam Christi non à sua morte ortum duxisse, sed à discipulorum scandalo, & à destructione Jerusalem, & perditione Judæorum, ideo Patrem oravit, ut, si fieri posset, calix transiret, idest, ne Judæi mortis suæ essent authores; Unde ibidem air. *Erubescant qui putant, Salvatorem timuisse mortem, & passionis pavore dixisse, Pater si fieri potest &c.* Quare, si horum Patrum doctrina tanquam vera acceptanda foret, & voluntas Christi fuisset mortem, quæ ipsi præcepta fuerat, declinandi, nulla in Christo fuisset voluntas humana divinæ contraria.

21. Verum cum hujusmodi doctrina communi aliorum Patrum suffragio reijciatur, quorum hic aliqua testimonia subijciemus; Gregor. Nyss. in lib. contra Appollin. inquit loquens de Christi passione. *Hujusmodi autem sermonis hæsitationi una erit consolatio veræ Mysterii confessio, quoniam formidare quidem in passione humanæ fragilitatis est, juxta quod ait Dominus, spiritum promptum esse carnem autem infirmam; quoniam igitur altera humana voluntas, & divina altera est, loquitur quidem ut homo, quod infirmitati carnis congruit*, Cyril. lib. 4. in Joan. cap. 1. ante medium sic scribit. *Ea ratione, qua Verbum Dei Deus est, & ipsa naturaliter vita, nemo ambiget, quod nullo modo mortem formidavit: caro autem factus permittit carni, ut sua patiatur, & ideo ut vere homo præsentem jam in januis mortem timescit, ac dicit Patri, Pater si possibile est &c.* Tandem Damasc. lib. 3. de fide cap. 18. loquens de humana Christi voluntate, sic effatur. *Permittente divina voluntate naturaliter ea, quæ ipsi propria erant, patiebatur; etenim cum mortem aversaretur, ac detrectaret eam, divina ipsius voluntate ita ferente, ac sinente naturaliter, ac in mortis pavore ac trepidatione versabatur.* Ideo Theologi omnes alias vias excogitarunt, quibus humanam Christi voluntatem divinæ conformem semper fuisse explicent ac declarent.

22. Quidam arbitrati sunt, has duas voluntates non fuisse in Christo contrarias, quia voluntas humana Christi, qua mori refugiebat, erat tantum conditionata,

nata, dixit enim *Si possibile est &c.* idest, si divina voluntas, & divinum præceptum aliter non postulat, voluntas autem alicujus rei sub conditione non opponitur voluntati absolutæ Dei, ejusque præcepto. Hoc docuerunt Durandus in 2. dis. 15. q. 2. Gabr. in 3. dis. 17. q. unica art. 2. immo & S. Th. q. 21. art. 4. quod plures Recentiores amplectuntur.

23. Existimarunt alii, etiamsi voluntas humana Christi absolute voluisset non mori, adhuc non fuisse divinæ voluntati contrariam, quia ipsa voluntas Dei voluerit, humanam Christi voluntatem ita velle, atque ideo in hoc non tantum se opposuisse, sed majorem servasse conformitatem; atque hoc Deum ita voluisse colligitur ex Damasc. lib. 3. de fide cap. 18. juxta quem difficultatem resolvunt S. Bonavent. in 3. dis. 17. art. 1. q. 3. Ricard. art. 1. q. 3. Gabriel q. unica art. 2. Marsil. in 3. q. 11. art. 3. aliique.

24. Alii distinguentes voluntatem, prout facultas naturalis est, & prout est facultas libera, dixerunt, Christum mortem noluisse loquendo de voluntate in primo sensu usurpata, non ita in secundo, atque ideo in hoc rationalem ejus voluntatem fuisse omnino divinæ voluntati conformem. Hæc fuit mens plurium Theologorum, sed præsertim S. Th. hic q. 18. art. 5. cujus verba expressissima in corpore quisque pro libito legere poterit.

25. Nec defuerunt alii, qui dicerent, nec voluntate absoluta, nec conditionata Christum unquam fuisse divinæ voluntati contrarium, nam quamvis Christus voluerit non mori, voluit tantum sub motivo vitandi gravissimos dolores, atque publicam ignominiam, Deus vero mortem ejus decrevit, quia humani generis futura erat redemptio; atque ideo voluntates istæ non sunt censendæ contrariæ, cum ex diversis essent motivis.

26. Scotistæ tandem cum suo Doctore in 3. dis. 15. q. unica duplicem voluntatem distinguunt, efficacem unam, inefficacem aliam, quæ potius velleitas, quam voluntarietas dici debet; illam dicunt fuisse divinæ semper conformem, hanc minime. Quod vero hujusmodi voluntates in Christo fuerint, facillime potest demonstrari; Si enim de actu efficaci voluntatis loquamur, clarum est testimonium illud Isaiæ 53. *Oblatus est; quia ipse voluit* de quo ait Apost. ad Hebr. 10 *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.* Si vero de actu voluntatis inefficaci sit sermo, satis constat ex illis verbis. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste* quibus addit sequentia, *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Utramque voluntatem alio in loco expressit Christus Dominus Joan. 12. dicens. *Nunc anima mea turbata est, & quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora, sed propterea veni in hanc horam, Pater, clarifica nomen tuum.* Dum enim dicit, anima mea turbata est, indicat affectum & voluntatem, qua ipsi mori displicebat, dum vero dicit, sed propterea veni in hanc horam, Pater, clarifica nomen tuum, significat ejus efficacem voluntatem qua mori volebat, ut genus humanum Patri reconciliando nomen Patris clarificaret, proinde voluntatem priorem fuisse inefficacem & conditionatam.

27. Hisce expositis, relinquendo alias opiniones in sui probabilitate, recte enim declarari ac defendi possunt, opinio Scotica satis apta, veritatique conformis censenda est; & in primis efficacem Christi voluntatem fuisse semper divinæ voluntati conformem ex eo repetendum est, quod si aliter fuisset, talis imperfectio humanæ Christi voluntati verteretur, qualis est adversari divinæ voluntati efficaci & absolutæ jam notæ ac manifestatæ, ut erat voluntas, qua pro generis humani redemptione Christi mortem exigebat; atque in Christo fuissent duo actus efficaces & absoluti oppositi de eodem objecto, quia efficaciter

ter & absolute voluisset, & noluisset mortem, quod dici non potest. Præterea. Si voluntas efficax Christi fuisset divinæ contraria, fuisset in Christo voluntas, quæ impleta non esset, at hoc quis asseret nisi prius asserat, Christum ignoranter & imprudentissime voluisse? quod est argumentum Scoti in reportatis 3. dis. 17. q. 2. Tandem in 6. syn. act. 4. Agatho in sui epistola scribit. *Prædicamus duas naturales voluntates non contrarias* quod saltem de voluntate efficaci affirmari debet. Sed quod dixit Christus Jo. 5. *Non potest filius facere à se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, rursus; *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me* & iterum. *Ego quæ placita sunt ei, facio semper*, satis superque nostram assertionem ostendunt.

28. Reponunt aliqui, Christum efficaciter noluisse mortem, at actum istum fuisse, antequam ipsi notum esset suæ mortis decretum, cujus rationem reddunt, quia licet per scientiam beatam hoc noverit Christus, non tamen per scientiam infusam, quæ dumtaxat actus Christi liberos dirigebat.

Hac responsione admissa sequitur, sub nulla consideratione Christi voluntatem fuisse divinæ contrariam, quia etiamsi voluisset efficaciter non mori, attamen non se opposuisset voluntati divinæ, nemo enim illi, quem ignorat opponitur, quia tamen sequeretur oppositum, si non formaliter, saltem in re ipsa, ideo dicimus, falsam esse doctrinam allatam, pr. quia actus Christi liberi poterant dirigi etiam per scientiam beatam, ut dicemus in sequenti quæst. secundo quia divina voluntas, quæ ipsius mortem decreverat, non fuit ipsi manifestata solum in horto, sed etiam in utero ipso suæ Conceptionis instanti, quo etiam præceptum divinum acceptavit; unde dicitur. *Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.*

29. Superest modo ad aliam partem deveniamus, quæ spectat ad Christi voluntatem conditionatam, atque inefficacem, in qua dicimus Christum à divina voluntate potuisse recedere, vel etiam recessisse; constat autem hoc ex textu toties laudato. *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Cum enim addiderit, *non sicut ego volo, sed sicut tu* aperte innuit fuisse prius aliquam voluntatem haud quaquam divinæ voluntati conformem. Nec me latet, quod superius dixi, in hisce voluntatibus nullam fuisse oppositionem, vel quia contraria sunt de eodem secundum idem; vel quia actus efficax, quo volumus, non opponitur actui inefficaci, qua nollemus; vel quia, divina voluntas utrumque actum Christo præscripsit; Primum probatur; quia Deus mortem Christi voluit, ac decrevit tanquam medium redemptionis humanæ, & justitiæ suæ satisfactionem, Christus autem illam nolebat, tanquam naturæ disconvenientem; diversa itaque fuit formalis ratio utriusque voluntatis, atque ideo nulla in voluntatibus contrarietas. Secundum ostenditur exemplo illius, qui proiicit merces in mare metu naufragii; vult enim projectionem illam ad conservandam vitam, inefficaciter autem non vult, quia est bonorum suorum destructiva; nec tamen una est alteri voluntati contraria. Tertium demonstratur; quia divina voluntas decrevit positive, Christum efficaciter velle mortem, ut in passione meritum reluceret; unde & dixit, se hanc desiderio desiderare, ut Luc. 22. se hisce verbis explicaverit. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor,* (intellige desiderio) *donec perficiatur.* decrevit vero positive etiam ipsum nolle inefficaciter mortem, ut inde acerbiores mortis sentiret dolores. Quanti valeant hujusmodi doctrinæ examinare nolo & statuere; nullum enim actum voluntatis humanæ Christi fuisse divinæ contrarium, libentissime concedam, cum hoc pacto magis perfecta ejusdem voluntas demonstretur.

30. Quod

30. Quod in dubium revocari non potest, est, actus istos inefficaces fuisse in Christi voluntate; sed difficultas esse potest, utrum fuerint in Christi voluntate, ut natura est, vel ut est ratio, sive inferior, sive superior; fuisse aliquando in Christi voluntate, ut natura est, tanquam certum existimatur, quamvis aliqui ita explicent, ut non fuerint actus vere eliciti, sed adinstar alicujus ponderis, quo voluntas fertur in id, quod suæ naturæ commodum, & bonum est; Aliqui vero arbitrantur, tunc istos actus appellari elicitos à voluntate, ut natura est, quando sunt omnino necessarii. Primum, quod aliqui immerito tribuunt Scoto in 3. dist.17. nullo fundamento affirmari potest, nemo enim vult, nisi per actum elicitum velit, sicut nemo vult, nisi velit per actum vitalem; secundum vero, quod adscribitur Marsilio in 3. dist.11. art.3. quamvis in nobis interdum contingat, attamen nec oportet rem ita esse neque in Christo admitti potest; ideo enim in nobis hoc evenit, quia motio appetitus sentientis prævenit considerationem rationis, & secum trahit voluntatem, antequam uti sua possit libertate, & in Christo domino nunquam appetitus perturbare, aut prævenire potuit rationem, adeoque in horum actuum exercitio nulla in ipso contradictionis necessitas esse potuit.

31. Melius igitur hoc dici judico, si asseramus, hosce actus fuisse in Christo & secundum rationem superiorem, & secundum inferiorem; ipsi enim actus, etiam ut erant à voluntate, ut natura, erant liberi, saltem, ut inquiut, specificative, erant ergo à voluntate, ut ratione, à qua solum libertas progreditur, & cum esse possent non solum circa objecta, quæ forent ad naturæ commodum instituta, sed etiam ad alias honestas & morales actiones, ut sunt actus eutropeliæ non est, cur in sensu à nobis dicto negemus.

Difficilior quæstio est, an in humana Christi voluntate fuerint actus timoris, & tristitiæ. Qua de re.

ARTICULUS IV.

An timor & tristitia fuerint in Christi voluntate.

32. IN voluntate humana duas esse rationes virtute distinctas, idest inferiorem, & superiorem omnibus notum, & ab omnibus concessum esse suppono. In Christo fuisse timorem, atque tristitiam jam superius ostendimus num.21. nec aliquis negare potest, nisi evangelicam neget historiam. In hac tamen re dubitant Theologi, utrum fuerint in parte tantum sensitiva, & inferiori, an vero etiam in superiori & rationali. Primum docuerunt Henric. quodl. 8. q.7. Alter. in 3. dist.15. art.8. Ricard. art.4. q.2. Durand. q.2. ad 1. aliique; Duplex hujus sententiæ fuit fundamentum; unum, quod promovet Cajetanus, nimirum, eam dici partem voluntatis superiorem & naturalem quæ res æternas versatur, atque de istis nullus fuit in Christo dolor, tristitia nulla, ergo neque hæc fuit in parte superiori & rationale. Alterum, quod est commune, tritum quidem, sed satis arduum, videlicet, cum anima Christi in parte superiori fuerit beata, quomodo tristis & dolens esse potuerit.

33. Opposita tamen sententia, quam tradidit Scot. in 3. dist.15. quæst. unica §. Quantum ad tertium, S. Bonaven. dist.16. art.2. q.2. aliique sublimioris notæ Theologi sequti sunt, asserit, timorem & tristitiam etiam in parte superiori voluntatis Christi fuisse; atque illam declarandam demonstrandamque suscipio, evertendo quidem prius quod ex Cajetano dicebatur tanquam prorsus falsum, & oppositum doctrinæ S. Augustini, cui veluti primo tribuitur divisio illa voluntatis in superiorem & inferiorem, docet autem præclarissimus Doctor rationem superiorem non solum circa res æter-

æternas & solum Deum versari, sed etiam circa res creatas, prout æternæ Dei regulæ subjectas, manifestum est hoc in quolibet bono vel malo consensu; qui certe est de re creata; & tamen ad rationem, seu partem superiorem spectare nullus ibit inficias. Ex hoc autem positivum colligo argumentum, Christus enim non solum tristatus est suæ mortis causa, verum etiam propter Judæorum ruinam, & hominum peccata, ut ostendimus ex Hilario & Hieronymo n.21. hæc autem aprehendere non pertinebat ad sensum sed ad partem rationis superiorem, in hoc igitur fuit etiam ipsius tristitia. Porro ut id afferamus, non deest aliud momentum habitum ex 6. synodo act.4. ubi Agatho Papa in sua epist. & Sophronius in sua act.11. probant contra Monothelitas ex illo Mat.26. *cæpit tristari, & mæstus esse*; *tristis est anima mea usque ad mortem* integram in Christo voluntatem humanam; si enim verum esset, tristitiam fuisse tantum in parte inferiori, potuissent Monothelitæ respondere, ex hac tristitia non probari volutatem Christi fuisse rationalem.

34. Videndum igitur superest, quo pacto eadem voluntatis portio fuerit simul tristis ac beata, quod est alterum argumentum. Ut beatitudinem, & tristitiam concilient, plura dicenda advenerunt Theologi, atque hic singula proferam, ut horum doctrina legentem non lateat. Inquit Melch. Can. lib.12. de locis Theolog. cap.14. in fine. Tempore passionis ex miraculo gaudium beatificum, quod derivaret ex visione Dei in partem Christi intellectualem, fuisse suspensum, ut ita magis pro nobis pati posset non solum in parte sensitiva, sed etiam rationali; quodquidem novum esse non debet; quemadmodum enim toto vitæ tempore caruit Christus beatitudine corporis, impediendo, ne gloria animæ corpori communicaretur, ita etiam tempore passionis carere debuit gaudio & delectatione, impediendo, ne in appetitum rationalem redundaret; atque hoc videtur innuere Paulus ad Hebr.12. dicens. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta* & Ambrosf. in 22. cap. Lucæ inquit; *sequestrata delectatione divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur.*

35. Hunc dicendi modum Henric. loco superius laudato dixit esse fidei contrarium, Suarez vero disp.38. sect.3. falsum ac temerarium appellat; Ego vero quascumque notas omittendo, illum admitti non posse demonstro; Pr. quia, si pro tempore passionis anima Christi, ut magis pateretur, beatitudinem perfectam non habuit, quæ ad superiorem partem transfunderetur, eadem ratione dici posset, caruisse etiam visione beata; cum non minus huic opponatur tristitia, quam delectationi, quæ visionem ipsam consequitur. Secundo & validius; si valet allata responsio, toto vitæ tempore debuit animæ Christi esse beatitudo suspensa; non magis enim in passione fuerunt Christo præsentia objecta tristitiæ, quam prius, semper enim novit hominum peccata, Judæ proditionem, hebræorum ruinam, fugam & scandalum discipulorum &c. Unde ipsi aptantur illa verba ps.37. *dolor meus in conspectu meo semper*. Quare vel dicat Canus, animam Christi fere semper beato gaudio fuisse destitutam, quod tamen nec potest, nec audet dicere; aut à se præsentem difficultatem non solvi. Hinc non tenet paritas in ipsius responsione adducta; alioquin sequeretur, quod sicut semper suspensa fuit corporis beatitudo, ita semper fuit suspensa beatitudo animæ, ratio autem est, quia beatitudo animæ primaria & essentialis est, illa autem corporis secundaria & accidentalis. Perperam etiam ad suum sensum detorquet Canus testimonium Apostoli, cum omnes interpretes uno ex sequentibus modis illud explicent, nimirum, vel ut sit sensus de gaudio corporis, quod ex humani generis redemptione Christus percepturus erat, atque ideo per propositum sibi gaudium denotari causam ina-

inadæquatam finalem suarum passionum, vel sermo sit de gaudio, quod sine tot ærumnis & pœnis potuisset suo corpori communicare, & tamen noluit, ut pro nobis pateretur, & in ipso delicta nostra perferret. Quod vero ait Ambrosius, sequestratam esse delectationem divinitatis æternæ, non intelligas desitionem seu suspensionem delectationis, quæ visionem beatam consequitur, sed solummodo delectationem illam non impediisse effectum tristitiæ quem naturaliter impedire debuisset, atque ideo impeditus est effectus delectationis, non ipsa delectatio; neque vero hoc solum actum est in Christi passione ac morte, sed pluries suæ vitæ tempore, sic in morte Lazari ex tristitia semetipsum turbavit, & lacrymatus est, quod & super perditam Jerusalem fecit.

36. Alii ita se explicant, ut quamvis gaudium & tristitia inter se opponantur, attamen per divinam virtutem possint simul componi, sicut enim esse possunt duo corpora in eodem loco, ita in eodem subjecto non repugnant duæ qualitates contrariæ. Ita præsertim Paludan. in 3. dist. 15. q. 2. alii vero, mitius se agentes, distinguunt qualitates contrarias in gradu summo, & in gradu remisso, & dicunt ambas in pr. sensu in eodem subjecto esse non posse tamen unam esse in gradu summo, aliam in gradu remisso, atque ita in Christo evenisse, ut gaudium summum esset, tristitia vero remissa. Ita ex Scotistis Lichet. in 3. dist. 15. q. unica.

37. Utrum hæc dici possint, potius Philosophorum est, quam Theologorum statuere; interim quantum ad primum, etsi illud concedi possit, si sermo sit, de aliis qualitatibus phisicis, attamen, dum agimus de actibus vitalibus, si isti proprie contrarii sint, videtur impossibile, cum isti speciali quodam modo, utpote intrinsece progredientes à subjecto, subjectum afficiant, & insuper ex parte objectorum quandam immediatam inferant contradictionem; ut contingeret, si quis assensum & dissensum præberet eidem objecto, fieret enim idem objectum esse & non esse. Scio aliquos respondere cum San. Th. q. 16. de veritate art. 10. verum hoc esse, si ambo contraria insint per se subjecto, non ita, si unum per sese, aliud per accidens; sed, quidquid sit in aliis casibus, hoc in re nostra non satisfacit. Cum enim per ipsos in voluntate Christi gaudium per sese fuerit, quare tristitia fuit per accidens? fortasse quia tristitia ex passione corporis oriebatur? Sed cum Christus non solum propter sensibiles pœnas doleret, sed etiam pro illis, quæ tantummodo ad animam pertinent, ut dictum fuit, id falsum esse plane convincitur; sed neque generatim assumptum illud concedi potest; Siquidem aqua est per sese frigida, nec tamen simul esse potest calida, quamvis calor illi per accidens tantum conveniat.

38. Quantum vero attinet ad secundum admitto, si ambæ qualitates sint in gradu remisso, ut docui in tract. de ortu & interitu q. 2. de alteratione art. 4. at, quamvis hoc verum sit de qualitatibus corporeis, quæ successive fiunt, non tamen de qualitatibus animam afficientibus, quæ fiunt in instanti, præsertim vero in anima Christi; deinde, probandum superest, tristitiam Christi fuisse in gradu remisso, cum omnium Patrum, & Theologorum sententia ferat, plus Christum de hominum peccatis doluisse, ac tristatum esse, quam fuerit dolor & tristitia omnium hominum de quacumque re, quæ doloris ac tristitiæ objectum esse possit; remissam ne dices tristitiam illam, propter quam factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram? Si dicas non fuisse infinitam, recte dices quemadmodum infinita non est malitia & offensa, quæ est in peccato, at dicam neque fuisse infinitum gaudium ipsius, sicut nec fuit infinita visio, & infinitus amor.

39. Melius senserunt alii gaudium & tristitiam esse non posse in eodem sub-

jecto, si secundum eandem rationem sint ac formale motivum, non si e contra, tunc enim juxta diversas rationes formales aufertur omnino contrarietas, quod patet in assensu, & dissensu præstito eidem propositioni, odio, & amore eidem objecto; Hoc autem in gaudio & tristitia Christi contigisse videtur, gaudebat enim Christus de bonitate divina, suaque beatitudine, tristabatur vero propter hominum peccata, suamque mortem. Hoc magis dicendum est, si perpendamus, Christum fuisse comprehensorem & viatorem, juxta primum statum conveniebant ei visio & amor beatificus una simul cum fruitione, juxta secundum dolor & tristitia, aliæque proprietates animæ mortali corpori conjunctæ; qua propter sicuti ex miraculo, atque divina dispensatione factum est, status uterque in Christo reperiretur, ita eadem ratione factum est, ut gaudium & tristitia in Christi anima reperirentur. Quod de cæteris beatis non valet; & hæc est doctrina Scoti in reportatis in 3. dist.13. q. unica in fine per quam existimo omnia reijci, quæ in contrarium dici possent.

40. Hæc de tristitia dicta sunt; sed de Christi timore, quem in ipso fuisse ostendimus supra num.21. videtur alia specialis difficultas orta tum ex auctoritate Aristot. definientis timorem 2. Rethor. cap.3. *esse fugam mali cum spe evadendi*. Tum ex testimonio Augustini explicantis illud ps.21. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies* ubi adducens Paulum, qui cupiebat dissolvi, & esse cum Christo, addit. *Non est fortior miles, quam Imperator, Ille optat mortem ut sit cum Christo, & ipse Christus timet mortem?* quasi diceret, minime.

41. Neutrum tamen ex istis movere nos debet; Quantum enim pertinet ad dictum Arist. advertendum est, duplicem timorem esse, efficacem unum, qui timentem movet ad aliqua media eligenda, quibus malum imminens evitet, atque iste est, de quo laudato loco Philosophus loquitur, nec haberi potest sine spe evadendi, unde de ita timentibus cap.5. inquit, *opus est salutis subesse spem, pro qua luctantur, cujus signum, quod timor ad consulendum inducit, nemo enim de re consulit, de qua non est spes.* Alium inefficacem, qui positus est in simplici displicentia mali certissime futuri, sicut timet ille, qui judicis sentententia torquendus est, & ille, qui ad sanitatem servandam calicem amarum sumit; Quare si loquamur de timore generatim sumpto, illam Aristotelicam definitionem respuimus. Aliam etiam timoris divisionem invenimus apud Ricard. in 3. dist.15. art.3. q.3. ad 4. Vel enim, inquit, eventus futurus non pendat à voluntate ejus qui timet, & in hoc sensu ad timorem necessaria est eventus incertitudo, vel pendet à voluntate illius, qui passurus est, & ita incertitudo non requiritur, ut patet in eo, qui, ut sanetur, alicujus membri scissionem eligit, pro qua evadenda nullam spem habet, & tamen, quandiu de illa futura cogitat, eam timet; Hujus autem generis fuit timor Christi, qui oblatus est, quia ipse voluit. Quantum vero spectat ad testimonium Augustini, nequaquam egregius Doctor timorem negavit in Christo, sed solum judicavit, non ita mortem timuisse, ut eam evitare voluerit, sicut neque in Paulo timorem naturalem mortis negavit, sed solum innuit, ex alia ratione, nimirum, ut cum Christo esset, exoptasse. Quod etsi, vel Paulus, vel alii fortissimi Martyres nullo mortis timore fuissent perculsi, adhuc timor iste non esset à Christo excludendus, immo propter hoc concedi deberet, ut enim optime ait Cyril. lib. 10. cap.3. *Omnia ille perpessus fuit, ut nos ab omnibus liberaret: Sicut igitur nisi mortuus esset, mors non extingueretur, sic nisi timuisset, non essemus nos à timore liberati.* Timor igitur Christi, veluti Imperatoris, aliorum timorem, velut militum abstulit; Cæterum Augustinus expressis verbis Christi timorem asseruit,

ruit, nam in illa verba ps.93 *Quousque justitia convertatur in judicium* inquit; *Si negemus in Christo verum timorem, cum scriptura dicat, ipsum timuisse, nihil aliud relinquitur in scriptura certum, nihil firmum. Si enim dicimus; Christus dormivit, Christus esurivit, quia scriptura pronuntiavit, quo pacto negabimus, ipsum timuisse, cum scriptura id dicat?*

42. Juxta divisionem timoris positam à Ricardo constat, timorem hunc Christi fortitudini non fuisse contrarium, timor enim mali, quod quis patitur invitus, opponitur fortitudini, non si e contrario.

ARTICULUS V.

Quomodo in Christo fuerint admiratio, & ira.

43. Plura argumenta sunt, quibus, admirationis affectum à Christo reiiciendum esse, probari posse videtur, atque aliqua sibi proponit S. Th. q. 15. art. 8. Primum desumitur ex eo quod ait Arist. 1. Metaph. cap.2. *admiratio causatur ex hoc, quod aliquis videt effectum, & ignorat causam*. Sicut igitur in Christo nulla fuit ignorantia, ita nullus affectus admirationis, seu admiratio. Secundum colligitur ex Damasc. lib.2. cap.25. dicente, *admiratio est timor ex magna imaginatione*; & ideo, ut inquit Philos. 4. Ethic. 3. *magnanimus non est admirativus* Christus autem magnanimus summopere fuit, non ergo admirativus. Tandem, quia nemo de eo admiratur, quod ipse facere potest, porro Chtistus, quidquid in rebus magni erat operari poterat, proinde &c.

44. Nihilo tamen minus Angelicus Doctor, quos sequuntur reliqui Theologi, distinguens, juxta à nobis dicta, triplicem scientiam, asserit non quidem secundum scientiam beatam, vel infusam fuisse in Christo admirationem, quia per istas omnia cognoscebat, proinde nihil novi, ac insoliti, sicut ad admirationem requiritur, contigere poterat, sed secundum scientiam experimentalem, juxta quam poterant ejus menti aliqua nova, ac insolita occurrere, revera fuisse admiratum, quod dicitur, ut servetur illud, quod dicitur Mat. 8. de fide Centurionis, *audiens Jesus miratus est*, quæ verba, sicut omnia alia, quæ in scriptura sunt, si commode possunt, sunt proprie intelligenda. *Assumpsit autem*, prosequitur S. Th. *hunc defectum*, vel, ut melius legeretur, *affectum ad nostram instructionem, ut, scilicet, doceat esse mirandum, quod etiam ipse mirabatur*; atque ad suæ sententiæ confirmationem affert August. lib. 1. super Genes. contra Manic. cap. 8. *Quod mirabatur Dominus, nobis mirandum esse significat: quibus adbuc opus est, sic moveri. Omnes ergo tales motus ejus non perturbati animi signa sunt, sed docentis Magistri*.

45. Hisce expositis facile solvit, quę reponebantur. Primum enim refellit, dicendo, id verum esse, si considerentur scientia beata, & indita, non si experimentalis & acquisita. Secundum; admiratum esse Christum, non quia fides Centurionis magna apud Christum esset, sed quia magna apud alios. Tertium; ipum omnia potuisse facere per virtutem divinam, secundum quam, ex dictis, admiratio non fuit, non ita secundum humanam scientiam experimentalem. Hæc ex ipso.

46. Certe, si hucusque dictis plura non adderentur, parum firma subsisteret assertio; Hac de re plures species, seu admirationis modos Sancti Thomæ exposuerunt interpretes. Aliquando siquidem admiratio oritur ex ignorantia causæ etiam viso effectu, unde progreditur causam sciendi desiderium; Hanc in Christo non fuisse docent, quia effectu viso etiam per experimentalem scientiam ejus causam cognoscebat, præsertim in re nostra de fide Centurionis, cum effectus esset à causa, quæ sensuum experimento non subdebatur. Aliquando ori-

oritur admiratio ex cognitione rei magnæ ac singularis, quamvis antea cognita sit, vel absolute & in se, vel respective, ut, cum admiramur scientiam pueri, quæ licet in se magna non sit, attamen magna & insolita est, si illam ætatem inspiciamus; Porro admiratio ex hac cognitione proficiscens non est ejusdem speciei, sed objectis fit consentanea, etenim si res, quę tanquam magna existimatur, bona sit, parit in appetitu quamdam complacentiam, & desiderium illam laudandi, & in hoc sensu loquitur Arist. dum dicit magnanimum non esse admirativum, idest difficilem in laudando, quia difficulter rem judicat magnam esse; Si vero res, quæ magna existimatur, mala sit, & vitari facile non possit, tunc parit in appetitu timorem, vel stuporem, ut loquuntur Damasc. & Nyssen. Omnes autem istos admirationis modos in Christo esse potuisse concedunt.

47. Si tamen rem licet intimius perpendere, in horum opinionem libenti animo non deducar; atque in primis circa S. Thomæ responsiones fateor, calamum meum omnino suspendere, sed quid ex illis, atque in sua probatione dictis eruatur; ex infra dicendis constabit, atque interim potius dicendum videtur, in Christo fuisse quidem admirationis effectum, non autem affectum. Atque hoc primo ostendo ex ipso testimonio S. Augustini, quod S.Th. assertionem suam confirmaturus adduxit. Præmittendum autem est, Sanctum Augustinum disputantem contra Manichæos negantes veteris testamenti veritatem, ex quo aliquid Deo tribuat, quod Deum dedecere videtur, ex: causa, quod postquam lucem creaverit, viderit Deus illam esse bonam juxta illud Gen. 1. *Vidit Deus lucem, quod esset bona*; ex quo inferebant, quod Deus antea illam non viderit, contra ipsos lib. 1. Gen. cap. 8. afferre id, quod habetur Mat. 8. *Audiens Jesus miratus est* (Ipsi namque testamentum novum admittebant) Deinde Sanctus Doctor addit. *Quomodo enim admirari potuit Christus fidem illorum, quam ipse in illis operabatur? aut licet alius eam operaretur, quomodo miraretur, qui illius fidei antea præscius erat?* Statim subjungit; *Si solvunt Manichæi quæstionem istam, & illa solvi potest.* Sic tandem concludit. *Quod enim mirabatur Dominus noster, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opus est sic moveri, omnes ergo tales motus ejus non perturbati animi signa sunt, sed docentis Magistri; Sic sunt & verba veteris testamenti, quæ non Deum infirmum docent, sed nostræ infirmitati blandiuntur, nihil enim de Deo digne dici potest; nobis tamen, ut nutriatur fides, & ad ea perveniamus, quæ nullo humano sermone dici possunt, ea dicuntur, quæ capere possumus.* Perpende, ita explicari verba illa, *vidit Deus lucem &c.* sicut ista, *Jesus miratus est*. Atque utraque eodem modo ad nostram instructionem dicta esse, sicut igitur illa ita dicta sunt, ut non debeant intelligi, tanquam si Deus tunc primo viderit bonitatem lucis, sed tantum ut nobis ejusdem bonitatis argumenta præberet, sic & ista ita dicta sunt, ut nullum internum motum admirationis habuerit Christus, sed tantum nos docuerit, nobisque significaret, fidem Centurionis, qui Gentilis erat, fuisse dignam admiratione tanquam veram, novam, & insolitam.

48. Prosequitur Augustinus, & lib. 1. contra adversarium Legis & Prophetarum, qui ex Manichæis erat, dicit, multo magis Manichæos reprobare posse Evangelium, quam legem & Prophetas, quia in Evangelio legimus, Christum miratum esse; & sic illum urget. *Potest enim quisque etiam insolita videre, quia bona sunt, hoc est sibi placita comprobare, quisquis autem miratur secundum consuetudinem, qua homines loquuntur, inopinatum atque improvisum sibi esse significat, quod miratur, sed Jesus, qui omnia præsciebat, quod mirandum aliis commendabat, mirando laudat.* Vidit igitur lucem Deus, quod esset bona, non quia

quia eam tunc viderit, ſed ſolum quia bonitatem ejus tanquam ſibi placitam comprobavit, & ſimiliter Chriſtus Centurionis fidem admiratus eſt, non quia proprie interne admiratus fuerit, ſed quia admirationis ſignis illam laudavit, & aliis mirandam commendavit.

49. Neque vero ex quo tribuamus Chriſto ſcientiam acquiſitam, atque experimentalem, poſſumus ipſi etiam tribuere internam admirationem, etenim ſiſtendo in Sancti Thomæ doctrina, admiratio, ut ipſe ait 1. 2. q. 32. art. 8. non eſt actio intellectus, ſed affectus voluntatis, ideſt deſiderium ſciendi cauſam occultam rei, oportuiſſet igitur, ut ſcientiæ acquiſitæ, atque experimentalis beneficio, potuiſſet cauſam fidei Centurionis, quam admirabatur, cognoſcere, quod tamen fieri non poterat, etenim cognitio Dei, prout eſt cauſa fidei, per experimentalem & acquiſitam ſcientiam comparari non poteſt, ſed ſolummodo vel per ſcientiam ſuperiorem, & hoc modo jam prius nota erat, vel per fidem, & hoc modo, in Chriſto negatur, ſicut negatur fides, ſequitur igitur &c.

50. Si tamen velis aliquam admirationis ſpeciem Chriſto tribuere, & ſic fortaſſe Sancti Thom. mentem explicare; duos alios modos admirationis diſtingue; Unum quidem, qui ex re inopinata, nec ſatis nota progrediatur, alterum vero, qui conſurgat ex ipſa re, quæ rara eſt, & minime communis, proinde digna laude; Primum Chriſto nega; Secundum concede, atque illud negabis & concedes, quod negavit & conceſſit S. Auguſtinus, qui poſtquam dixerit, *iſtæ ſunt cauſæ admirationis, cum vel ratio cujuſcumque rei latet, vel eadem res uſitata non eſt, quod aut ſingularis, aut rara eſt*; Subdit. *Ex alia vero admirationis cauſa, quæ ideo eſt, quia inſolitum aliquid occurrit, ſcriptum eſt de domino, quod miratus ſit Centurionis fidem, neque enim eum ullius rei ratio potuit latere, ſed admiratio pro laude poſita eſt ejus, cujus par in populo hebræorum non apparuerat.*

51. Dices, hoc poſteriori modo etiam Deo admirationem concedi poſſe, cum cognoſcat plures res raras, & inſuetas, quæ magni ab eo fiunt, & valde commendantur. Hoc tamen negamus, ut enim etiam hoc genus admirationis habeatur, res rara, & inſueta conſpiciatur, quæ excedat naturales vires inſpicientis, nihil autem excedit vires Dei; fides autem Centurionis excedebat vires naturales Chriſti, ideo &c.

52. Nunc breviter aliqua de ira exponenda ſuperſunt. De qua ſentit S. Th. hic art. 9. in Chriſto fuiſſe, juxta quod habetur in pſ. 68. *Zelus domus tuæ comedit me.* Ratio hujus eſt, quia ira in ſui formali ratione eſt ex Damaſc. 2. de fide cap. 16. & Nyſſeno lib. 4. Philoſoph. cap. 13. *appetitus vindictæ & recruciationis* ideſt oritur ex triſtitia & appetitu vindictæ; fuit autem, ut ſuperius in Chriſto affectus triſtitiæ, & ſimul vindictæ erga peccata, ergo fuit & ira. Quamobrem ira indifferens eſt, ut ſit cum appetitu vindictæ perturbando mentis rationem, & ut ſit, ſervata mentis ratione; Primo modo peccatum eſt, & imperfecta paſſio; Secundo modo laudabilis eſt; Unde pſ. 4. dicitur. *Iraſcimini, & nolite peccare*; qua ratione Baſilius in eadem verba inquit, per iram utilitatem iis afferri, contra quos eſt; Ira autem, quæ fuit in Chriſto, fuit in ſenſu poſtremo. Aptius autem hoc demonſtrari poteſt ex eo, quod narrant Evangeliſtæ, præſertim Joan. 2. ubi dicitur, Chriſtum feciſſe funiculum de flagellis, ut eiiceret vendentes & ementes in templo; ubi Cyrill. ait; *Nec verbis ſolum ſe moleſte tuliſſe oſtendit, verum etiam verberibus.* Fuit igitur iræ affectus in Chriſto, ſed ab omni imperfectione ſejunctus.

ARTICULUS VI.

Utrum voluntas Christi fuerit aliquo peccato infecta.

53. Paucis propositum dubium resolvendum est, nec alia ratione expositum nisi propter hæreticos aliquos, qui Christi voluntatem peccatum aliquod commisisse perperam, audacter, & diabolice dicere non trepidarunt. Hujusmodi fuerunt, ut referunt Lindanus dial. 2. Hosius, lib. 1. de hæresibus, & Patreolus in elencho hæresum, quidam Monachus Præmonstratensis Apostata, aliique, asserentes, Christum in desperationem incidisse, dum in cruce exclamavit; *Deus Deus meus ut quid dereliquisti me?* Calvinus etiam dixit, Christo fuisse peccatum inordinatę passionis, cum in horto petierit Patrem, ut si fieri posset ab eo calix transiret.

54. Veritas catholica omnino tenenda est, Christi voluntatem nunquam peccasse; hæc Sancta fuit à primo conceptionis instanti, *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei* Luc. 1. non enim opere viri conceptus fuit Christus, sed de Spiritu Sancto; *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est* ibidem, proinde non fuit filius Adæ. Si autem de peccato actu proprio contracto loquamur, innumera sunt scripturæ testimonia, quæ hoc à Christi voluntate excludunt. Joann. 8. *Quis ex verbis arguet me de peccato*. Ad Hebr. 4. dicitur *tentatus per omnia pro similitudine absque peccato*; cap. 7. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex Sanctus, innocens, segregatus à peccatoribus*. 1. Petri 2. *Qui peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus*. Hisce adde inter concilia Ephes. cap. 10. inquiens, *non eguit oblatione qui peccatum omnino nescivit*.

55. Plures etiam rationes afferri possent, desumptæ vel ex dignitate personæ, vel ex plenitudine gratiæ, vel ex statu beatitudinis, quam diximus à conceptionis initio in anima Christi fuisse; sed aliam sic propono. Christus nos redemit à peccato, ergo nullum habuit peccatum, prob. conse.; Si peccatum habuisset, eguisset ipse Redemptore, de quo rursus inquiri posset, utrum aliquando peccaverit, ergo si nos redemit à peccato &c. Præterea, si peccatum in eo fuisset, sibi ipsi fuisset contrarius suas leges violando, immo & naturæ, quod absit; *Quæretur igitur peccatum illius, & non invenietur*; concludat Propheta.

56. Dices ut supra ex ps. 20. *Deus Deus meus quare me dereliquisti? longe à salute mea verba delictorum meorum*; & ad Corint. 5. *pro nobis peccatum fecit*. Sed ibi Christus vocat peccata sua, quæ erant tantum peccata aliena, quia se exhibuit Patri, ut pro illis satisfaceret, tanquam si ipse ea perpetrasset, & dicere posset, *quæ non rapui tunc exsolvebam*; in quo sensu etiam peccatum fecit, nisi forte ly *peccatum* sumatur tanquam victima pro peccato, juxta illud Oseæ 4. *peccata populi mei comedet*.

57. Immo dicendum est, non solum Christum non peccasse, sed neque peccare potuisse, ut sustinent omnes Theologi etiam Scotistæ, quibus injuriam & calumniam inferunt aliqui vulgares scholastici. Suadent hoc potissimum Hilarius & Rupertus pluribus in locis asserentes, Christum omnino malitiæ incapacem, non solum peccasse noluisse, sed nec potuisse; expressius vero Augustinus, & Cyrill. Alexandrinus. Primus quidem lib. 2. de peccat. meritis, & remiss. cap. 13. inquit. *In cujus non tantum divinitate, sed nec in anima, nec in carne potuit esse peccatum*. Secundus vero lib. 6. in Joann. ait. *Prorsus fieri non potuit, ut in peccatum incideret, qui ex Deo prodiit Deus verus*.

58. Hujus veritatis rationes adducit Doctor Angelicus. Quia Verbum triplici ex capite naturam humanam assumpsit. Pr. ut pro nobis satisfaceret. 2. ut humanæ naturæ veritatem comprobaret;

baret; 3. ut nobis virtutum demonstraret exempla; peccabilitas autem in Christo ad nihil horum conferebat, immo multum obesse poterat, ergo.

ARTICULUS VII.

Cur Christi humanitas peccare non potuerit.

59. CHristi humanitatem peccare non potuisse, apud Catholicos nullum est dubium ex dictis. Quæstio tantum apud ipsos promovetur circa rationem, quam dicunt formalem, proximam, & immediatam hujusce impeccabilitatis, Doctor subtilis in 3. dist. 2. q. 1. & alibi, cum suis, & Nominalibus, docet, Christum nequaquam potuisse peccare propter gratiam, ac propter visionem beatam, ita ut, si per potentiam Dei absolutam hæc non fuisset in Christo; vere peccare potuisset. Utrum vero, si Christi humanitas peccasset, hypostatica unio fuisset soluta, ad rem nostram non facit. E contrario S. Thom. cum suis, ac fere omnibus recentioribus, sustinet, fuisse præsertim impeccabilem ex conceptu unionis hypostaticæ, ita ut, manente unione; etiam absque quocumque dono supernaturali, absolute non potuisset peccare. Alias sententias non memoro, cum parum distent à duabus adductis, & solum in aliquo modo varientur.

60. Mirum est, quot censuris sententia scotica olim fuerit lacessita, ita ut Capreolus dixerit, in eam non esse agendum argumentis, sed igne; Suarez, non sine temeritate posse defendi, Medina, à scholis esse prorsus reiiciendam. Verum magis improbum censeo, doctrinæ à multis, & tot gravibus Doctoribus propugnatæ tot notas imponere; neque hoc actum est ab aliis recentioribus magis oculatis, qui Thomisticam opinionem sequentes, aliam in sui probabilitate, ut asserunt, reliquerunt; & Mastrius dolet, Aretinum Scotistam clamoribus perterritum à Scoti semita in hac re discessisse. Quamobrem.

61. Concludo; Proximam, formalem, & immediatam rationem propterquam Christi humanitas peccare non potuit, non fuisse unionem hypostaticam, sed visionem beatam ac cætera dona supernaturalia. In hac sententia apertissime est Durandus in 3. dist. 12. q. 2. num. 8. dicens. *Huic opinioni magis obstare verba devota, quam rationem efficacem.*

Prob. autem sententia Scoti sic. Illa est proxima, formalis, & immediata ratio impeccabilitatis in Christo, quæ est proxima, & formalis sanctitas, tribuens proximam operandi facultatem, sed hæc est visio beata cum reliquis donis supernaturalibus, & inter cætera, est præventio divina, qua ab omni peccato præservabatur, & de qua loquitur Doctor Subtilis in 4. dist. 49. q. 6. non est unio hypostatica, ergo illa, non hæc est formalis &c. pr. mi. supposita visione beata in Christo cum reliquis donis determinatur moraliter Christi humanitas ad non peccandum, ut de facto constat in beatis, supposita vero sola unione hypostatica non determinatur moraliter ad non peccandum, etenim potuisset relinqui humanitas in suis naturalibus, & ideo sicut fuisset eadem in ratione actus primi, ita fuisset eadem in ratione actus secundi, seu in operando, ergo &c. Ratio autem horum est, quia unio hypostatica datur præcise ad subsistendum, non vero ad operandum; & profecto hoc dicere unusquisque debet, cum per omnes subsistentia sit conditio ad operandum, nequaquam operationis principium, nisi fortasse per Durandum, ut dicitur in tractatu de Deo Trino.

62. Magis assertum corroboro sic. Vel unio hypostatica confert Christo impeccabilitatem absolute, & secundum quamcumque potentiam, vel non; si hoc dicatur, intentum habeo; si primum, dicitur falsum, & probo; im-

peccabilitas absolute soli Deo, ut Deo convenire potest, vertibilitas enim in bonum & malum convenit intrinsecus cuicumque creaturæ rationali; ideo ait Hieronymus in tract. de filio prodigo. *Solus Deus est, in quem cadere non potest peccatum.* Ambrof. lib.3. de Spiritu Sancto cap.19. *Omnis creatura peccatorum capacitati obnoxia est, solum est à peccatis immunis sempiterna divinitas.* Tandem Aug. contra Maxim. lib.3. cap.3. *Cuicumque rationali creaturæ præstatur, ut peccare non possit, non est hoc naturæ proprium, sed gratiæ Dei.* Non igitur impeccabilitatem absolute præstare unionis est hypostaticæ; & hac ratione dicebat Apost. ad Hebr.7. *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, Innocens &c.* nota verbum illud *decebat.* Non dixit, *necesse erat* ad innuendum, congruum fuisse, Christi humanitatem divinitati conjunctam esse sanctam, & omnis peccati expertem, non tamen secundum unionis rationem, sed propter alia, quæ ipsam unionem consequebantur. Horum autem omnium ratio est, quia, quamvis humanitas sit divinitati conjuncta, non desinit esse creatura finita, in qua necesse est, reperiatur intrinseca peccandi facultas, quæ, nisi ab aliquo dono supernaturali impediatur, progredi potest in actum secundum, & ideo remanet cum proxima facultate peccandi. Validius tamen totum hoc, quod à nobis asseritur, colligetur ex argumentorum, quę plura sunt, solutione, & doctrina quæ ibi afferetur.

63. Opp.1. si humanitas terminata subsistentia Verbi divini potuisset peccata, peccatum tribui debuisset, ipsi Verbo divino, sed hoc est hæreticum, ergo. Prob. maj. Verbum divinum, terminans naturam humanam, habet debitum regendi & gubernandi naturam humanam, ergo si &c. consa. tenet, quia Verbum contra tale debitum faceret, pr. ant. Quando duo sunt inter se conjuncta ad instar superioris, & inferioris, debet quod superius est, regere inferius, sed Verbum divinum, terminans naturam humanam, est ipsi unitum adinstar superioris inferiori, ergo. major pr. exemplis; sic facultates inferiores diriguntur ab intellectu & voluntate, membra a capite, servus à Domino, filius à Patre, & horum defectus illis tribuuntur, ergo. Juxta hæc leguntur in 6. synodo gener. act.8. ista verba; *Quemadmodum corpus nostrum regitur ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima, ita in homine Christo tota humanitatis conspersio ab ejusdem Verbi divinitate.*

64. Resp. ne. maj. ad prob. ne. ant. ad prob. si quæ sunt conjuncta inter se, ambo sint creata, propositio est vera, quia, quantum fieri potest, debet per superius gubernari inferius, ita ut defectus istius illi tribuerentur, quia superius creatum non habet supra inferius dominium absolutum, sed dependens, & subjectum legi præcipienti, vitanda esse peccata tam in se, quam in aliis, tanquam causa particularis, quæ si permittit, cum vetare possit, peccat, juxta illud Senecæ, *Qui non vetat, cum potest, jubet.* Si vero superius conjunctum sit quid increatum, non habet hoc debitum regendi creaturam, quia propter sui supremum dominium, & perfectissimam libertatem nunquam fieri potest debitor creaturæ. Fateor quidem, congruentius regi debuisse humanitatem Christi, quam aliorum hominum, at per hoc non esset tale debitum in Verbo, ut ex tali unione humanitas absolute non potuisset peccare, & ratio ea est, quam superius attulimus; & sicuti, si Verbum divinum assumpsisset naturam ignis, adhuc ignis habuisset vim ad comburendum, sicut alii ignes, quia hæc est ipsi intrinseca, ita, si assumpsit naturam humanam, adhuc hæc erit in bonum, & malum vertibilis, sicut voluntas cæterorum hominum, quia vertibilitas ista est ipsi pariter intrinseca. Rexit itaque divinum Verbum humanitatem, quam terminavit, quia tam effi-

efficacibus auxiliis præmunivit, ut nunquam in peccatum aliquod rueret, nec proxime posset, quod etiam fit cum confirmatis in gratia, ex quo tamen non sequitur impeccabilitas, ut manifestum est; Ex hisce habetur, quomodo intelligendum sit Concilium.

65. Dices. Verbum divinum ita erat conjunctum humanitati, sicut causa principalis conjungitur instrumento, sed causa principalis ita conjungitur instrumento, ut defectus instrumenti tribuantur causæ principali, ergo etiam si. &c. Secundo. Respectu humanitatis assumptæ se habet Verbum divinum, non tanquam causa universalis, sed tanquam provisor & rector particularis, ergo peccatum humanitatis fuisset peccatum Verbi.

Sed contra dis. maj. quantum ad aliquas actiones Conc. quantum ad omnes ne. maj. trans. mi. ne. cons. Plures actiones in Christo sunt distinguendæ; aliæ, quæ ab ipso proveniebant, ut homine, v. g. edere, bibere &c. aliæ mixtæ, in quas influebat utraque natura, sed divina tanquam causa princeps, humana tamquam instrumentum, ut ægrotos curare per contactum; aliæ in quas utraque natura principaliter influebat, ut actiones morales, quarum natura humana erat formale, immediatum, atque intrinsecum principium, & hujusmodi operationum defectus nequaquam Deo tribui debuisset, neque de istis probat argumentum. Ad 2. si loquamur de provisore particulari & rectore non extrahente humanitatem a linea creaturæ, neque minuente libertatem, & dominium in Verbo; ad subsistendum, non ad operandum, totum concedimus, in sensu contrario, id negamus.

66. Op. 2. Si humanitas una simul cum unione hypostatica peccaret, vel peccare posset, Verbum divinum, saltem per communicationem idiomatam, posset dici peccans, sed hoc omnino alienum est, & dictu horrendum, ergo. Patet maj. nam valeret iste sylogismus expositorius. Hic homo est peccans, sed hic homo est Deus, ergo Deus est peccans. Confir. quod dicitur de Deo per communicationem idiomatam fit divinum, & dignum adoratione, sed peccatum nequit fieri divinum, neque dignum adoratione, ergo.

67. Resp. huic argumento Mars. in 3. q. 9. art. 3. esto natura humana unita Verbo peccare posset, attamen, hanc propositionem *Deus peccaret*, concedendam non esse, non enim omnia, quæ de natura humana prædicantur, possunt etiam per idiomatum communicationem affirmari de Deo, v. g. *Deus est creatura*. ideo à pluribus etiam Scotistis negatur major ob incapacitatem Verbi divini ad suscipiendas hujusmodi denominationes, ego tamen cum aliis Scotistis, & præter istos, cum Hutardo, Lugo, Ariaga, & Durando, nego minorem, nam proprium est creaturæ, ut creaturæ, pati, mori, & ignorantia laborare, & tamen Verbum divinum per communicationem idiomatum dicitur passum, mortuum, et si assumpsisset naturam humanam cum ignorantia, potuisset dici ignorans, licet passibilitas, mortalitas, ignorantia opponantur impassibilitati, immortalitati, summæque divinæ sapientiæ; Neque obstat, actiones dici suppositorum, nam hoc verum est tantum denominative, non formaliter, seu, ut ajunt, elicitive, præsertim, quando suppositum est alienum, neque movet ad tales actiones, neque tenetur impedire, ut in nostro casu, neque talium actionum est capax ad quas tantum permissive se haberet; ex quo habetur disparitas, quare actiones meritoriæ diverso modo habuerint valorem à divino supposito. Ad Confirm. dis. maj. si opus ab intrinseco sui sit capax talis denominationis conc. si incapax ne. maj. sicut, si assumpsisset naturam bruti, hæc natura non fuisset sancta, neque intelligens ob incapacitatem talium denominationum. Ex hoc amplius argumentum aliud, ac illum sylogi-

logismum expositorium perpendo, alium efformando; Hic lapis non est sanctus; neque intelligens, sed hic lapis est Deus, ergo Deus neque est sanctus, neque intelligens; ipsi tenentur admittere hanc consequentiam, quæ secus videtur aliena, & hæretica, ergo quare non admittent aliam?

68. Dices; disparem valde esse rationem inter mortalitatem, passibilitatem &c. quæ prædicantur de Deo, & inter peccatum, quod in nostro casu de Deo diceretur, quia prima affirmatio est in genere physico, secunda in genere morali; & sicut, licet Deus sit causa mortis, non potest tamen dici causa peccati, ita de Deo poterit prædicari mortalitas, non tamen peccatum; Præterea; mors potest ad Deum referri, non sic potest peccatum.

Sed contra non est adeo dispar ratio, si attendamus attributa divina. Ita enim Deus est prima vita, sicut est prima sanctitas, ergo sicut de ipso potest affirmari mors opposita vitæ, ita poterit affirmari peccatum oppositum sanctitati. Ad paritatem, transf. ant. *Deus enim mortem non fecit*, nec, ut ait August. *Deus est causa tendendi in non esse* neg. conf. Si enim Deus esset causa peccati esset ab intrinseco peccans, non ita, per hoc, quod peccatum per solam idiomatum communicationem de illo diceretur; quare autem sit causa mortis, nec tamen moriatur, si vero esset causa peccati esset ab intrinseco peccans, pluries dictum est, & patet ex philosophicis, nec in hac re opus est plura dicere. Pro addito; argumentum aliud non probat, nisi mortem esse posse à Deo, qui illam velit; non ita peccatum, quod tamen potest à Deo permitti, sicut permittitur, nec ullum est debitum illud impediendi; nos autem non dicimus, peccare potuisse Christi humanitatem, nisi divino Verbo id permittente. Per hoc reijcitur ultimum, & affertur disparitas; quanquam dici posset, etiam peccatum referri ad Deum, cum ad ejus justitiam vindicem pertineat; immo etiam alio modo, cum permissio peccati esse possit effectus prædestinationis, ut docent Tho., & ferme omnes Theologi.

69. Op. 3. si Verbum divinum conjunctum humanitati non redderet naturam formaliter impeccabilem, & posset denominari peccans, esse potuisset objectum odii divini, immo & damnationis, sed hoc non est dicendum, ergo. Præterea. Cum unione hypostatica est plenitudo gratiæ, in ipso enim erat corporaliter, ergo etiam impeccabilitas.

70. Huic argumento jam responderet Durandus dicens, in verbis piis positum esse, & suadendis feminis aptissimum; est igitur verum per extrinsecam denominationem, non intrinsece, & formaliter. Sed quid mirum? nonne dixit Christus se esse à Patre derelictum? numquid hoc de Verbo divino dici poterat? ita à pari. Ad aliud. Verum est antecedens de congruo, ex quo non sequitur consequens. Sed si etiam verum esset indispensabiliter, nihil probaretur, nam adhuc sequeretur, Christi impeccabilitatem ex unione hypostatica præcise, ac formaliter ortam non fuisse, sed ex iis, quæ unionem hypostaticam consequebantur, sicut, quod homo sit risibilis, non oritur formaliter à rationalitate, licet hæc infallibiliter, immo identice inferat risibilitatem. Tandem sequeretur, per peccatum destrui quidem unionem hypostaticam, non tamen per potentiam peccandi, cum hæc prorsus interna sit, & necessario profluens ab humana natura, utpote finita, & vertibili, ut dictum fuit.

71. Op. 4. Per unionem hypostaticam Christus constituitur filius Dei naturalis, ergo formalissime Sanctus, ergo impeccabilis. Prob. consa. Si constituitur filius Dei naturalis, habet jus ad hæreditatem, si non Sanctus, non habet jus ad hæreditatem, sed hoc repugnat, ergo repugnat, constitui per unionem hypostaticam filium Dei naturalem, & non formaliter Sanctum.

Resp.

Resp. tranſ. ant. nam aliud eſt loqui de Chriſto, aliud de humanitate, ſiquidem in primo termino attenditur perſona, in ſecundo natura ne. conſ. ad prob. diſ. ant. radicale & remotum conc. formale & proximum, ne. ant. & ſic ad reliqua; ſi enim aſſumpſiſſet naturam humanam, & illi non contuliſſet gratiam, & alia dona, nequaquam habuiſſet jus proximum ad hæreditatem, quod etiam conſtat apud nos, nam Pater negare poteſt hæreditatem filio; quamvis ratio filii ſemper perſeverat; deinde jus ad hæreditatem conſiſtit in excluſione actualis peccati, non in impeccabilitate, & ideo, licet Chriſtus ex vi unionis hypoſtaticæ haberet jus ad talem hæreditatem, adhuc non probaretur impeccabilis.

72. Dices. Ita Chriſtus per unionem hypoſtaticam conſtituitur formaliter Sanctus, ut per ipſam excludat etiam potentiam proximam, & formalem peccandi, ergo. Prob. ant. Ita conſtituitur per gratiam, & per viſionem beatam, ergo à fortiori per unionem, prob. conſ. Sanctitas collata per unionem eſt altioris ordinis, quam ſit illa collata per gratiam, & per viſionem, ſiquidem illa eſt ſubſtantialis, hæc accidentalis, ergo ſi &c. Præterea Deus per naturam divinam ſibi identicam eſt formaliſſime Sanctus, & excludit omnem peccandi defectum, ergo etiam Chriſti humanitas per naturam divinam ſibi unitam conſtituitur &c. Et ſi vis ſanctificandi tribuitur participationi naturæ divinæ, à fortiori concedetur ipſi naturæ divinæ.

Sed contra; ne. ant. ad prob. conc. ant. ne. conſ. ad prob. diſ. ant. eſt altioris ordinis in linea perſonali & puri termini conc. in linea formali & operativa ne. ant. & conſ. Gratia unionis eſt perfectiſſima gratia, nec ea major excogitari poteſt, cum reddat naturam dignam adoratione &c. Hoc tamen contingit tantum ſecundum eſſe perſonale, & in ratione puri termini, quod etiam convenire poteſt cuicumque irrationali creaturæ, quæ ad hanc gratiam unionis promoveri poteſt; gratia tamen habitualis & actualis in ſua linea major eſt gratia unionis, quia hæc unitur formaliter, ideſt adinſtar formæ promoventis creaturam ſolummodo rationalem ad operationes, per quas creatura redditur formaliter Sancta, grata Deo, & dilecta in actu ſecundo, quod non facit unio hypoſtatica niſi in actu primo, quatenus eſt radix gratiæ habitualis, & donorum, & quidem de congruo, non indiſpenſabiliter metaphyſice. Quanquam, caſtigatius loquendo, non poſſunt iſtæ gratiæ dici major, & minor, quia ſunt diverſæ omnino rationis, nec poſſunt inter ſe comparari, ut advertit Scot. in 3. diſ. 2. q. 1. ad 1. Ad 2. argumentum nimis probat, alioquin humanitas Chriſti eſſet Sancta ea Sanctitate, quæ ſoli Deo convenit; Id igitur præſtat in Deo natura divina, quia eſt ipſe Deus non præciſe in ſubſiſtendo, ſed in operando, non ſic vero in Chriſti humanitate. Ad ultimum, unicuique gratiæ proprium munus, & dignitatem tribuamus, habituali gratiæ in linea formæ & operationis, gratiæ unionis in linea termini, & ſubſiſtentiæ.

73. Aliqui Doctores parum in rationibus roboris eſſe videntes, contendunt præſertim ſententiam noſtram Sanctorum Patrum teſtimoniis eſſe contrariam. Horum plura congerunt Vaſquez diſp. 61. cap. 3. & Tornellius q. 11. art. 4. concluſione ſecunda, aliqua tamen omittere potuiſſent. Hujuſmodi eſt dictum S. Hippolyti Martyris apud Theodoretum dial. 1. *Arca ex lignis, quæ putreſcere non poterant, erat ipſe Salvator .... Nam qui peccavit, confitetur, & dicit; Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipentiæ meæ; Dominus autem à peccato alienus erat*. Ex hoc enim nihil aliud profecto probatur, niſi Chriſtum nunquam peccaſſe, quod & nos ſupra probavimus. Quod etiam Origenes lib. 2. de principiis cap. 6. hæc habeat. *Tota anima Chriſti, totum recipiens, atque*

que in ejus lucem splendoremque ipsa cadens facta est cum ipso principaliter unus spiritus & afferens exemplum ferri candentis, quod frigus capere, quamdiu candens est, non potest, subdat; *Hoc modo illa anima, quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo ..... semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est, & ideo nec convertibilis nec mutabilis dici potest.* Et rursus. *Sicut vas ipsum, quod substantiam continet, & unguentum, nullo genere potest aliquid recipere fœtoris....: ita Christus velut vas ipsum. in quo erat unguenti substantia, impossibile fuit, ut contrarium reciperet odorem.* In primis adducuntur exempla, quæ nequaquam unioni hypostaticæ possunt aptari, ut suo loco dictum fuit, deinde potius probaretur, unicam tantum divinam fuisse in Christo operationem & voluntatem.

74. Sed ad alia progrediamur. Inquit Dionysius Alexandrinus in epist. contra Paulum Samosatenum. *Nisi fuisset idem, qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus à potestate peccandi, nemo enim est, qui peccare non possit, nisi unus Christus, sicut & Pater Christi & Spiritus Sanctus..... Non enim est homo justus super terram, qui faciet bonum, & non peccabit.* Prosequitur autem sic. *Justus nam ut Deus, non exercitatione, & laboribus, sicut omnis homo ex numero piorum, quos necessario sequuntur defectus..... Christus vero non exercitatione ostensus est per fidem, & pietatem in Deum, ut jam dictum est, naturalis enim justitia, & divina virtus ejus est.* Super hæc postrema verba maximam vim facit P. Vasquez.

75. Hujus Sancti Patris dicta perpendamus. Jam vides, impeccantiam Christi comparari Sanctitati Patris, & Spiritus Sancti, quam immerito hoc dictum sit ostendimus num.62. ibi igitur est sermo de Christo secundum naturam divinam, nequaquam humanam; ratio autem Dionysii explicata in illis verbis. *Non enim &c. & non peccabit.* Perspicis esse de peccato actuali, aut saltem futuro; Porro utrumque in Christo negamus; Hic quidem non exercitatione, non laboribus, non per fidem, non per pietatem ostensus est; quia, ut esset Christus, idest, ut humanitas uniretur divino Verbo, nullum meritum præcessit. Hæc jam fuit sententia nostra; dicis, naturalem esse ejus justitiam, divinamque virtutem? bene dicis, sed de justitia spectante ad divinam voluntatem id affirmans. Ita explicavi Dionysium. Nec est quid ultra opponas, nisi verba.

76. Secundo loco affertur Athanasius plura proferens in libro de incarnat. Verbi.1. inquit. *Si filius hominis venit, ut dissolveret opera diaboli, qua ratione in se habere possit peccatum? Siquidem ipse venit, ut deleret in nobis peccata. 2. Quanam quæso ratione? ea nimirum, quæ naturam à Deo quidem factam, nulloque crimine imbutam, sic instigatam à diabolo ad prævaricationem mandati divini, & ad inventum peccati mortis Verbum in se reformavit, neque ulterius eam fraudis diaboli, aut inventi mortis susceptibilem reliquit.* Igitur, infert laudatus Doctor, per assumptionem Verbi Dei reformavit naturam nostram, ut esset incapax peccati; Unde Athanas. infra subdit. *Verbi tamen incarnatio secundum naturam Dei facta nostrorum vitiorum susceptibilis non fuit, quæ ex vetustate etiam hoc tempore in nobis hærere solent &c.*

77. Etiam hunc Patrem perpendamus operæ pretium est. Verbum caro factum est, ut dissolveret opera diaboli, nemo hoc negabit qui epistolam Joan. legerit, qua ratione igitur potuit habere peccatum? certe non potuit, unde autem non posset proxime, Athanasius non explicat; reformavit Verbum naturam instigatam à diabolo ad prævaricationem, nec illam fraudis diaboli, aut inventi mortis susceptibilem reliquit; fatemur; Sed per quid proxime non reliquerit, ut peccati

cati incapax esset? si dicis solam unionem hypostaticam, adhuc tibi probandum superest. Ita ad reliqua. Nisi forte velis dicere, ex illis probari, Verbum assumpsisse quidem naturam nostram, non tamen nostræ naturæ peccata; quod certe videtur colligi ex aliis Athanasii verbis ibidem, quæ sunt ista. *Inde enim est, quod dicamur, induere veterem hominem, & induere novum, qui secundum Deum creatus est, atque in eo miraculum est, quod Dominus homo factus est sine omni peccato, quod novitas in totum facta sit, ut ostenderet vires suas.*

78. Tertio loco afferrem Cyr. Alexandr. lib. de recta fide ad Theodos. dicentem. *Caro Christi effecta est caro Verbi omnia vivificantis* & lib. 5. in Joan. cap. 5. *Unigenitus propriæ naturæ legibus insistens, nihilque aliud cogitare aut agere sciens, quam quod in ejus qui genuit ipsum voluntate positum est: Ecqui enim omnino fieri possit, ut consubstantialis, & una Deitas ipsa contra seipsam dissideat?* Afferrem Ambrosium, qui in apol. secunda David cap. 4. inquit. *Nemo sine peccato, nisi unus Deus; Si igitur non potest non esse Deus, qui Dei Filius est, neque Dei Filius arbitrer justitiæ est, non obnoxius culpæ.* Afferrem Augustinum lib. de corrept. & gratia cap. 11., ubi sic loquitur. *Neque metuendum est, ne isto ineffabili modo in unitatem personæ à Verbo Deo natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis à Deo ita suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.* Et tract. 108. in Joan. in illa verba *sanctifico me ipsum* ait. *Verbum illud in principio Deus, in quo & ipse filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suæ, quando Verbum factum est caro: quia una persona factam est Verbum & homo. Tunc ergo sanctificavit se in se, hoc est hominem se in Verbo se, quia unus Christus Verbum & homo, santificans hominem in Verbo.* Afferrem tandem, ut præteream Fulgentium lib. 3. ad Trasim. cap. 29. & Bernard. serm. feriæ quartæ hebdomadæ sanctæ; verba 6. Synod. art. 8. *In homine Christo tota humana ejus conspersio ab ejusdem Verbi divinitate semper & in omnibus mota, Deo-mobilis erat.*

79. Sed præter explicationes superius expositas, facile ab istis se expediunt Scotistæ, dicentes, Patres loquutos esse vel de unione, non secundum se præcise & formaliter, sed cum cæterorum donorum concomitantia, vel si de unione sola, id intelligandum esse exigitive & radicaliter, non formaliter & proxime; Mens enim Patrum erat contra hæreticos, ac judeæos defendere Christi impeccabilitatem, sed unde hæc proxime oriretur, nunquam disputationem instituerunt; immo, si velimus perpendere verba illa, super quæ Patres plerumque loquti sunt, aperte sententia nostra declarabitur; sunt autem illa Prophetæ ps. 44. *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, idest, unctam esse Christi humanitatem, non ut cæteros homines per gratiam accidentalem, sed per ipsam divinitatem, & gratiam substantialem; attendamus porro omnia verba. *Speciosus*, inquit *forma præ filiis hominum.* Ecce pulchritudo collata per unionem hypostaticam, *Diffusa est gratia in labiis tuis* ecce gratiæ habitualis unionem hypostaticam sequens infusio; *propterea benedixit te Deus* ecce effectus ejusdem gratiæ formalis, ly enim *propterea* causalis est, videlicet causa proxima, & hoc juxta Augustinum dicentem ibid. *Propterea benedixit te Deus in æternum; Quare? propter gratiam; illa enim gratia quo pertinet? ad regnum cælorum.* Sed pro re nostra habet Sanctus Doctor clarissimum testimonium cap. 36. Enchiridii, ubi ait, *Per eamdem gratiam justificari homines à peccatis, per quam factum est, ut homo Christus nullum habere posset peccatum.* Infero, sed homines justificantur à peccatis per gratiam habitualem, ergo

ergo per istam homo Christus nullum habere potuit peccatum.

80. Hinc si Conc. Francoford. in epist. ad epist. Hisp. inquit col. 7. Christum non gratia, sed natura unctum, alios vero gratia, non natura, & ideo assertur discrimen inter Christum, & alios Sanctos, Concilium non innuit per solam unionem & naturam divinam esse unctum, sed per hanc, tanquam per radicem aliorum donorum, quod in cæteris sanctis non evenit, & ideo Christus à cæteris quibuscumque distinguitur.

81. Collige, hanc propositionem, *Christus, ut homo, potuit peccare*, absolute prolatam esse falsam, quia communis loquendi modus est, quod cum alicui tribuitur aliquid, seu facultas ad aliquid faciendum, intelligitur de potentia proxima, & naturali, quæ non erat in Christo ad peccandum; & hoc pacto sententia nostra nequaquam pias aures offendere potest, nisi admodum rudes, & doctrinæ Theologicæ prorsus inexpertes.

82. Quæres, ac in Christo fuerit fomes peccati.

Resp. fomitis nomine vel intelligi appetitum sensitivum præcise acceptum, spectantem ad integritatem naturæ vel intelligi inclinationem ad id, quod est contra naturam. In pr. sensu non est dubium, fuisse in Christo, cum neque peccatum sit, nec à peccato oriatur, fuit enim etiam in statu innocentiæ; in secundo autem sensu esse Christo negandum, cum sit ex defectu justitiæ originalis, & habeat privationem subjectionis debitæ rationi. Unde Concil. Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali dicit, esse in nobis ex peccato, & in nobis ad agonem relicto. Hoc multo ante Concil. Triden. tradiderunt Sancti Patres, quos recenset Vasquez disp. 61. cap. 8. Totum autem quod diximus de peccabilitate, dicendum de fomite.

ARTICULUS VIII.

Quomodo cum Christi impeccabilitate fuerit libertas.

83. Titulus supponit, in Christo fuisse libertatem, operæ pretium est hanc suppositionem ostendere, ac declarare; Hæretici enim sicut omnibus hominibus post adæ peccatum negant remansisse libertatem, ita & negare possent Christo, quamvis esset specialis ratio, cum ipse peccatum originale non contraxerit; Sed de hac re non est nobis disputandum, cum jam humanam voluntatem liberam esse, in libro de gratia demonstratum sit; Notum est omnibus etiam tyronibus, illam facultatem liberam esse, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum potest se determinare ad agendum, immo etiam ad agendum oppositum; Quare duplex distingui solet libertas, una, quam appellant contrarietatis, seu specificationis, alia, quam dicunt contradictionis seu exercitii; Quid utraque sit non explico, ne legenti feram injuriam, hoc unum dico, ad essentiam libertatis non pertinere facultatem malum perpetrandi, nam ut ait Anselm. dial. de lib. arbit. cap. 1. *Nec libertas, nec pars libertatis est potestas peccandi.* Ideo potius est defectus libertatis, quapropter in Deo primo ac perfectissimo libero nequaquam reperiri potest.

84. Porro Christum, quod est præsentis nostri instituti, liberum fuisse, aperte colligitur ex sacris litteris, dicitur enim Isaiæ 7. *Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Electio autem ad facultatem liberam spectat, & ita exponit Basil. illa verba, comparans libertatem, quam habuit Christus, cum libertate, quam habuit Adam in statu innocentiæ. confirmant hoc verba Christi Joan. 10. *Ego pono animam meam: nemo tollit eam, à me, sed ego pono eam à me ipso.* Hisce omnibus adde, quæ dicuntur de merito

to Christi, atque de ejus obedientia, quæ sine vera libertate nequaquam servari possunt; Dicamus igitur cum Augustino de prædestin. Sanct. cap. 15. *An ideo non in illo libera voluntas erat? tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat*: & cum Gregorio lib. 24. Moral. cap. 2. *Omni necessitate calcata, cum voluit, mortem suscepit.*

85. Hoc igitur supposito, quærunt Doctores, quomodo conciliari potuerint Christi libertas & ejus impeccabilitas; tota autem controversia est de præcepto, quod Christus accepit à Patre mortem subeundi, nam vel non potuit illud non observare, & sic liber non fuit, vel potuit, & sic incapax peccati non fuit. Mirum est, quanta excogitaverint ad servandam utramque.

Medina citatus à Lorca, & Exparza negant absolute fuisse Christo impositum præceptum stricte tale, sed solum voluntatem Dei insinuatam, non, ut ajunt, intimatam, idest, ut explicat Cardinalis de Lugo, fuisse mandatum, quatenus extenditur ad ordinationem, directionem, & regulam superioris, qui potest obligare sub præcepto, non tamen obligantis, quemadmodum sunt regulæ religionum, quæ licet sint obedientiæ materia, attamen sub præcepto non obligant. Fateor hoc modo facile propositum punctum servari; Verum hæc opinio videtur contra modum loquendi scripturæ, innuentis, Christum habuisse præceptum simpliciter dictum. Joann. 10. *Hoc mandatum dedit mihi Pater*. 14. *Sicut mandatum dedit mihi, sic facio*. 15. *Sicut ego Patris mei præcepta servavi*. Præterea; ex scripturis & Patribus meruit Christus ex speciali virtute obedientiæ, *factus obediens usque ad mortem* ad Philip. 2. & ad Rom. 5. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituuntur multi*. Obedientia autem & inobedientia, si proprie sint, non sunt sine præcepto stricte imposito; vel igitur concedant præceptum verum, aut negent veram obedientiam.

86. Vasquez, Amicus, aliique ex recentioribus docent, præceptum respexisse mortis substantiam, non circumstantias temporis, modi, & hujusmodi; ideoque Christum meritorie, ac libere mortuum esse secundum circumstantias, non secundum substantiam, sicut Martyres, licet aliquando sint morituri, merentur tamen libere anticipando mortem, quam à carnificibus sustinent. Sed contra est; circumstantias temporis, modi, & hujusmodi nihil Christi merito contulisse, sed solam mortis substantiam habuisse formalem merendi rationem, ut manifestum est, quia, sive Christus mortuus fuisset, hoc, vel illo modo, æqualiter satisfecisset, quod de aliis hominibus, ac martyribus non valet.

87. Suarez, Molina, aliique plures scientiæ mediæ propugnatores defendunt Christi impeccabilitatem per providentiam extrinsecam Dei, qui per respectum ad omnium præceptorum observantiam præparavit Christo auxilia efficacia, quæ nequaquam adimunt, vel minuunt libertatem, quia per scientiam mediam prævidetur humana Christi voluntas ex vi propriæ libertatis in talibus circumstantiis, & cum talibus auxiliis sic, & non aliter operatura. Hæc sententia valde placet, cum aliis principiis à me stabilitis sit admodum concors, nec aliter refelli potest, quam scientiam mediam evertendo, in quo opus & labor, sed frustra.

88. Zumel & Cabrera affirmant præceptum strictum, sed libere postulatum à Christo. Alii cum Hurtado, & Lugo docent, Christum potuisse petere dispensationem, alii terminis idem, ut arbitror defendit Tornellius inquiens, mortis præceptum non fuisse absolutum, sed conditionatum, idest dependens à libero Christo consensu illud acceptandi, quod re ipsa lubens, ac volens acceptavit. Verum huic sententiæ contradicunt

cunt primo textus superius laudati, quibus probatur, fuisse impositum præceptum stricte tale, quod omnino independens est à subditi voluntate. Secundo opponuntur verba Pauli commendantis ad Rom. 8. charitatem Dei, qui proprio filio suo non pepercit, in opinione enim recitata potius dicendum foret, Christum sibi non pepercisse, cum sic magis penderet à voluntate Christi, qui potuit non acceptare præceptum, vel petere dispensationem; Tandem opponitur Christi oratio dicentis, *Pater, si fieri potest, transeat &c.* Ut quid enim Patrem orare, si idem Christus potuisset illum transferre? Adde, doctrinam illam ad summum probare de præceptis positivis, quæ dispensabilia sunt, nullo pacto de naturalibus, in quibus nulla potest esse dispensatio. Neque obstant verba dicta à Christo Mat. 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Etenim, absque aliqua dispensatione pro eo tunc potuisset Christus mortem evadere, nam pro illo instanti præceptum moriendi non urgebat; & revera sine aliqua dispensatione milites & satellites sub passionis initio prosternit.

89. Scotistæ divisi sunt, & nimis prolixus essem, si vellem omnia referre, ea tantum proferam, quæ magis videntur ad rem. Pontius disp. 39. q. 11. dixit, Christum fuisse impeccabilem solum moraliter, non autem physice; Moralis autem impeccabilitas libertatem non aufert, siquidem habentes gratiam efficacem ad aliquid agendum, moraliter sunt ad illud determinati, & tamen ad agendum sunt liberi, & qui graviter tentati sunt ad peccandum, moraliter sunt ad peccandum determinati, & tamen libere peccant; ut revera peccent. Hoc satis apte dictum est, & quamvis Mastrius hunc dicendi modum contendat propellere, attamen in re nihil evincit, & quæstionem movet tantum de nomine, nam quod Mastrius appellat libertatem remotam, Pontius appellabit physicam; sive postea necessitas ista moralis habeatur per visionem beatam, sive per voluntatem Dei prævenientem ipsam voluntatem, & nolentem concurrere ad actum oppositum, parum refert.

90. Mastrius itaque cum aliis recentioribus Scotistis docuit, in Christo Domino fuisse libertatem remotam, non proximam, & illam fuisse quidem sufficientem ad actu merendum, nnn ad peccandum. Si autem pro hac re disparitatem petes, respondet, id factum esse ex divina dispensatione, sicut ex hac factum est, Christum esse simul comprehensorem, & viatorem, unde, quamvis regulariter loquendo, in homine viatore ad merendum requiratur in voluntate libertas proxima, ut docent Patres & scripturæ, absolute tamen loquendo hæc non est necessaria, quod sic ostendit; Meritum est quidam contractus, quo operans offert quod suum est, illi, qui debet præmium conferre, & iste dat pro illo id, cujus est dominus, requiritur ergo ex parte contrahentium dominium super suos actus, quod dominium sufficienter servatur, si voluntas ab intrinseco sui potest agere, vel non agere, quamvis propter aliquod impedimentum nequeat agere, quod quidem eveniebat in Christo, qui non poterat transgredi præceptum, non quia secundum se non posset, sed quia Deus negabat concursum suum ad trensgressionem; Totum hoc declaratur Juristarum exemplo. Si quis habeat jus ad rem, cui tamen non competit actio propter aliquod impedimentum, ut sæpe contingit, adhuc possum cum eo contractum inire, habet ergo voluntas dominium in suos actus, etiamsi ipsi non conveniat actio, seu non habeat proximum, & expeditum usum liberatis propter negationem concursus divini parati ad oppositum, & ideo poterit Deus acceptare pro meritorio actum illum, in quem voluntas dominium habet, esto actionem non habeat, atque ita satis servatur in Christo libertas

cum

cum sui impeccabilitate. Modus iste prorsus cohæret principiis nostris; proinde &c.

91. Thomistæ tandem, quos sequuntur plures Recentiores, retento rigore libertatis in Christo, nec non intrinseca impeccabilitate, strictoque præcepto, hæc omnia arbitrantur componere per eam distinctionem satis vulgatam de sensu diviso, & de sensu composito; atque ita in sensu composito stante præcepto mortem subeundi, Christum non potuisse non mori, liberum nihilominus fuisse, quia absolute, & in sensu diviso potuit non mori, necessitas siquidem consequentiæ libertatem non adimit. Verum præter maximam obscuritatem, quantum hic explicandi modus difficultatis patiatur per longam seriem posset ostendi, & jam de hac re actum est, ubi de physica præmotione.

QUÆSTIO VI.

De Christi gratia.

ARTICULUS I.

An in Christo fuerit gratia habitualis, & ad quid.

1. DIco 1. in Christo fuisse gratiam habitualem; est conclusio certa Theologice, & admissa ab omnibus, qui fuerunt post Concilium Tridentinum, etenim ante hoc obscuriora erant, quę ad nostrę justificationis pertinent modum, nec habebatur expresse habitualis gratiæ definitio quo ad existentiam, quæ qualis sit in quæstionibus de gratia dictum est.

Veritas hęc probari solet Sac. Scripturæ auctoritatibus. Isaiæ 1. *Requiescet super eum spiritus domini*. Ps. 44. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, quam gratiæ unctionem intellexerunt Athanas. Cyrill. Chrisost. ut notat Suarez, de gratia habituali. Luc. 1. *Quod ex te nascetur Sanctum*. 2. *Gratia Dei erat in illo*, quæ auctoritates nequeunt explicari de gratia unionis, hæc enim habetur per Verbum divinum, non per Spiritum Sanctum.

2. Melius tamen probatur ratione Theologica. Gratia Christi fuit gratia capitis, juxta illud Joan. 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus*. Sed gratia à Christo in membra transfusa est gratia habitualis, ergo in Christo fuit gratia habitualis. Prob. mi. gratia à Christo in membra transfusa, est illa, qua membra spiritualiter vivunt, sed hæc est gratia habitualis, à qua tanquam à ratione formali omnes operationes supernaturales, & meritoriæ proficiscuntur, nisi detur aliud supplementum, quod in membris non datur saltem in præsenti rerum ordine, ergo.

3. Licet autem dixerim, conclusionem hanc certam esse Theologice, attamen non potest dici de fide vel immediate, vel mediate, cum neque habeatur Ecclesiæ definitio, neque sit explicite revelata, ut requiritur ad fidem immediatam, neque necessario inferatur ex aliquo textu, ut requiritur ad fidem mediatam; Non me tamen latet plures recentiores eam tanquam dogma fidei propugnare; Omnia tamen momenta, quæ ad hoc probandum ipsi proferunt; adducuntur à Vasquez & refelluntur; An hoc bene vel perperam actum sit, nihil mea interest.

4. Quantum ad 2. tituli partem, tanquam certum existimo, hanc gratiam habitualem non fuisse in Christo, vel ad sim-

simpliciter sanctificandam humanitatem, vel ad eam disponendam ad unionem hypostaticam; ratio primi est, quia humanitas Christi, etiam seclusa gratia habituali, fuisset sancta, & quidem sanctitate longe perfectiori, idest substantiali personali habita per unionem hypostaticam, ergo gratia habitualis non erat in Christo ad simpliciter sanctificandam ejus humanitatem. Ratio secundi est, quia in Christo nulla praecessit dispositio vel physica, vel moralis unionem hypostaticam, ut jam declaratum fuit.

5. Concludo 2. gratiam habitualem in Christo fuisse ad conferendam sanctitatem accidentalem, & praesertim ad eliciendos actus supernaturales & meritorios. Assertio haec quantum ad omnia acceptatur à Theologis; & solum in secunda parte addunt particulam *connaturaliter* ad innuendum, etiam praecisa gratia habituali potuisse haberi actus supernaturales; Sed hoc à nobis non potest admitti, cum supra dictum fuerit, gratiam unionis conferre quidem sanctitate quantum ad esse subsistens, non quantum ad esse operativum, in esse radicali, & remoto, non formali, & immediato.

Prob. prima pars. Christo conecedi debet omnis sanctitas, cujus erat capax; Vidimus enim *plenum gratiae & veritatis* Joan. 1. Sed Christus erat capax sanctitatis accidentalis provenientis à gratia habituali, ergo. Major patet primo ex terminis. Secundo ratione; nam immerito limitaretur Christi humanitas ad unum modum sanctitatis, licet perfectissimum, sicut immerito limitaretur ejus scientia ad unicum modum cognoscendi, licet perfectissimum; & quemadmodum unicuique substantiae naturali debitum est aliquod accidens, ita sanctitati substantiali debita est aliqua sanctitas accidentalis; quod nequaquam valet de Deo, in quo sicuti est sola natura divina omnes naturas comprehendens, ita debita est solum sanctitas divina omnes alias sanctitates complectens. Prob. mi. Si non erat capax sanctitatis accidentalis provenientis à gratia habituali, ideo erat, quia sanctitas proveniens à gratia unionis non relinquebat locum sanctitati accidentali, sed haec ratio non probat, ergo. Prob. mi. Scientia increata, quae erat in Christo relinquebat locum scientiae creatae, ut dixi, scientia beatorum in Verbo relinquit locum scientiae rerum in proprio genere, ut omnes concedunt, ergo.

6. Dices; Una subsistentia increata non relinquit locum alteri subsistentiae increatae ad terminandam eamdem naturam, ergo gratia unionis non relinquit locum gratiae habituali ad ornandam eamdem animam; & ratio utrobique est eadem, quia sicuti per unicam subsistentiam increatam adaequate completur una natura, ita per sanctitatem habitam ex gratia unionis adaequate completur una anima.

Sed contra; conc. ant. quod non tantum est verum de subsistentia increata, sed etiam de quacumque ne. conf. & negatur paritas, quia effectus subsistentiae semper est idem, unde semel habito ab una, haberi non potest ab alia, e contra non est idem effectus gratiae unionis, & gratiae habitualis, & ideo admissa una, non excluditur alia, neque ex gratia unionis & habituali sequeretur, quod probavimus, si admitteretur duplex subsistentia increata in eadem natura, ut consideranti patebit; atque hoc magis confirmatur ex his quae subdo, etenim in Christo non erat principium elevans potentiam ad producendos actus supernaturales meritorios praecisa gratia habituali (& sic ostendo secundam partem conclusionis,) hoc enim principium non erat gratia unionis, cum haec data sit per se ad constituendam naturam in altiori ordine subsistendi, non operandi, & dari potuisset cuicumque naturae natae ad subsistendum, nec tamen capaci actuum supernaturalium, nec unita sit adinstar formae elevantis potentiam ad ope-

operandum, proinde &c. Dixi, *meritorios* ad innuendum, quod licet admissi fuissent in Christo alii habitus supernaturales, quod tamen dici non potest, vel etiam gratia actualis cum potentia concurrens, adhuc tamen Christi actiones non fuissent de condigno meritoriæ, ex dictis in quæstione de merito.

7. Fateor quidem argumentum maxime urgere eos, qui dicunt, gratiam unionis sanctificasse Christum in linea substantiali plusquam personali, nam non video, quo pacto evadere possint; Si enim admittunt, gratiam illam conferre vim ad operandum, ut revera admittunt, videtur gratia habitualis omnino superflua, quotiescumque enim principium superius continet eminenter, vel formaliter inferius, & istius effectum, hoc frustra ponitur cum illo, qua ratione Phylosophi communiter unicam admittunt animam in quocumque vivente, quia rationalis eminenter continet sensitivam & vegetativam, sensitiva vegetativam, ergo si gratia unionis sanctificat animam Christi per ordinem ad actus supernaturales, omnino frustranea est gratia habitualis. Neque juvat recursus ad connatnraliter tales actus eliciendos; nam eadem ratione dici potest, admittendam esse in homine animam sensitivam præter rationalem, ad connaturalius eliciendos actus sensationum, quod tamen illi, contra quos controversia nostra est, non admittunt; per quod magis probo, gratiam unionis fuisse tantum gratiam substantialem personalem, & ideo, quamvis una simul cum subsistentia Verbi fuerit unita humanitati natura divina, hæc tamen non sanctificavit ratione sui, sed ratione subsistentię propter identitatem, data solummodo idiomatum communicatione, non communicata operandi virtute, nisi de consequenti, quatenus est radix gratiæ, aliorumque donorum, ut toties dictum fuit.

ARTICULUS II.

Quantæ perfectionis fuerit gratia habitualis Christi.

8. Mirum est, quanta dixerint Doctores in hac re stabilienda. Alii distinxerunt gratiam sub ratione gratiæ vel sub ratione qualitatis; alii sub conceptu summi, & sub conceptu infiniti; alii admittentes illam infinitam, augeri posse non denegarunt, & cætera hujusmodi, quæ quisque, sed non sine nausea, legere poterit apud Doctores.

9. Ego, perstrictius rem examinando, suppono prius, gratiam habitualem Christi fuisse ejusdem rationis specificæ cum gratia cujuscumque justi, quod, omittendo omnes rationes tam positivas, quam negativas, quas authores afferunt, ostendi potest ex dictis in anteced. nimirum, gratiam Christi fuisse gratiam capitis, quæ non debet differre specie à gratia membrorum, ut constat loquendo de capite corporeo, & membris sibi subjectis.

10. Suppono secundo, hanc gratiam Christi propter dignitatem, quam habet ex unione cum persona divina, talem esse, ut in ratione dignitatis nequeat dari major, ita ut se extendat ad omnia dona supernaturalia, & ad omnes creaturas rationales, quia posset in infinitum influere, si creaturæ rationales in infinitum propagarentur, juxta illud Joan.2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed totius mundi*. Est igitur difficultas de infinitate physica, cujus resolutionem multum pendere ex principiis philosophicis, utrum dari possit infinitum Cathegorematicum in qualitate, nec ne, non est ambigendum.

11. Dico. gratiam Christi non fuisse infinitam, est sententia communis apud Theologos contra Hurtadum, Madernum, & paucos alios. Scotistæ vero dividuntur, quorum lites vide apud Mastrium disp.2. qu.3. art.1. & 2.

(Nec

(Nec enim ipsorum tricas familiares, ut plerumque solent, componere, meã interest, ne mihi contingat, quod Mastrio, ideſt laboris mei, & hujusce opusculi dimidium in hisce levitatibus insumere) Si quis autem mihi vellet Scotum opponere, duo dicerem; primum esset, esse intelligendum Doctorem de gratia secundum dignitatem, quod jam supposui verissimum esse. Secundum esset, ibi Scotum non tam ex solida ratione, quam ex animo pio loquutum esse juxta verba, quæ habet in 3. dist.13. q.4. *In commendando Christo malo excedere, quam deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oportet in alterum incidere.*

12. Assertionem meam sic probo. Gratia habitualis Christi est in subjecto physice finito, ergo est physice finita, consa. tenet, quia si subjectum est finitum, & gratia esset infinita, jam hæc excederet capacitatem subjecti; ideoque in ipso non posset recipi. Pr. ant. gratia habitualis Christi est in animã Christi, sed hæc est subjectum physice finitum, sicut anima cujuscumque hominis, ergo. Omitto rationes philosophicas, quibus probatur repugnantia infiniti Categorematici; quæ in re nostra possent aptari.

Confirm. gratia habitualis Christi saltem per potentiam absolutam potuit augeri, ergo non fuit physice infinita, cum infinitum sit illud, quo nec majus est, nec esse potest; pr. ant. Si non potuit augeri, vel est ratione sui, vel subjecti receptivi, vel agentis à quo, & finis ad quem est, sed ex nullo capite, ergo; non quidem ratione sui, quia cum gratia sit participatio divinæ naturæ, finite in infinitum potest participari; non subjecti, nam hoc est anima, quæ non sumitur secundum potentiam naturalem, sed obedientialem, habens secundum hanc capacitatem Syncategorematice infinitam, non agentis, hoc enim est Deus ut author supernaturalis, cujus virtus terminum non habet, itaut posito quocumque gradu ad gratiam pertinente, alium gradum possit superaddere; non tandem finis, hic enim vel est participatio naturæ divinæ, vel visio beata, de illa jam dictum est, ista vero major, & major esse potest in infinitum, ideo nunquam esse potest comprehensiva, ergo.

13. Dices; infinitatem gratiæ habitualis desumendam esse ex infinitate unionis hypostaticæ, à qua veluti à radice progreditur, sicut enim unio hypostatica fuit major quacumque unione possibili, ita gratia habitualis quacumque possibili gratia, ut detur proportio inter radicem & id quod ab ipsa est.

Sed contra, argumentum nimis probat, nam sequeretur in Christo fuisse etiam infinitam visionem beatam, & infinitos quoscumque habitus virtutum procedentes ab unione hypostaticã, tanquam à radice; est igitur gratia habitualis à gratia unionis, quam transmitto fuisse omnium maximam, attamen est in subjecto finito, id autem quod est ab alio, tamquam sui fonte, debet cum illo proportionem servare juxta capacitatem subjecti; Unde quemadmodum, si subjectum nullo modo esset capax gratiæ habitualis, nullo modo hæc communicaretur etiam communicata unione hypostatica, ita si subjectum est capax tantum modo finito, tantum modo finito communicatur. Quod vero cum multis addit Cacheranus, capacitatem subjecti esse infinitam, non refert, nam quo pacto infinita sit, constat; & sequeretur, quemcumque beatum videre infinite Deum, aut saltem posse videre, cum videat per potentiam obedientialem, per quam subditur agenti infinito, quod tamen nemo dicet.

14. Licet autem gratia Christi potuerit sic crescere in infinitum per potentiam extraordinariam, attamen fuit tantæ intensionis, ut excesserit quamlibet gratiam sanctis communicatam, & hoc pro-

propter statum connaturalem gratiæ Christi, quæ debuit esse gratia capitis; immo fuit major omni gratia collective sumpta tum hominum tum Angelorum juxta id quod ait Angelic. q.34. art 4. ubi habet. Manifestum est, quod Christus in primo instanti suæ conceptionis non solum tantam gratiam, quantam comprehensores, sed etiam majorem habuit. Hinc si de Maria Virgine legitur gratiæ plenitudo Luc.10. *gratia plena* & de S. Stephano act.7. *Stephanus plenus gratia* hoc est intelligendum tantummodo de plenitudine secundum quid, non autem absolute, & ut comparata ad plenitudinem gratiæ Christi, de qua Joan.1. vidimus &c. *plenum gratiæ* & ad Colos.1. *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*. Quamobrem distinguit S.Th.q.7.art.10. triplicem gratiæ plenitudinem, unam infimam pro sanctis infimis, aliam pro insignioribus, postremam summam Christo tantum convenientem. Si vero Bernardus in sermone de Nativit. Virginis plenitudinem Christi comparat fonti, Mariæ flumini, sanctorum rivulis. Alexander tandem 3. p. q.12. notat, quatuor modis accidere plenitudinem gratiæ. 1. secundum sufficientiam ad merendum vitam æternam, & hoc modo inquit fuisse plenum Stephanum; 2. in numero, & sic est plena Ecclesia.3. secundum privilegium super omnem creaturam, & hoc modo Beatiss. Virgo. 4. secundum consummationem, & hoc modo in omni genere causæ fuit plenus Dominus Jesus.

ARTICULUS III.

An in Christo fuerint omnia dona Spiritus Sancti, & omnes gratiæ gratis datæ.

15. Quænam sint & quot dona Spiritus Sancti, res adeo comperta est, ut etiam pueris nota esse debeat. Hæc omnia in Christo fuisse, habetur ex illo Isaiæ 10. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Dominus spiritu timoris Domini* atque etiam hoc colligi posset ex illo Lucæ 4. *Jesus autem, plenus Spiritu Sancto, regressus est à Jordane, & agebatur à spiritu in desertum.* Primo textui adhærens Theodoretus, inquit. *Prophetæ singuli particularem quidem gratiam quamdam acceperunt, in ipso autem habitavit tota plenitudo divinitatis corporaliter, & secundum humanitatem omnia spiritus habuit charismata.* Nihilominus fuerunt aliqui Theologi, præsertim Durand. in 3. dis.35. q.3. qui quatuor dona, videlicet consilium, fortitudinem, pietatem, & timorem in Christo non fuisse dixerunt, saltem secundum actum, esto concesserint secundum habitum; ratio est, quia hæc dona nequeunt esse in beatis, siquidem pietas est ad compatiendum proximo, consilium ad deliberandum in dubiis, fortitudo ad ardua superanda, timor tandem ad fugiendum malum, nihil autem ex istis in beatis esse potest, proinde neque in Christo, qui beatus fuit, quapropter sicut excludimus fidem, & spem ex dicendis in sequenti, ita & illa dona. Hæc tamen quam minimi facienda sint, quisquis intelliget, si Christum non solum comprehensorem fuisse, sed etiam viatorem concedat, ut debet; quandoquidem, si de dono pietatis & fortitudinis loquamur, an defuerunt plures circumstantiæ, quibus fratribus suis compassus est? *Misereor*, inquit, *super turbam, quia jam triduo sustinent me*. Quot etiam ipsi pericula non se objecerunt, quæ per fortitudinem superare poterat, ac superavit? sed revera donum pietatis male explicatur à Durando, non enim præcipue versatur in compatiendo proximo, sed in cultum Deo reddendo. Si vero de dono consilii, pertinet hoc ad actum quemdam pru-

prudentiæ, quam in Christo fuisse, quis ibit inficias, nisi imprudens? neque verum est, necessario annexum esse alicui consultationi sed per hoc præcise servatur, quod habeatur verum, certumque judicium de rebus agendis.

16. Major difficultas esse posset de timore; 1. quia, si in Christo non fuit spes, neque fuit timor. 2. quia timor non potest explicari nisi per hoc, quod quis timeat separari à Deo, qui dicitur timor castus, vel à Deo puniri, qui dicitur timor servilis; neuter autem esse potuit in Christo, quia sicut peccare non potuit, ita nec potuit à Deo puniri, vel à Deo separari. Tandem, ubi est perfecta charitas, non est timor, *perfecta enim charitas foras mittit timorem*. Joan.4. sed in Christo fuit perfecta charitas, ergo.

17. Hæc tamen omnia evanescunt, si attendamus, timorem non solum versari circa malum culpæ, vel pœnæ, sed etiam eminentiam & potestatem illius, qui timetur; in primo sensu non admittitur in Christo, & hoc probant argumenta adducta, admittitur tamen in secundo, quatenus affectu quodam reverentiæ à Spiritu Sancto movebatur in Deum, propter quod ad Hebr.5. dicitur, *in omnibus exauditus est pro sua reverentia*. Posse autem hujusmodi timorem haberi, aperte colligitur ex Scripturis Sanctis. Luc.7. *accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum & 5. Repleti sunt timore dicentes, quia vidimus, mirabilia hodie*. Hunc remanere in patria testis est David ps.18. dicens, *Timor Dei permanens in sæculum sæculi*. Testis est Dionys. Areopag. cap.13. de cœlesti Hierarch. explicans illam visionem Isaiæ, in qua Seraphim velabant facies suas, ubi ait. *Aperiebatur per hæc altissimorum Spirituum vis multa peragrans, multaque prospiciens, sacraque illorum & plena horroris veneratio*. Testis est Gregor. Magnus lib.17. Moral. cap.15. hisce verbis. *Ipsæ quoque virtutes cœlestium, qui hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt*.

18. Pro disparitate ad primum argumentum, scias, habitum virtutum, & donorum per se primo respicere bonum, malum autem ex consequenti, quia ad virtutem pertinet reddere opus bonum ex 2. Ethic. & ideo ad timorem pertinet per se primo respicere eminentiam illius, qui timetur, non vero malum illud, quod timeri potest; Spes autem, ut virtus est, non solum respicit authorem boni, sed etiam ipsum bonum, ut possidendum, proinde in Christo non admittitur spes propter beatitudinem, admittitur tamen timor. Hisce omnibus adde Innoc.2. qui damnavit Abailardum dicentem, in Christo non fuisse donum timoris, ut colligitur ex ejus epist. quæ est 194. inter epist. S. Bernard.

19. Progrediendo modo ad gratias gratis datas, quas recenset Paulus 1. ad Corint.12. *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem; Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem spiritum, alii fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum*. Has in Christo fuisse tenendum est.

20. Hoc satis colligitur ex epist. August.57. ad Dardanum dicentis. *Sicut in capite sunt omnes sensus, ita & in Christo omnes gratiæ*. Ratio autem est, quia sicut in sensitivis facultatibus aliquæ sunt, quæ respiciunt bonum proprium, & aliæ quæ referuntur ad bonum alienum, ut est generativa, ita in Christo præter gratiam habitualem, quę confert ad actus proprios interiores, & meritorios, gratiæ gratis datæ deesse non poterant, quia istæ conferebant ad communem utilitatem, ut scilicet Christus fidem cum fructu populis prædicaret, ac propriam dignitatem ostendendo, sibi sectatores compararet, eam Ecclesiam

clesiam fundando, cujus lapis angularis, & fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, est ipse Christus.

21. Verum hoc magis declaratur singulas hujusmodi gratias percurrendo. Fuit in primis in Christo sermo sapientiæ, nimirum cognitio divinorum per altissimas causas cum facilitate mirabilibus modis illas explicandi, tum sermo scientię, idest cognitio rerum humanarum ac divinarum, sed per causas inferiores, ideo Luc.4. legitur. *Mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant ex ore ejus*; & Mat.7. *Admirabantur turbæ super doctrina ejus*. Fuit gratia fidei; non quidem, ut est virtus theologica, sed ut significat singularem intelligentiam, & certitudinem rerum fidei, vel ut innuit miram idoneitatem ad proponenda mysteria, etiam rudibus, ac imperitis, vel, ut tandem explicat firmam fiduciam impetrandi ea quæ à Deo postulantur. Fuit gratia sanitatum, & operatio virtutum, hec pro hac re quidpiam adduco, cum plena sit historia evangelica. Fuit Prophetia, quamvis hoc à pluribus negatur, præsertim Abulen. in cap.11. Num. q.64. dicente, Christum non fuisse Prophetam, nisi appellatione, & existimatione vulgi.

22. Ad hoc dicendum videtur esse satis efficax ratio desumpta ex illo Apos. 1. ad Corint.13. *sive prophetiæ evacuabantur &c.* & statim, *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*. Quapropter, cum Christus habuerit visionem beatam, ab ipso prophetiæ donum debet excludi; & profecto, nunc Christus non est Propheta, alioquin omnes beati essent prophetæ, ergo nunquam talis fuit, cum in anima Christi semper fuerit eadem supernaturalis cognitio. Huic opinioni valde favet Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap.22. dicens, *Deum à principio prædixisse populo Israel, ut audiret Christum sub nomine Prophetæ, quoniam Propheta existimandus erat à populo*.

23. Nihilo tamen minus dici debet, Christum vere, ac proprie fuisse Prophetam. Hoc nobis declarant innumera scripturæ loca. Deuter. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus*. Luc. 7. *Propheta magnus surrexit in nobis*. 24. *Qui fuit vir Propheta potens in opere, & sermone*. Immo Christus de se ipso dixit Joan.4. *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua*. Hæc omnia complexus est S. Augustin. tract. 15. in Joan. explicans illud Joan.4. *Domine, ut video, Propheta, es tu* ubi dicit. *Prophetam dominum putabat, erat quidem & Propheta: nam de se ipso ait, non est Propheta sine honore, nisi in patria sua &c. item de illo dictum est à Moyse, Prophetam suscitabo de fratribus eorum similem sui, similem scilicet ad formam carnis, non ad eminentiam Majestatis*. Immo lib. 16. contra Faustum cap.18. hæreticam vanitatem appellat, negare intelligendum de Christo dictum illud superius Deuteron.

24. Sed ne detur locus explicationi superius expositæ, juvat hoc demonstrare ratione, per quam & opposita argumenta refelluntur, est autem illa, quam hic adducit S. Th., nimirum, non pertinere ad Prophetam cognitionem obscuram, sed indifferenter, sive claram, sive obscuram, sufficit enim illa cognitio, quæ longe distat à sensibus hominum, & ab ordinaria cognitione viatorum; ideo Propheta dicitur *procul fans*. Immo tantum abest, prophetiam per cognitionis claritatem impediri, ut Prophetæ in scripturis appellentur videntes, ideo Saul quærens asinas inquit, *Ubi est domus videntis?* & respondit Samuel, *Ego sum videns* 1. Reg. cap.9.

25. Ad primum igitur in oppositum, dico gratiam illam evacuari in patria, quantum ad necessitatem, quia ipsius munera sunt accommodata statui viæ, est enim prophetia cognitio eorum, quæ

quæ distant secundum statum cognoscentis. Christus autem in statu viæ, propter conditionem corporis passibilis, distabat ab iis, quæ divinitus cognoscebat. Ex hoc ad 2. Quod si Joannes Baptista dicitur plusquam Propheta, hoc non indicat, in prophetiæ dono Christum excelluisse, sed solummodo alios Prophetas, quia digito demonstravit præsentem, quem alii prænuntiaverant futurum. Ultimum Tertulliani non probat, nam aliquem existimari Prophetam non infert, illum non esse prophetam, immo quia Christus existimandus erat Propheta, talis esse debebat, ne existimatio foret erronea.

26, Fuit pariter in Christo discretio spirituum, idest potestas penetrandi secreta, & pro hoc sufficiat quod legitur Mat.9. *Cum vidisset Christus cogitationes eorum, dixit, ut quid cogitatis mala in cordibus vestris*, & 12. *Jesus autem sciens cogitationes eorum*. A fortiori admitti debet interpretatio sermonum. De dono linguarum arbitror, Christum hoc usum non fuisse, etenim ipse aliis non prædicavit, quam hebræis juxta illud Mat.15. *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*; attamen hoc non probat, non fuisse in ipso linguarum notitiam; Dici tamen posset diversis aliquando linguis fuisse loquutum, ut quando peregrinatus est in Ægyptum, vel cum scripsit epistolam ad aliquem alienæ linguæ, ut ad Abagarum scripsisse, non nulli testantur.

ARTICULUS IV.

An in Christo fuerint habitus Virtutum.

27. Virtutes alias esse Theologicas, habentes pro objecto immediate Deum, ut authorem supernaturalem, alias intellectuales, perficientes intellectum vel speculativum, ut mathematica, vel practicum, ut prudentia; item alias morales, spectantes ad appetitum vel sensitivum, vel rationalem per respectum ad bonum consentaneum rationi, ut justitia, & temperantia, omnibus compertum est. Theologicæ sunt absolute supernaturales, cæteræ vero dividuntur in naturales, & per se acquisibiles; & in supernaturales, & per se infusas.

28. Assertio prima. In Christo fuerunt omnes virtutes supernaturales sive Theologicæ, sive morales per se infusæ, non repugnantes tamen cum statu beatifico.

Prob. in Christo ex dictis fuit gratia habitualis, ergo fuerunt reliquæ virtutes. Prob. consq. virtutes consequuntur gratiam, sicut proprietates essentiam, at ubicumque est essentia, sunt etiam proprietates, ergo ubicumque est gratia habitualis, sunt etiam virtutes. Hinc Concil. Trid. sess.6. cap.7. explicat justificationem nostram per susceptionem non solius gratiæ, sed etiam donorum, quæ quidem nihil aliud esse possunt, præter virtutes, ratio autem fundamentalis est, quia & ipsæ virtutes pertinent ad ornatum, & quamdam accidentalem sanctitatem, quæ sit perfectio immediata potentiarum, sicut gratia spectat ad sanctitatem, & immediatam animæ perfectionem.

29. Quod vero additnm fuit in assertione, excludit pr. à Christo habitum fidei Theologicæ, & spei; fidei inquam, cum *ista sit sperandarum suastantia rerum, argumentum non apparentium*. Ad Hebr.11. spei vero, cum ista formaliter tendat in Deum non possessum, sed possidendum, non in objectum præsens, sed in absens; atqui primum non potuit Christo contingere, cum verum sit, quod dixit ei Petrus Joan. ultimo. *Tu omnia nosti* ergo; secundum neque, quia ejus anima semper Deum possedit, ergo.

30. Non inficior tamen aliquem autem fidei, & spei in Christo fuisse; sed neque illa fides, neque illa spes erat Theologica, de quibus est noster sermo; cum utrique deesſ-

deesset objectum primarium, nimirum Deus obscure cognitus, & beate non obtentus. Speravit quidem Christus gloriam sui corporis, suique nominis exaltationem &c. at hæc omnia non pertinebant ad spem vere theologicam, sed erant quædam consectaria, ac de secundario omnino se habebant; quare dixerunt aliqui, in Christo fuisse fidem & spem quantum ad ea, quæ perfectionis sunt in hisce actibus, non vero quæ sunt imperfectionis, in quo sensu sicut admittitur in beatis, ita etiam Christo negari non debet; Et si mihi opponeres in Christo fuisse gaudium & tristitiam, ergo etiam visionem & fidem; jam clara disparitas est, quia fides debet esse de eodem objecto, de quo est visio, non sic gaudium & tristitia uti dictum fuit, præter alia, quæ in eo loco tradita sunt.

31. Si vero virtutes morales consideremus, videtur probabilius excludenda pœnitentia, cum objectum, seu materies istius sit peccatum proprium; ut emendabile ab homine, cooperante Dei gratia, saltem de primario; ubi autem deest objectum primarium alicujus virtutis, deest etiam talis virtus, ergo. Sunt tamen plures Doctores, præsertim Suarez, & Ariaga, qui tribuentes virtuti pœnitentiæ plures alios actus, præsertim circa peccata aliena, virtutem hanc Christo non denegarunt. Quantum vero ad virtutes naturales morales.

32. Assertio 2. Istę fuerunt in Christo, & probabilius acquisitæ in conceptionis instanti, non successu temporis. Prima pars est communis. Secunda est contra Salmantic. Joann. à S. Th. Alvarez, & alios, quorum aliqui docent, fuisse acquisitas successu temporis, aliquas fuisse infusas per accidens.

Primum ostenditur, quia Christus fuit perfectus Deus, & perfectus homo, fuerunt igitur in Christo omnes virtutes acquisibiles; sic enim fuit ornatus omni perfectione sibi connaturaliter debita, quemadmodum sunt omnes virtutes morales, per quas complentur potentiæ ad suaviter, & faciliter proprios actus habendos. Quod si in Christi intellectu fuit scientia non solum in ordine supernaturali, sed etiam naturali, cur non etiam in ejus voluntate omnes virtutes, non solum supernaturales, sed etiam naturales? an non fuit conveniens utramque ejus facultatem esse æqualiter perfectam atque completam?

33. Secundam assertionis partem sic declaro. Virtutes morales admitti debent in Christo modo perfectiore, quo possumus, sed dicendo fuisse acquisitas per proprium actum in conceptionis instanti, neque per accidens infusas, illas in Christo admittimus tali modo, ergo. Prob. mi. dicendo, esse acquisitas primo conceptionis instanti, excludimus imperfectionem, quam haberet privatio harum virtutum, dicendo, non fuisse per accidens infusas, asserimus, Christum non fuisse solum principium earumdem passivum, sed activum, quod perfectius est; ergo. Dixi, *per proprium actum, non per proprios* cum videatur impossibile, tot actus pro unico instanti haberi potuisse, non sic vero unicum actum in virtute multiplicem, qui satis est, sicut una causa multiplex in virtute ad tot diversos effectus extenditur.

34. Op. contra primam. Virtutes morales acquisitæ nequeunt esse cum statu beatifico, juxta id, quod docet S. Th. pluribus in locis dicens, in patria permanere virtutes morales per se infusas, non acquisitas, ergo. Præterea. Christus propter unionem cum Verbo nullum habuit fomitem, nullamque passionem deordinatam, ergo in ipsius anima erant superfluæ virtutes morales passionum moderationi servientes. Rursus. Christus debuit semper operari ex merito supernaturali, igitur per solas virtutes supernaturales; ant. ostenditur, quia Christus fuit supremum operans in lineâ virtutis.

35. Resp. negari posse antec. juxta ea, quæ tradidi in quæstionibus de ani-

ma, attamen distinguo; quantum ad omne exercitium aliquarum, & objectum materiale transf. quantum ad objectum formale ne. ant. & conf. & sic explico S. Th. In beatis nequit reperiri omne exercitium aliquarum virtutum moralium, neque earumdem objectum materiale perseverare, ex: causa cibus, in quo habetur medium per temperantiam, contractus, in quo habetur justitia, perseverat tamen objectum ipsarum formale, consistens in reddendis potentiis recte dispositis ad servandum medium in quacumque re, & ad eligendum juxta rationem. Adde, animam Christi fuisse quidem beatam, non tamen corpus, & ideo in Christo fuisse virtutes morales naturales inclinantes ad prompte, & suaviter exercendum corpus passibile, & mortale, quod de beatis non tenet.

Ad 2. conc. ant. ne. conf. Virtutes enim morales dantur de secundario ad reprimendas passiones, si istæ deordinatæ sint, de primario vero ad inclinandam potentiam, ut suaviter & prompte in bonis actibus se exerceat, eo pacto quo erant in Beatissima Virgine, licet careret omni fomite.

Ad 3. argumentum nimis probat, nam sequeretur, Christum debuisse semper operari ex solo motivo charitatis, quæ major est omnibus virtutibus supernaturalibus per se infusis, & tamen constat, operatum etiam esse ex motivo aliarum virtutum, præsertim humilitatis, & obedientiæ. Christus igitur fuit supremum operans in linea virtutis eo modo, quo fuit nostrum caput, sed fuit nostrum caput non solum in supernaturalibus, sed etiam in naturalibus, præcipue in linea moris, ergo etiam debuit aliquando operari ex motivo naturali morali, & ideo &c.

36. Op. contra secundam. Non potuit Christus omnes virtutes morales acquirere pro primo instanti, acquisivit igitur successu temporis; prob. ant. Non potuit Christus pro primo instanti habere præsentes omnes materias, & objecta omnium virtutum moralium, sicut non poterant in Christi intellectu esse præsentes omnes species, ergo. Unde sic roboratur argumentum; Scientia acquisita fuit in Christi intellectu successu temporis, ergo etiam virtutes morales in ejus voluntate, hæc enim sequitur modum, quo agit intellectus, Christus igitur vel non habuit ab exordio omnes virtutes morales, vel illas habuit infusas.

Resp. transmittendo, non potuisse in Christi intellectu esse præsentes species acquisitas omnium objectorum, hoc tamen nego de speciebus infusis; Appetitus autem Christi, utpote perfecte sanus, nullam patiebatur difficultatem in objectis, & intellectus scientiæ infusæ beneficio, habens præsentes omnes species objectorum, illas exhibere poterat Christi voluntati; Magna autem est diversitas inter virtutes morales, & scientias acquisitas, quia, cum intellectus non possit connaturaliter operari, nisi dependenter à phantasmatibus, indiget operationibus sensuum externorum, qui non percipiunt omnia simul, sed prout occasiones sese exhibent, & ideo non nisi successu temporis actus suos potest proferre; at voluntas, præexistente scientia infusa, potest exercere actus virtutum, non expectando occursum objectorum, ut constat in paupere, qui etiam sine pecunia potest exercere virtutem liberalitatis.

37. Dices, scientia infusa non potest esse regula actuum virtutum acquisitarum, illa enim est supernaturalis, & ex alia parte dari debet proportio inter regulam, & id, cujus est regula. Sed contra, ea proportio dari debet, ut regula non sit inferioris ordinis, non autem ut debeat esse æqualis; Manifestum est hoc in charitate, quæ licet perfectior actibus potentiarum naturalium, attamen imperat ipsis potentiis, earumque dirigit operationes. Si æquale potest esse regula æqualis, à fortiori superior esse potest

poteſt regula inferioris, ideoque, ſi per ſcientiam nuturalem acquiſitam poſſunt dirigi virtutes naturales morales, potiori jure poterunt dirigi per ſupernaturalem ſcieptiam infuſam.

38. Opp. ultimo. Non debet Chriſto denegari quod Adamo conceditur, ſed Adam in primo inſtanti habuit infuſas omnes virtutes morales, ergo etiam Chriſtus.

Reſp. tranſ. maj. conc. mi. ne. conſ. & dico, ſic concedi Chriſto quid perfectius, quam Adamo, cum iſte fuerit in primo inſtanti principium mere paſſivum illarum virtutum, Chriſtus vero etiam activum, quod perfectius eſt, juxta dicta in prob.

QUÆSTIO VII.

De Chriſti merito.

ARTICULUS I.

An, & quo tempore Chriſtus meruerit.



Um meritum dependeat à voluntate præſuppoſita cognitione, non inaniter examinata intellectus, & voluntatis Chriſti perfectione quæſtionem de ipſius merito propono.

1. Quantum ad primam tituli partem, Chriſtum vere ac proprie meruiſſe, eſt acceptandum tanquam dogma fidei.

Prob. 1. ex illis ſcripturis ſacris, in quibus commendantur patientia, labor, humilitas, & obedientia Chriſti. Secundo ratione, Chriſti opera habuerunt quidquid requiritur, ut opus aliquod ſit meritorium, ergo fuerunt meritoria; prob. ant. Ut opus ſit meritorium, requiritur ex parte operantis ſtatus viæ, ac ſtatus gratiæ, ex parte operis libertas, honeſtas, ac ſupernaturalitas, ut dixi in propria quæſtione de merito in ſecundo opuſculo; Sed in Chriſto erat ſtatus viæ, quia licet Chriſtus eſſet comprehenſor, attamen habebat corpus paſſibile, & ejus anima operabatur dependenter à corpore, erat ſtatus gratiæ, uti probatum fuit, ex alia parte erat libertas juxta ſententias, quas adduxi, de honeſtate & ſupernaturalitate non eſt ambigendum; ergo. Verum punctum hoc magis infra ſtatuetur.

2. Quantum ad aliam partem, 1. quæritur an Chriſtus meruerit à primo ſuæ conceptionis inſtanti.

In hac re non defuerunt plures Theologi, qui dixerunt, Chriſtum in primo inſtanti nec meruiſſe, nec mereri potuiſſe. Ita Alexan. 3. p. q. 17. art. 1. mem. 2. Albert. in 3. diſ. 18. art. 6. Bonavent. Durand. & illi omnes, qui ſuſtinent, Angelos in primo inſtanti nec potuiſſe peccare nec mereri, ut ſunt Hugo de S. Vict. Henric. & Capreol. Horum porro ratio multiplex eſſe poteſt. Primo, quia in eodem inſtanti nequit res produci & operari, ergo neque mereri. Secundo, quia pro primo inſtanti nequit eſſe libertas, & indifferentia, cum hæc debeat reſpicere inſtans poſterius, ſed ad meritum requiritur libertas & indifferentia, ergo. Ferme in idem venit, quod ait Bonaventura, nimirum in primo inſtanti eſſe non poſſe conſultationem, quæ ad libere operandum neceſſaria cenſetur. Tertio, quia prior debet eſſe operatio naturalis, quam libera à voluntate progrediens, igitur prima operatio non poteſt eſſe meritoria. Duran-

randus vero concedens, Angelos pro primo instanti potuisse mereri, hoc de Christo negavit, quia, aut meruit per operationem beatificam, & hoc non, propterea, quæ inferius tradentur, aut per aliam actionem, & hoc neque, cum hæc esse debuisset actio voluntatis, quæ consequitur actum intellectus, at pro primo instanti nulla fuit actio intellectus, quæ esse posset principium actionis liberæ voluntatis, siquidem vel fuisset scientia experimentalis, vel infusa, non prima, cum hæc fiat ministerio sensuum, non secunda, cum etiam ista exerceatur dependenter à sensibus per conversionem ad phantasmata, ergo.

3. Dicendum tamen est; Christum à primo suæ conceptionis instanti meruisse. Hæc est sententia apud omnes celebriores Theologos accepta, traditur à S. Th. q.34. art.3. Scoto q. unica §. *Est igitur* Cajetano, Richar., Argentina, Paludano, Gabri. Marsil.

Probari solet hæc assertio ex illo Pauli ad Hæbr. 10. ubi describens adventum Christi adducit illud Prophetæ. *In capite libri scriptum est de me; ut faciam Deus voluntatem tuam*, & inquit, *ideo ingrediens mundum dicit*, *hostiam & oblationem noluisti*, *corpus autem aptasti mihi*. Sed quia testimonium hoc potest pluribus modis intelligi, neque necesse est, illud referamus ad primum instans, ideo melius probari non potest, quam negativa ratione; nimirum cum hoc valde conferat ad dignitatem meritorum Christi, asserendum procul dubio est, si nihil in oppositum evincere potest, sed res ista se habet, ut constabit ex mox dicendis, ergo.

4. Jam vero hoc ostendo refellendo ea, quæ fuerunt opposita. Ad primum negatur antecedens loquendo de eodem instanti temporis, pro qua re plura afferuntur à Vasquez 1. p. disp. 236. cap.4. sed omnia reducuntur ad hoc, quod satis sit, si intelligamus prioritatem naturæ, qua rei productio rei operationem præcedit, quemadmodum dicunt Philosophi, solem præcedere suæ lucis profusionem; eodem igitur instanti temporis, quo incæpit esse humanitas Christi, potuit cognosci ab ejusdem anima divina bonitas, divinumque mandatum, & statim amari, nec non obsequentissime recipi. Eodem modo refellitur argumentum secundum, quamvis enim concedamus libertatem, & indifferentiam, saltem contradictionis, requiri ad opus meritorium, attamen negamus requiri tempus posterius, quod ab indifferentia respiciatur, cum pro eodem temporis momento haberi possit. Hoc idem dicimus de consultatione, seu deliberatione, qui enim perfecte cognoscit, non indiget aliquo discursu, aut mora, sed sola propositione, quæ instantanee haberi potest, ut optime ait Scotus in 3. dis. 18. q. unica superius citata. Quod vero dicitur, actionem naturalem priorem esse debere actione libera, absque aliquo fundamento dicitur, loquendo de prioritate temporis. Multo minus approbari potest argumentum Durandi, quod si probaret, sequeretur, Christum non solum non meruisse pro primo suæ conceptionis instanti, sed neque toto infantiæ tempore, quod non sine temeritate dici posset; immo contrarium est Patrum suffragiis, ex quibus duos proferam tantum. Accipe Ambrosium lib.2. in Luc. cap.2. de Nativit. Salvat. ubi inquit. *Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lacrymæ illæ delicta laverunt.* Accipe Augustinum serm. 11. de temp. *Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt medicamina naturæ*.

5. Secundum, quod quæritur, est, utrum meruerit Christus pro toto tempore vitæ.

Pro qua re nullus afferri potest sanæ mentis, ac doctrinæ Theologus, qui contrarium senserit; Nihil enim fuit in Christo, quod aliquando interrumperet, seu ejus meritum impediret; an somnus, an infantia, an organorum, ac sensuum dispositio? neutrum profecto, poterat enim Christus opera meritoria perficere

re sine aliquo corporis ministerio dependenter à scientia infusa, quæ nequaquam, ut supra dicebat Durandus, per conversionem ad phantasma haberi debet; Quod si nulla interruptio meriti fuit in Angelis bònis pro statu viæ, quare in Christo? Sive postea hoc meritum dici debeat unicum, vel multiplex, discutiant authores, nihil mea interest; paucis tamen me absolverem dicendo, fuisse unum continuatione, non fuisse unum virtute, cum de uno actu virtutis in alium transiret.

6. Quod tertio quæritur est; an meritum Christi fuerit tantum pro toto tempore vitæ mortalis, vel etiam post mortem.

Existimo veram esse sententiam illam, quam communius docent Theologi, Christum post mortem non meruisse, etenim in morte sua consummatum est opus redemptionis nostræ, juxta id quod habet Paulus ad Hebr. 1. *Hic autem unam pro nobis offerens hostiam in sempiternum, sedet in dextera Dei, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus, una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Et cap. 9. *Christus autem &c. introivit semel in sancta æterna redemptione inventa*. Ratio autem hujusce rei non aliunde sumenda est, quam à divina voluntate, quæ statuit ad merendum solum statum viæ, quæ tempus vitæ mortalis non excedit. *Quodcumque potest agere manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio est apud inferos, quo tu properas*; legitur. Eccles. 9. & iterum, *ante obitum operare justitiam*. Sed hoc jam statutum fuit in propria quæst. de merito? Ab hac autem lege universali non est excipiendus Christus, nisi aliud ex Scripturis & Patribus colligamus, quod non contingit, immo videtur ipse Christus in ea se comprehendisse, dum Joann. 9. dixit, *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari*. Per noctem autem mortem intelligi, communis est Sanctorum Patrum expositio. Chrysost. hom. 55. in Joan. August. tract. 44. in Joan. Hieron. super Eccles. 9. &c.

7. Videtur tamen dici posse, ab hac lege Christum excipiendum esse, nam sicuti habuit in via visionem beatam, quam ceteri homines non assequuntur, nisi in termino, habeat virtutem merendi, licet non habeant alii, tum quia Christus fuit perfectus Redemptor, ad perfectum autem Redemptorem non solum spectat exhibere merita pro redemptione obtinenda, sed etiam gratias agere pro redemptione obtenta, sed hoc pacto debuit mereri etiam post mortem, ergo.

Sed contra. ratio prima non tenet, nam pro ipsius visione beata in via multum suadet authoritas, multum suffragatur ratio, e contra pro ejusdem merito in termino nec ulla authoritas, nec ullum argumentum profertur, & ad summum hoc fieri potuisse, non tamen hoc factum esse, probatur. Ad aliam partem, non pertinet ad necessitatem redemptionis gratias rependere per redemptione obtenta, præsertim si solutio sit superabundans, ut in nostro casu. Adde, hoc anticipate à Christo præstitum esse.

8. Dices ulterius. Christum meruisse per vulnus lateri inflictum, & nunc mereri per orationem, quam tanquam advocatus noster offert Patri in cælis. Prima pars antec. traditur à pluribus Sanctis Patribus. Unde ait Leo Papa epist. 4. *Tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ejus profluxerunt sanguis redemptionis, & aqua baptismatis*. Et August. tract. 120. in Joan. O *Mors, unde mortui reviviscunt*: *quid sanguine isto mundius, quid vulnere isto salubrius*? Et clarius Ambros. lib. 10. in Luc. cap. de commendat. Mariæ. *Ex illo incorrupto corpore, sed defuncto, omnium vita manabat, aqua enim & sanguis exivit, illa, quæ diluat, iste, qui redimat*. Secunda vero pars ostenditur, nam orando pro nobis vel aliquid pro no-

nobis obtinet, vel nihil, si nihil ergo frustra orat, si aliquid, ergo meretur.

Sed contra. Vel dico Christum meruisse per vulnus lateris non ut inflictum post mortem, sed ut prævisum, & voluntarie acceptatum ante mortem, vel vulnus illud significasse meritum Christi, sicut significavit duo præcipua Sacramenta, idest Baptismum, & Eucharistiam. In quo sensu explicandi sunt Patres.

Ad aliam partem: negant plures Doctores Christum in cælo pro nobis orare, de qua re nolo modo contendere, fortasse locus non deerit, quo punctum hoc stabilietur, & revera dicimus quidem, *Christe audi nos* non dicimus tamen, *Christe ora pro nobis*. Interpellat quidem pro nobis, ut dicit Paulus ad Rom. 8. *Christus Jesus, qui mortuus est, immo qui & resurexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Hoc autem fit repræsentando Patri sua præterita merita; Esto tamen admittamus Christum orare, non recte meritum ejus infertur, orat enim impetrando, non merendo, sicut etiam beati pro nobis orant, & impetrant, ipsis tamen meritum novum non conceditur.

ARTICULUS II.

Quid Christus meruerit sibi, & aliis.

9. Cum omne meritum respiciat aliquid comparandum vel sibi, vel aliis, ideo postquam resolutum fuerit, Christum revera meruisse, modo quæritur, quod propositum fuit. Et primo per respectum ad ipsum Christum.

Jam Christum non meruisse sibi unionem hypostaticam suo loco declaratum, probatumque est; Quod hic primo loco controvertitur, est, an sibi meruerit animæ beatitudinem. In quo quidem puncto plures Theologi affirmativam sententiam docuerunt, ut Altisiodorens. lib. 3. tract. 1. cap. 7. Major in 3. dis. 18. q. 2. aliique, quos Vasquez recenset cum Suarez, qui sustinentes oppositum, plura argumenta proferunt, quæ inutilia esse demonstrant, quæve à me penitus omittentur.

Ego igitur communiorem sententiam, quam tradunt S. Th. hic, Scot. in 3. dis. 18. q. unica, Bonavent. Palud. Gabriel. Marsil. amplector, ita ut dicam, Christum sibi non meruisse suæ animæ beatitudinem; & quamvis Doctor subtilis pluribus argumentis id contendat ostendere §. *Hoc viso* omnia tamen ad hoc reducuntur, quod visio beata perfectissimo modo antecessit quemcumque actum meritorium, ergo Christus illam non meruit; in quo tamen nihil perfectioni, & dignitati Christi imminutum est, quia ipsius meritum ad hanc se potuisset extendere, si ipsi prius non fuisset communicata, quare ipsum non meruisse, non fuit ex meriti defectu, sed propter divinam liberalitatem, qua Deus voluit quamcumque Christi operationem prævenire, atque ita in eum dilectionem suam magis ostendere. Hoc amplius declaratur, si attendamus, scientiam beatam præcessisse in Christo scientiam infusam; Sive ergo regula meritorum Christi fuit scientia beata, ut satis probabile dicam, sive fuerit scientia infusa, ut indicavi, semper verum erit, quodcumque meritum Christi fuisse posterius, & dependens ab ea, vel tanquam in genere causæ effectricis, vel saltem adinstar conditionis, proinde ex illo jam trito principio, principium meriti non potest cadere sub merito, satis colligitur, visionem beatam sibi non meruisse. Utrum autem hoc possibile fuerit, inquirant alii, qui possibilibus quæstionibus non mediocriter delectantur. Ex superiori posita ratione consequitur etiam, Christum non meruisse sibi gratiam habitualem, & sanctificantem.

10. Secundum, quod quæritur, est, an Christus meruerit sibi gloriam sui corporis, suique nominis exaltationem. Hoc

Hoc negat Calvinus, ut testatur Adamus perpendens illud ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum &c.* contendens, omnia Christi merita fuisse tantum pro nobis. Quod primo declarat ratione, deinde variis scripturæ testimoniis. Omnia enim, inquit, quæ Christo collata sunt, sive pro corporis gloria, sive pro sui nominis exaltatione, aliis titulis illi debita erant; corporis gloria propter visionem animæ beatam, exaltatio nominis propter unionem hypostaticam, Scriptura vero ubicumque de Christo loquitur, tanquam de dono nobis facto sermonem habet: Leges Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* 17. *Pro illis sanctifico me ipsum.* Ad Rom. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Unde & in veteri testamento hoc prædictum fuerat; *Puer natus est nobis.* If. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Zachar. 9. Finis igitur meritorum Christi non pro Christo fuit, sed tantum pro nobis. Hæc Calvinus.

11. Dogma tamen fidei est, Christum meruisse sibi gloriam sui corporis. atque sui nominis exaltationem. Hoc innuunt plura scripturæ loca, qualia sunt Luc. 24. *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum, propter quod & Deus exaltavit illum &c.* Ad Hebr. 2. *Vidimus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* In sensu nostro hosce textus intellexerunt August. lib. 2. contra Maxim. cap. 5. Chrysost. Ambros. Beda explicantes laudata Pauli testimonia.

Fundamenta Calvini nullius momenti censenda sunt. Esto enim aliis titulis ea omnia debita essent Christo, attamen non fuerunt statim concessa, sed fuerunt suspensa, ut officium Redemptoris impleret; atque ideo sui sanguinis pretio hæc sibi alio titulo comparavit; in hoc sensu loquutus est Scotus loco adducto, dicens Christum meruisse corporis gloriam indirecte, idest ut removeretur impedimentum ejusdem gloriæ. Scripturæ testimonia unum indicant, aliud vero non excludunt; nisi forte dixeris, per illa exprimi intentionem primariam passionis Christi, non vero omnem intentionem & finem, seu ex eo, quod nobis donatus fuerit ac nos redemerit, reliqua pro se ipso profluxisse.

12. Quantum ad id, quod Christus meruerit aliis, negat Pelagius quidpiam meruisse, & postea negavit Abailardus, quamvis non eodem fundamento. Primus enim, cum non admiserit in nobis peccatum originale, neque gratiæ necessitatem, nullum meritum pro nobis invenit in Christo. Secundus vero, quamvis peccatum originale concesserit, attamen asseruit, nos non fuisse per Christum liberatos à dæmonis captivitate, cum venerit, ut Doctor, non ut Redemptor, non ut nobis satisfactione proficeret, sed solum exemplo & doctrina prodesset. Errores isti refelluntur ex illis, quæ in proprio loco scripsimus de peccato originali, tum ex iis, quæ in hoc tractatu pluries tradidimus; ubi à Christo nos redemptos esse ex scriptura protulimus.

13. Dico 1. Christum meruisse omnibus lapsis omnem gratiam illis collatam. Testatur hoc Apost. Paulus, ad Eph. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo* ubi ait Ambrosius; *Omne donum gratiæ in Christo est, & si quis, spreto Christo, benedici se à Deo putat, errare se sciat*: 2. ad Timot. 1. *Vocavit nos vocatione sua sancta, quæ data est nobis in Christo Jesu.* Juxta hæc Concil. Trident sess. 6. hæc habet; *Declaratur præterea ipsius justificationis exordium per Christum Jesum à præveniente gratia sumendum esse &c.*

14. Hæc certe satis probant non solum de gratia, quæ post bonos motus arbitrii, & fide conceditur, sed etiam de ipsis motibus & de ipsa fide; quia tamen aliqui Theologi, ut Capreol. in 3. dist. 18.

dist.18. art.3. contra argumentum Scoti; Ferrariens.4. contra Gen. cap.55. & alii nonnulli id negare videntur, ideo expressius rem nostram declaramus; Statim autem occurrit idem Paulus ad Philip. 1. inquiens; *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Quem textum, ne detur locus alicui explicationi, Concilium Arausic.2. can.25. sic exposuit; *Quia gratiam etiam post adventum domini omnibus, qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio habere, sed in Christi novimus simul, & credimus largitate conferri, secundum illud, quod prædicat Paulus Apostolus, vobis donatum est &c.* Accedit vero communis Sanctorum Patrum consensus Chrysost. hom.4. in illam epist. August. de prædest. Sanct. cap.25. Hieronym. Ambros. Theophil. Sed clariora Patrum testimonia afferemus. *Accepimus de plenitudine ejus, primo gratiam ac cursum accepimus, gratiam pro gratia, quam gratia primo accepimus? fidem, in fide ambulantes in gratia ambulamus.* Ita August. tract.3. in Joann. *Cum in via sum Christi, cum pervenero, Patris sum, sed ubique per Christum, ubique sub Christo, quis autem neget eum, qui credit, & recte ex gratia Dei operatur, ante justificationem esse in via? Dicamus igitur ipsum credere, & recte operari, esse Christi.* Sic Ambros. lib.5. de fide cap.6. explicans illud Joan. 14. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Sic humano generi gratiam divina bonitas contulit, per quam in hominibus non solum propaginis obligatione contracta deleretur omnis iniquitas, quin etiam cogitationis sanctæ amissæ pridem in homine primo per hominem secundum reciperetur facultas.* Sic Fulgent. lib. de incarnat. & grat. cap.12. Nota autem, expresse nominari secundum Adamum, ut non de Christi divinitate, sed de humanitate, divinitati conjuncta, hæc omnia intelligamus.

15. Videntur tamen esse aliqua argumenta, quæ in oppositum afferri possent, & quibus contrarii Doctores suam nituntur confirmare sententiam. Primum est, quando nobis applicantur merita Christi, nobis justificatio confertur, sed fides præcedit justificationem, ergo fides præcedit applicationem meritorum Christi, proinde illam Christus nobis non meruit. Secundum est; Id nobis meruit Christus, quod in Adamo perdidimus, at in Adamo, qui fidem non perdidit, non perdidimus fidem, ergo. Tertium est, quia plura auxilia conferuntur infidelibus, quibus per Christum, cui per fidem non adhærent, conferri non possunt. Et certe ipse ordo divinæ providentiæ postulat, ex Dei benignitate auxilia quædam conferri, quibus homo possit salutem consequi, quæ fuissent collata, etiamsi Christus non fuisset. Tandem Joann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*; non igitur possunt Christi merita communicari, nisi prius Pater illum trahat ad credendum, & consectarie fides habetur ex gratia Patris, non ex meritis Christi. Addi posset id, quod dicit Augustinus lib.1. de prędest. Sanct. cap.5. videlicet. *Homo quisque ea gratia ab initio fit christianus, qua homo ille ab initio factus est Christus.* Sed homo ille factus est Christus independenter ab omnibus meritis ex sola Dei gratia, ergo etiam sic quilibet fit christianus &c.

16. Hæc omnia, quam vana sint, ostendamus, oportet; in primo argumento falsum omnino assumitur, nimirum, merita Christi tantum applicari nobis in justificatione, sed dicere debuissent, etiam in quacumque dispositione ad justificationem, juxta doctrinam à nobis expositam; Quare vero Christi merita inæqualiter applicentur, non est cur hic examinemus; Qui Theologus est, facile dignoscet. Ad 2. id proponitur, quod sive negemus, bene negabitur, sive concedamus, ex eo nihil inferetur. Vis à me negari, ab Adamo non fuisse deperditam fidem? id faciam, quod jam fecere Prosper, & Fulgentius. Pri-

Primus quidem ad excerpta Genuensium in responsione ad tria dubia, & contra Collat. cap. 21. ubi ait; *In Adamo infidelitas rapuit fidem*. Secundus vero lib. de incarnat. & grat. Christi inquit cap. 23. *Quamvis homini primo diabolus abstulerit fidem, Deo tamen redendi, quod dederat, non abstulit facultatem*. Hoc prius docuerat eorum Magister S. August. qui 14. de Civit. cap. 17. sic loquitur; *Hoc cognoverunt primi parentes, quod felicius ignorarent, si Deo credentes, & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, & infidelitas, & inobedientia, quod nocerent*. In eamdem sententiam descendunt Ambros. lib. 7. in Luc. de homine descendente ab Hierusalem, Ignatius in epist. ad Trallian. Epiphan. hær. 38. Vis, à me concedi, in Adamo remansisse fidem? id præstabo; sed dicam, plura alia remansisse in Adamo, quæ tamen non remanserunt in nobis, neque ad nos transfusa sunt. Ita ex. cav. fuit rerum naturalium scientia. Ad 3. si loquamur de auxiliis, & donis naturalibus à creatione, & conservatione non distinctis, totum est verum; Si autem de aliis omnino falsum; siquidem Christus etiam pro infidelibus mortuus est, ut in proprio loco probatum est; Quid vero futurum esset, si Christus non fuisset, hoc spectat ad aliam providentiam, de qua temere à nobis definiri potest.

17. Nunc ad textum Joan. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*. Qui ita dixit, etiam dixit, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Illud igitur libenter concedimus; sed numquid excluditur meritum Christi? quod donum est Patris non probat, non esse meritum filii; etiam justificatio est ex Dei misericordia, & tamen hanc Christus nobis per adversarios promeruit. Dictum Augustini alibi explicavimus; scias tamen, dum dicit egregius Doctor, hominem fieri christianum per illam gratiam, qua homo ille factus est Christus, innuere tantum, quod sicut homo ille factus est Christus sine meritis propriis, ita etiam quilibet sine meritis propriis fit Christianus, sed hoc meritum alienum non negat, præsertim cum meritum alienum procedit ex alia gratia sine merito.

18. Dico 2. Christum meruisse omnibus hominibus remissionem peccatorum, quantum spectat ad sufficientiam, & primam gratiam lapsus peccati reparativam.

Assertum hoc sequeretur ex dictis; quia tamen ibi generatim loquuti sumus, ideo specialius idem probamus; & quidem si de remissione peccatorum sermo sit noster, apertissime loquitur Paulus inquiens ad Rom. 5. *Vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta*, & rursus. *Exspolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans eos in semetipso*. Joan. vero 2. ait. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi*. Quanquam quid hæc profero, vel quid alia proferre contendo? Veritas hæc satis constat ex iis, quæ dicta sunt de Christi satisfactione; sed, ut verum fatear, morem aliorum gerebam, qui centies eadem, ad magna volumina exponenda, repetere solent; Si autem de gratia à lapsu peccati sanante placet mentem nostram protrahere; veritatem ostensurus idem Paulus prosequatur, dicens ad Rom. 3. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ adundavit in nobis*. Et satis sit, quod ait Joan. cap. 1. *Dedit eis potestatem, filios Dei fieri*. Nec obstat, nos gratis justificari, juxta id, quod habetur ibidem, *justificati gratis per gratiam ipsius*, & rursus. *Mortuum esse Christum propter delicta nostra, resurrexisse autem propter justificationem nostram*. In resurrectione autem nihil meruit; etenim ly gratis, omittendo alias explicationes, quæ in nostris libris ha-

bentur, sumitur per respectum ad opera nostra naturalia, non ad illa, quæ ex gratia Christi habentur, quæ explicatio est juxta Concil. Trident. sess.6. cap.8. resurrectio vero Christi dicitur propter justificationem nostram, non ut per illam hanc Christus mereretur, sed tantum ut ejus meritum nobis applicaretur, si enim Christus Dominus non resurrexisset, jam nemo in eum crederet, & sine hac fide meritum ipsius nobis nequaquam applicari posset, ut prodesset, ut ait S. August. lib.16. contra Faustum cap.29. aliique Patres sæpe testantur.

Dico 3. Christum meruisse prædestinationem hominum, & Angelorum ad gloriam.

19. Ad hoc ostendendum pauca dicam, cum sequatur ex illis, quæ diximus de prædestinatione, an facta sit dependenter a prævisione meritorum, nec ne; sequitur tamen ex dictis juxta Apost. num.13. quibus adduntur alia verba; *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, ex quibus saltem prædestinatio hominum infertur, cum hæc sit inter omnes *benedictiones maxima*. Ulterius vero suadetur, quia Christus fuit prædestinatus ante omnes alios, tanquam primogenitus omnis creaturæ, & in illo priori potuerunt prævideri merita ipsius futura, ergo potuit Deus propter illa prædestinare homines, & Angelos, ergo etiam prædestinavit, nam si fieri potuit, convenit majori gloriæ Christi factum fuisse.

20. Dico 4. Christum meruisse Angelis & primis parentibus omnem gratiam illis collatam. Totum hoc non habet difficultatem in sententia nostra, nam Verbum venisset etiam Adamo non peccante, & fuisset caput electorum, ergo per multa ipsius merita cum ipso prævisa ante peccatum potuit ipsis mereri, & ita meruit propter rationem superius dictam.

Quia tamen fuerunt multi Theologi, ut Bonavent. in 3. dis.13. art.2. q.3. Duran. q.2. Alex.3. p. q.12. mem.2. art.3. qui negarunt Christum Dominum Angelis meruisse gratiam, & gloriam, ideo quod de ipsis diximus placet amplius confirmare; scribit autem Apost. ad Eph.2. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei est ne quis glorietur*. Hoc vero valet etiam de Angelis, qui per fidem salvati sunt, *sine fide* enim *impossibile est placere Deo* ad Hebr.11. ex alia parte supra probavimus, gratiam Dei, ad salutem necessariam, esse gratiam Christi, seu à meritis derivatam. Secundo Joan. cap.17. inquit. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant se solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Una autem est vita æterna tam hominum, quam Angelorum, ergo & Angeli debuerunt sicut Deum cognoscere, ita & Jesum Christum.

21. Sed in re nostra expressius loquuntur Sancti Patres. Audi quid scribit Fulgent. lib.2. ad Trasimun. cap.3. *Una est in utroque* (intellige hominum, & Angelorum) *Gratia operata, in hoc, ut surgeret, in illo, ne caderet, in illo, ne vulneraretur, in isto ut sanaretur, ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmare non sivit, illius esca, istius medicina*. S. Bernard. serm.17. in Cantica inquit; *Angelos malos peccasse ob invidiam hominum* & serm.22. ait, *Christum redemisse Angelos Sanctos præservando illos*. Greg. lib.1. regu. cap.2. dicit. *Non est alius extra te Sanctus, quia nullus hominum, neque Angelorum Sanctus est, nisi per Christum*. Et hom.14. in Ezechiel. declarans illa verba; *Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique*. Sic loquitur. *Unigenitus Patris, qui sursum est firmitas Angelorum, inferius factus est hominum redemptio*; & ne detur locus hæc interpretandi de Verbi divinitate, attende quid dixerit loco superiori. Ecce. *Quia Unigenitus Dei Deus est, extra eum non est aliquis, quia nemo electorum, nisi in ipso est, quod sic refertur ad divinitatem ejus, ut nequaquam intellectum humanitatis ejus evacuet*.

22. Hæc

22. Hæc mihi dixisse sufficiat, cum tamen multa alia prætercam; omittere tamen nequaquam possum, quæ contra afferri posse videntur, atque imprimis opponit Vasquez parabolam illam Mat. 18. ubi describitur Pastor, qui, relictis nonaginta novem ovibus, abiit, ut quæreret, quæ perierat, ubi per pastorem intelligitur Christus, per oves relictas intelliguntur Angeli, per illam, quæ perierat, intelligitur natura humana, sed si meruisset pro Angelis, illos non reliquisset, ergo.

Secundo. Ubicumque Christus Salvator dicitur, de hominibus est sermo, nequaquam de Angelis; unde dixit Petrus act. 4. *Non est sub cœlo aliud nomen nobis datum, in quo oporteat, nos salvos fieri*, & expressius Paulus ad Hebr. 2. *Nusquam Angelos apprehendit: sed semen Abrahæ apprehendit*.

Tertio. Dum Patres loquuntur de utilitate Angelis collata per Christum, aliud non dicunt, nisi per ipsum reparatos esse Sedes Angelorum. Præaliis vero Patribus adduci potest S. Ambros. qui serm. 10. in ps. 118. habet. *Habemus aliquid, quod fortasse Angeli non habeant, ubi enim abundavit peccatum, superabundavit & gratia, nobis est natus Christus ex Virgine, legimus enim, Puer natus est nobis, & filius datus est nobis: non lego Angelos in Dei Sede nisi stantes, nisi ministerium deferentes: non lego Angelos, sed homines consepultos Christo, & in Christo resuscitatos*.

Quarto. Si Christus meruisset gratiam & gloriam Angelis, hanc non debuissent consequi nisi post physicam existentiam meritorum Christi, quemadmodum evenit in Sanctis Patribus. Tandem, dici deberet, Christum etiam pro Angelis mortuum esse.

23. Oportet, hæc omnia diluamus; quod pertinet ad illam parabolam, parum probat, cum ex illa inferatur, cur potius placuerit Christo cum peccatoribus versari, quam cum justis, sed omissis omnibus interpretationibus, dico, per illam significari Christum in carne passibili propter unam ovem, idest naturam humanam, quæ perierat, non sic vero pro Angelis bonis, quos non dereliquit, vel pro malis, quos nunquam quæsivit, & isti sunt oves relictæ, & à libro ovium deletæ.

Ad secundum, ex illis probatur quidem, Verbum divinum assumpsisse naturam humanam, non angelicam, & Christi nomen datum esse, tanquam ad hominum salutem necessarium, sed non inde excluduntur Angeli, qui esto non fuerint fratres Christi, sicut sunt homines, fuerunt tamen filii.

Idem ad tertium; præsertim quod illi Sancti Patres hanc quæstionem de Angelorum gratia & gloria sibi non proposuerunt; quid vero senserint alii, à nobis dictum est; Ambrosius autem pr. loquitur dubitanter per verbum illud *fortasse*. Deinde tantum indicat diverso modo Christum fuisse causam meritoriam pro hominibus, & diverso pro Angelis, ut infra dicam.

Ad quartum dispar est ratio, quia Sancti Patres, utpote filii Adæ, demerebantur gloriam peccato originali, non sic Angeli; illis clausa fuit janua Regni Cœlorum, non istis. Circa postremum, etsi juxta Bernardum dici posset, Christum mortuum esse etiam pro Angelis bonis, tamen castigatius loquendo; hoc negamus cum S. Augustino in Enchir. cap. 61. & fundamentum desumitur ex verbis Apost. 2. ad Corint. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*. Sed Angeli boni non sunt mortui, quia non peccaverunt, ergo pro illis Christus non est mortuus. Gratia igitur Angelorum dependens à Christi meritis non erat ex prævisione meritorum, quæ forent habenda per mortem, sed per alios actus Christi, puta charitatis, religionis &c. Præterea mors Christi non tam fuit ad merendum, quam ad satisfaciendum, pro Angelis autem bonis non satisfecit. Eodem modo non potest di-

ci

ci proprie Redemptor Angelorum, sed justificator, sanctificator, glorificator.

ARTICULUS III.

Per quem actum Christus meruerit.

24. Certum est apud omnes Theologos, Christum meruisse per actus omnium virtutum, ut sunt obedientia, religio, oratio &c. Quod apud ipsos controvertitur est, utrum meruerit per actum dilectionis erga Deum. Negat absolute Vasqu. disp.74. cap.3. affirmant vero communissime alii Doctores, quamvis variis modis explicent suam sententiam. Dixerunt aliqui, ipsummet actum fruitionis fuisse meritorium, etiamsi à solo Deo produceretur, quia adhuc potuit à Deo acceptari tanquam meritoria, & ex alia parte in Christo erat libertas sufficiens, quia quamvis non posset elicere vel non elicere actum fruitionis, potuit tamen habere libertatem complacentiæ. Hoc tribuitur Gabrieli in 3. d.18. q. unica art.2. Almaino q.1. notat.5. immo etiam Scoto q. unica §. In ista quæstione. Docuerunt alii, Christum meruisse per dilectionem Dei clare visi, sed distinguentes visionem, quatenus fertur in Deum, & quatenus fertur in creaturas, quæ videntur in Deo, arbitrati sunt, non per illum, sed per istum actum meritum ejusdem fore desumendum. Ita plures recentiores apud Vasquez. Aliqui vero existimarunt, Christum meruisse per actum charitatis dependentem à scientia beata, non quidem relatum ad Deum, ut est in Deo ratio diligendi Deum, sic enim erat actus omnino necessarius, sed ut est ratio diligendi Deo bona illi extrinseca gloriæ, & honoris divini. Ita quidam Thomistæ, ut Alvarez, & Cabrera, quos sequuntur plures recentiores, ut Lugus, Valentia, & Salas. Aliqui denique duplicem distinguunt amorem, unum præsupponentem scientiam beatam, idest beatificum, alium vero præsupponentem scientiam infusam. Hunc fuisse meritorium affirmant Cajet. Ferrarius, aliique Thomistæ cum Angelico dicente q.19. art.3. ad 1. *Christum non meruisse per charitatem, in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris.* Illum vero etiam fuisse meritorium affirmant Scotistæ.

25. Porro tanquam certum judico; non solum per actus aliarum virtutum, sed etiam per actum charitatis Christum meruisse, etenim ut tradidi in propria quæstione, meritum de condigno pendere debet ab actu charitatis tanquam à radice, & tanquam à forma, & quamvis quæstio sit apud Theologos utrum sufficiat tantum directio virtualis, attamen Christi merito, tanquam perfectissimo, tribuere debemus perfectissimam charitatis directionem, qualis est actualis. Certe negari non potest, fuisse in Christo actus virtutum à charitatis imperio directos, juxta illud Joan.14. *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Quod si cæteris Christi virtutibus meriti vim concedimus, alioquin nullo modo Christus meruisset, potiori jure hoc concedere debemus charitati, quæ inter omnes virtutes præclarissimam obtinet locum. Defendi autem posse etiam sententiam Scoticam, quam postremo indicavi, sic ostendo.

26. Si quid obstat, præsertim quia actus amoris beatificus in Christo non erat liber, sed erat liber quantum ad merendum sufficit, ergo. Pr. mi. voluntas videntis intuitive Deum est quidem moraliter, & proxime, non tamen physice & remote determinata ad amandum Deum, ergo erat liber, quantum ad merendum sufficit; consequentia tenet ex iis, quæ diximus de Christi impeccabilitate & libertate num.79. & 80. pr. ant. voluntas est facultas ex se, & ab intrinseco libera, neque ex Deo clare viso potest infinito modo allici, & ad

ad amorem impelli, ergo. ratio autem ſemper eſt, quia, quod ab intrinſeco rei convenit, neque per divinam omnipotentiam poteſt à re auferri, niſi deſtructa re.

27. Dices. Libertatem phyſicam, & remotam ad merendum ſatis non eſſe, etenim actus ab illa procedentes non ſunt per ſe laudabiles; Hoc pacto, ſi quis nollet interficere integrum exercitum, quamvis phyſice & remote poſſet, attamen actus ille laudabilis non eſſet.

Sed contra; negatur aſſumptum, & ejus probatio; quod manifeſte conſtat in actu libero mediante gratia efficaci, qui laudabilis eſt, ac meritorius, quamvis illam habens, neceſſitetur ad illum moraliter, & proxime, & in eo, qui ſuccumbens gravi tentationi, illaudabiliter ſuccumbit, licet ad ſuccumbendum neceſſitetur moraliter, & proxime, ergo quia ad merendum, vel demerendum ſufficit ſola libertas phyſica, & remota: exempli adducti negatur antec: nam ſicut male operaretur, ſi vellet omnes interficere, quamvis nullo modo poſſet, ita bene moraliter operaretur, ſi nollet interficere, quamvis phyſice, ac remotę poſſet.

28. Dices 2. Beati habent libertatem phyſicam, & remotam propter rationem expoſitam, & tamen per amorem beatum nequeunt mereri, ergo quia hujuſmodi libertas non ſufficit &c. ſed contra. Beati nequeunt mereri, non quia non habeant libertatem ſufficientem pro merito, ſed quia ſunt in termino, & extra ſtatum à Deo decretum ad meritum, vel demeritum, quæ ratio non probat de Chriſto.

ARTICULUS IV.

An Chriſti meritum fuerit ſimpliciter infinitum.

29. SEntiunt omnes Theologi, meritum Chriſti Domini tam magnum, & excellens fuiſſe, ut non ſolum ſufficiens fuerit ad delendas omnium hominum culpas, & ad gratiam cum gloria comparandam; verum etiam excedens, propter quod ſuo loco docuimus, Chriſti ſatisfactionem fuiſſe ſuperabundantem. Quæſtio eſt, utrum ſimul fuerit infinitum ex intrinſeca ratione operum, ex quo procedebant à perſona dignitatis infinitæ, ſicuti eſt perſona Verbi divini.

30. In hac difficultate eſt Thomiſtarum omnium cum aliis recentioribus ſententia, valorem operum Chriſti fuiſſe ſimpliciter infinitum ex ſua ratione formali & intrinſeca propter divinum ſuppoſitum ad ipſa concurrens moraliter ſaltem; atque hoc traditur à S. Th. 3. p. q. 1. art. 2. eſt ex adverſo omnium Scotiſtarum ſchola cum nominalibus oppoſitum ſuſtinentium ita ut meritum Chriſti non fuerit valoris ſimpliciter infiniti, ſed tantum ſecundum quid, quamvis in modo ſemetipſos explicandi ſit multa diſcordia, ut videri poteſt apud Maſtrium in 3. diſp. 3. q. 8. art. 1. Tota autem eorum controverſia eſt in explicanda mente Scoti, utrum hæc infinitas conceſſa meritis Chriſti, quantum ad omnium hominum extenſionem, orta ſit ex meritorum natura, an vero à divina acceptatione, qua in re immorari non juvat, & jurgium totum inter domeſticos eorum parietes relinquatur. Illud tantummodo animadvertere liceat, quod Scotus, negando hanc infinitatem ſimpliciter meritis Chriſti, non illis eſt inſectandus injuriis, quibus plerumque Thomiſtæ aliique ipſum perſequuntur, quod non fieret, ſi mente retinerent ejuſdem verba, jam alibi laudata. *In commendando Chriſto malo excedere &c.* Doctor Subtilis id ſolummodo Chriſto concedere ſtatuit, quod cum fundamento ſolido rationis & omnia ſervando, quæ ad fidem pertinent, concedi poteſt, in quo non reprehendendus eſt, ſed valde laudandus tanquam perfectus Theologus, cujus

jus interest, paratum esse ad reddendam rationem eorum quæ credit, quantum fieri potest, ut monet Apostolus. Relinquendo itaque quamvis aliam controversiam, videndum nunc est, an infinitas meritorum Christi sit dicenda simpliciter & absolute talis, an vero solum secundum quid. Qua in re.

31. Sentio merita Christi non fuisse simpliciter infinita.

Prob. sistendo in principiis positis, ut negaremus infinitam gravitatem peccati, quæ etiam concedere debent omnes Doctores illi, qui in hac parte nobiscum conveniunt. Si in meritis Christi aliquid inveniatur, quod ipsa limitet, non sunt simpliciter infinita, sed res ita se habet, ergo. maj. patet, quia quod simpliciter & absolute tale est, ex quolibet capite est, malum enim ex quocumque defectu; prob. mi. in meritis Christi non solum reperitur dignitas personæ merentis, sed etiam alia plura, ut intensio operis, objectum ipsius, & duratio, atqui hæc omnia finita sunt, ex quibus meritum limitatur, ergo. Totum hoc ostenditur exemplo desumptio tam in physicis, quam in moralibus. hic si pœna sit infinita secundum durationem, non vero secundum intensionem, non dicimus illam pœnam esse infinitam simpliciter, sed tantum secundum quid, & ex uno capite; quod etiam constat, si daretur una linea secundum unam dimensionem ex: ca: secundum longitudinem. In moralibus vero valet id, quod diximus de gravitate peccati.

32. Progredior ad idem ostendendum, evertendo unicum adversariorum fundamentum; Si meritum Christi dici debet absolute infinitum, ideo est, quia infinita Verbi persona illi confert dignitatem & valorem, sed hoc nihil probat, ergo. Prob. mi. Si ex quo persona merens est infinita, inferretur meritum infinitum, etiam ex digniori persona per gratiam habitualem deberet inferri in quocumque opere supernaturali majus meritum, sed hoc est falsum, siquidem fieri potest aliquis actus magis meritorius à persona simpliciter grata, quam gratiori, ut concedunt etiam Doctores contrarii, ergo; & certe personæ dignitas infinita non potest suam dignitatem & valorem communicare operibus suis etiam in linea morali, quis enim neget, etiam in morali æstimatione pluris habendam esse personam Verbi, quam quodcumque opus ab humanitate Verbi personæ conjuncta progrediens? Præterea. Unio physica divini Verbi non reddit physice infinitam humanitatem, cui unitur, ergo neque potest reddere moraliter infinitas operationes, quæ divino Verbo moraliter tribuuntur; & sicuti humanitas illa est solum infinita secundum quid, ut diximus juxta doctrinam S. Th. ubi de peccati gravitate erat sermo, ita etiam operationes humanitatis.

33. Ad summum igitur probari poterit, meritum Christi fuisse infinitum negative, quatenus non potest dari meritum majoris excellentiæ, quam fuerit meritum Christi, cum quo tamen stat finitas in esse morali, sicut de peccato concedunt recentiores sequentes in præsenti puncto Thomistarum sententiam. Hac ratione occurro uni ex præcipuis argumentis opinionis oppositæ desumpto ab extravaganti; *Unigenitus* de pænit. & remiss. ubi Clemens VI, docet; Christum suis meritis acquisivisse Ecclesiæ militanti infinitum thesaurum, qui nunquam consumendus, vel diminuendus est, eo quod meritum Christi fuerit infinitum, ut propterea de ejus consumptione formidandum non sit; etenim per hoc præcise, quod Christi meritum sit infinitum negative, & quocumque merito excellentius, superat gravitatem cujuscumque offensæ sive actualis, sive possibilis, & magis persona divini Verbi unitur in conferenda dignitate operibus humanitatis, quam Deus uniatur in danda gravitate peccatis, ex quo tamen non potest inferri infinitas simpliciter, quod sic ostendo.

Quam-

Quamvis aliqua res excedat infinitas alias, in ea tamen, non potest dici, dari infinitatem positivam simpliciter, sic Angelus v. g. excedit infinitas creaturas infra se possibiles, ita ut intra ordinem rerum creatarum produci possint creaturæ perfectiores, & perfectiores, quæ tamen nunquam angelicam perfectionem pertingent, nec tamen ex hoc probari potest in Angelo perfectio infinita simpliciter, ergo quamtumvis meritum Christi excedit omnia peccata possibilia, ita ut nunquam per hæc consumi, & exhauriri possit, in ipso tamen infinitas simpliciter non potest evinci.

34. Plura sunt, quæ opponi possent, sed juxta superiora, & dicta alibi, facili negotio refelluntur. In hac re nolo me prolixius gerere; Potius enim in Christi meritis infinitatem asseram, quam illam contentiose negare; Quæ breviter dicta sunt, ad sententiarum fundamenta ostendenda dicta esse; quisquis intelligat.

QUÆSTIO VIII.

De Christi Sacerdotio, & regno.

ARTICULUS I.

An Christus fuerit Sacerdos, & victima.

1. Christum Dominum revera fuisse Sacerdotem, est veritas definita in Concilio Ephes. can. 10. & in Trident. sess. 22. cap. 1. hisce verbis. *Quoniam sub priori testamento &c. oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectum adducere.* Hoc porro indicavit Apostolus in epist. ad Hebr. ubi sparsim hæc habet. *Considerate Pontificem confessionis nostræ Jesum. Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jesum Filium. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Si autem horum omnium quæratur ratio, eam asserimus munera ea, quæ ad Sacerdotium verum pertinent, recensendo. Porro hæc tria sunt; 1. divina populo præbere, 2. preces populi Deo offerre. 3. pro peccatis populi satisfactionem dare; Hæc autem omnia Christus dominus præstitit; atque in primis divina populo præbuit juxta illud Petri 2. ep. cap. 1. *Per quem Deus maxima & pretiosa promissa donavit.* 2. preces obtulit Deo, quis hoc ambigat, qui historiam noverit evangelicam? tali quidem pacto, ut ad Rom. 8. dicatur, *semper vivens ad interpellandum pro nobis.* 3. Quod pro nobis satisfecerit, jam declaratum fuit, ubi de ejus satisfactione pertractavimus, & pluries in antecedentibus. Vere igitur Christus Sacerdos fuit, de quo ad Ephes. 5. *Dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.*

2. Sed quantum pertinet ad hoc punctum nullam difficultatem excitarunt Hæretici, an vero fuerit idem Sacerdos & victima paucis est contra ipsos discutiendum; Varia isti docuerunt; Stinaslaus Starnicius apud Stancarum in lib. de Trinit. docuit, munus Pontificis & Sacerdotis in Christo convenire divinæ naturæ, sacrificium vero seu victimam esse ad humanam pertinere. Calvinus in duabus epist. ad Polonos, quem sequuti sunt Tigurini & Petrus Martyr, tradidit, Christum secundum utramque naturam fuisse Sacerdotem & mediatorem inter homines, & inter Deum, & hoc non solum convenire eidem supposito per idiomatum communica-

nicationem, sed tali pacto, ut utraque natura fuerit principium suarum operationum.

3. Catholica tamen veritas docet, eundem Christum fuisse Sacerdotem & victimam, idest se ipsum obtulisse sacrificium Deo Patri & sibi ut cum Patre Deo. Quod, ut clarius demonstretur reiciendo errores expositos.

Dico 1. Christum dominum secundum naturam divinam non potuisse esse Sacerdotem & mediatorem inter homines & Deum. Oppositum namque asserere aut Arianos nos redderet, aut Eutichianos. Primum quidem, nam si Christus secundum naturam divinam esset Sacerdos & mediator per sacrificium, jam apud Patrem intercederet, atque esset inferior Patre, sed hoc dictum Arianorum est, ergo. Secundum vero; quia eo dato, aut natura divina esset mutata in humanam, aut saltem cum humana esset confusa, & inferior permaneret, sed hic est error Eutichianus, ergo.

4. Dico 2. Christum solum secundum naturam humanam fuisse Sacerdotem & mediatorem, idest per solas operationes provenientes à natura humana. Hujus rei clarum testimonium dat Sanctus Paulus 1. ad Timot. 2. dicens. *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*. Perpende consulto appositam fuisse particulam illam *homo* ad innuendum mediatoris, & Sacerdotis munus non ad divinam, sed ad humanam referendum esse naturam, quæ est formale principium illarum operationum, quibus Sacerdotem ageret, ac mediatorem. Mea non est hæc expositio, sed Augustini tract. 82. in Joan. ubi sic. *Mediator Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo*. Et clarius de verbis Apost. serm. 11. *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum, non ait Christus Jesus, ne tu putares secundum Verbum dictum, sed addidit, homo*.

5. Non me latet, hæreticos respondere per unum Deum intelligi Patrem, per unum mediatorem intelligi filium; sed quam stulta & erroris plena responsio? unum Deum in textu accipi pro tota Trinitate nemo negare potest, nisi omnes scripturas neget, in quibus cum absolute dicitur Deus sine aliquo termino notionali, semper tota Trinitas denotatur. Fuit igitur Christus mediator apud totam Trinitatem, sicut per peccatum toti Trinitati fuit illata injuria & offensa, & ita fuit etiam mediator apud semetipsum. In hac re audiat Calvinus, quid Augustinus dixerit conc. 1. in ps. 29. *Quid est* inquit, *mediatorem esse inter Deum & homines? Non inter Patrem & homines, sed inter Deum & homines. Quid est Deus? Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Qui sunt homines? peccatores, impii, mortales. Inter illam Trinitatem, & hominum infirmitatem, & iniquitatem, mediator factus est homo non iniquus, sed infirmus*.

6. Sed in nostræ veritatis confirmationem Sanctorum Patrum doctrinam proferre prosequamur. Quanquam prosequetur idem S. Augustin. qui lib. 10. confess. cap. 43. dicit. *In quantum homo, in tantum mediator, in quantum autem Verbum, non medius, quia æqualis Deo, & Deus apud Deum, & cum Patre, & Spiritu Sancto unus Deus*. Et lib. 1. de Trin. cap. 7. *Christus in forma Dei æqualis Patri, in forma servi mediator Dei, & hominum*. Idem habet lib. 1. de consensu Evangelist. cap. 3. lib. 10. de Civit. cap. 20. lib. 2. de pec. orig. cap. 28. oportuisset prius adducere Cyrillum, sed quia hujusce Patris authoritate existimant Novatores suam hæreticam fulcire sententiam, ideo consulto omisimus.

7. Quid autem pro hæreticis videtur sentire Cyril? Ecce illius verba catech. 11. sub initio, ubi ait; *Non ex hominibus promotione aliqua in sacerdotium ascendit, sed semper sacerdotii dignitatem habuit*. Inferunt, sed tantum naturam divinam semper habuit, ergo secundum istam fuit Sacerdos. Ita sane, si ter-

ſi terminus ille ſemper referri deberet ad divinitatem, nec poſſet ac deberet aptari toti tempori, quo fuit humanitas divinitati conjuncta. Res autem ita ſe habet, nam ibi opponit ſacerdotium Chriſti ſacerdotio hominum, qui non concipiuntur, aut naſcuntur Sacerdotes, ſed ab hominibus ad hujuſmodi dignitatem evehuntur; e contrario Chriſtus in utero materno ab ipſo incarnationis inſtanti fuit verus Sacerdos.

8. Nunc vero videant, quid Cyril. contra eos protulerit. In apologia pro duodecim capitibus contra Orientales ſibi opponit. *Si Deus Verbum eſt Sacerdos, cui vel quali Deo ſuum miniſterium offert?* & reſpondet. *Quando factus eſt homo, vocatus eſt Pontifex, non quod majori Deo offerret ſacrificium, ſed ſibiipſi, & Patri.* & rurſus. *Audiens, quod dictus eſt Sacerdos propter humanitatem, erubeſciſne? deinde quomodo non admiratus es, quod non ſecundum Sacerdotum morem alteri fecerit ſacrificii modum, ſed ſibiipſi potius & Patri?* Vide, quam merito dixerim num.5. fuiſſe Chriſtum mediatorem apud ſemetipſum, quod non valeret, ſi fuiſſet Sacerdos ſecundum naturam divinam.

9. Quod ſi velint hæretici hoc à nobis etiam rationibus demonſtrari, id libenter præſtabimus. Mediatoris id munus eſt, ut alicujus rei interceſſor exiſtat, cujus ipſe nequaquam eſt dominus, ſic ſponſus non eſt mediator nuptiarum, cujus autem rei Chriſtus Dominus per Sacerdotium ſuum mediator factus eſt? certe cœlorum hæreditatis, quam ob peccatum Deus juſtiſſime denegaverat, & remiſſionis peccatorum, quam juxta præſens decretum niſi per Chriſti mortem, tanquam per Sacrificium nemo poterat obtinere, Chriſtus igitur, ut mediator, & Sacerdos non erat iſtius Dominus, ex alia parte ſecundum naturam divinam Dominus erat, ſicut Pater & Spiritus Sanctus; non ergo ſecundum naturam divinam, ſed ſolum ſecundum humanam fuit mediator, & Sacerdos. Hæc eſt ratio, quam affert S. Joan. Chryſoſt. hom.16. in illud ad Hebr.6. *Mediator novi teſtamenti, &c.* & ſi velint, naturam divinam per incarnationem eſſe exinanitam, proinde dominam non remanſiſſe, jam Eutichiani fiunt; & hoc eſt falſum omnino, nam licet per idiomatum communicationem Verbum divinum dicatur exinanitum, atttamen penes naturam divinam ita dominium remanſit poſt, ſicut ante incarnationem.

10. Ex hac oritur ſecunda ratio. Si enim Chriſtus ſecundum naturam divinam eſt mediator, plane ſequitur, omnibus tribus perſonis officium mediatoris convenire; cujus ratio eſt, quia, quod naturæ divinæ convenit, omnibus perſonis æqualiter convenit, cum opera Trinitatis ſint toti Trinitati communia; omnibus autem tribus perſonis munus mediatoris tribuere, quam diſſonum ſit, quis non videt? erit igitur ultra Trinitatem alter Deus, apud quem mediatio ac interceſſio ſit adhibenda. Conveniunt quidem uni divinæ perſonæ quædam, quæ non conveniunt alteri, ſed hæc notionalia ſunt, non eſſentialia, nec ad divinam poſſunt referri naturam. & rurſus, quædam unam tantum perſonam repræheſentant, attamen à tota Trinitate ſunt facta, quemadmodum eſt illud, quod legitur Mat.3. dictum à Patre; *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Qua in re dixit, præter alios Patres, Auguſtinus lib.2. de Trin. cap.10. *Patris perſona oſtenditur in ea voce, ubi ſupra baptizatum columba deſcendit, non quia fieri potuit vox ſine opere Filii, & Spiritus Sancti; Trinitas quippe inſeparabiliter operatur, ſed quia ea vox facta eſt, quæ ſolius perſonam Patris oſtenderet.* Si autem velint, opus mediatoris tribuendum eſſe toti Trinitati, præter dicta, jam incident in hæreſim Patripaſſianorum, & ultra, dicant etiam Spiritum Sanctum paſſum eſſe, quæ erit hæreſis alia.

11. Quamobrem prætereundo rationes alias, quæ non deessent, sed ferme in superiores caderent; dicendum superest; Christum fuisse Sacerdotem secundum naturam humanam terminatam subsistentia Verbi divini, adeoque per communicationem idiomatum dici, Deum fuisse Sacerdotem ac mediatorem nostrum, Act. enim 20. dicitur Deus *acquisivisse Ecclesiam sanguine suo* & Paulus 2. ad Corint.5. *Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi.* Quare hæc propositio, *Deus ut Deus fuit Sacerdos* est omnino falsa & hæretica, quod constat de illis omnibus, quæ dicuntur de Deo per communicationem idiomatum, non possunt tamen de ipso dici tali reduplicatione, qua significatur divinitas; sic dicimus. *Deus mortuus est*, nec tamen dicere possumus, *Deus, ut Deus, est mortuus.* Ad rem nostram optime dixit Ambros. lib.3. de fide cap.5. *Idem Sacerdos, idem & hostia, Sacerdotium tamen, & sacrificium humanæ conditionis officium est* & statim subdit; *Nemo igitur, ubi ordinem cernit humanæ conditionis; ibi jus divinitatis ascribat.*

12. Sed quomodo dices Christus se ipsum sacrificium obtulit, cum neque se ipsum interfecerit, neque aliquid sacrum in ara Crucis circa seipsum exercuerit? Respondeo; quod etsi actione aliqua physica id à Christo actum non sit, attamen se ipsum voluntarie obtulit, & non solum mortem acceptavit, inquiit enim Joan.10. *Ego pono animam meam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Atque hoc est discrimen inter Martyres, & inter Christum; illi enim sic mortem sustulerunt, ut tamen nec possent tyrannos impedire, nec in tormentis vitam suam tueri ac conservare, quod tamen poterat Christus, nec illi fuerunt à Deo constituti, ut se offerrent in satisfactionem pro omnibus, omnesque redimerent, fuit autem constitutus Christus; proinde illorum mors sacrificium vere dici non potuit, illa vero Christi hujusmodi dici potuit, & debuit.

13. Non desunt hæreticis, quæ nobis opponant. & pr. inquit Calvinus in epis. ad Polonos. Posuit Christus animam suam juxta textum superius laudatum, at hoc non spectabat ad Christum, ut hominem, sed ut Deum, solus enim Deus mortis & vitæ dominus est. 2. Illi tribuendum est munus mediatoris, cujus est reconciliare, & pacem tribuere, sed hoc convenit Deo, ait enim Apos.2. ad Corint.5. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum*; & infra, *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo* ergo Christo ut Deo tribuendum est munus mediatoris. 3. Etsi non cogeremur id dicere de sola natura divina, sed etiam humana, attamen divinam non possumus excludere; Si quidem Christus nos redemit per actionem Teandricam, seu Dei virilem, ut à nobis dictum fuit, & docent frequentissime Patres, atqui operatio Dei virilis non habetur nisi per operationem utriusque naturæ, ergo. Atque hoc definitum fuit in Conc. Later. sub Mart.1. consultat.5. act.15. nec mirum, cum fuerit doctrina Augustini dicentis in Enchir. cap.108.; *Neque liberaremur per unum mediatorem Dei, & hominum, nisi esset Deus.* & clarius homil. de Ovibus cap.12. *Non mediator homo præter divinitatem. Divina humanitas, & humana divinitas mediatrix est.*

14. Resp. nunquam Verbum animam posuisse, quia nunquam à Verbo fuit anima separata, caro igitur posuit animam, quando inclinato capite tradidit spiritum; hoc igitur hominis est, nequaquam Dei, quamvis potestas animam ponendi sit data à Deo; certe animam ponere nihil est aliud, quam mori, & animam resumere nihil est aliud, quam resurgere, sed mori & resurgere homini convenit, non Deo, ergo animam posuit ut homo, non ut Deus. Ita docuit Augustinus tract.47. in Joan.post medium dicens. *Caro ponit animam suam,*

suam, & caro iterum sumit eam, non tamen sua potestate caro, sed potestate inhabitantis carnem.

Ad 2. non semper reconciliare & pacem tribuere indicat munus mediatoris, si quis enim per semetipsum alteri se reconciliat, atque illi pacem largitur nequaquam mediator dici potest; & ideo omnis mediator est reconciliator, non tamen omnis reconciliator est mediator; requiritur igitur ad munus mediatoris unum alteri reconciliare; ita autem se gessit Deus, ut sibi nos reconciliaverit non immediate per semetipsum, sed ad nos mittens mediatorem, qui est Christus Jesus. Quod si dicimur per mediatorem nos recipere Spiritum Sanctum, & in cordibus nostris renovari, ut ait Augustin. in Enchir. cap.33. dare autem Spiritum Sanctum, & corda renovare spectat ad solum Deum, duplex Spiritus Sancti collatio, & cordis renovatio distinguenda est, alia, quæ fit propria virtute effective, & hæc convenit soli Deo, nec pertinet ad mediatorem, alia, quæ sit meritoria, & hæc facta fuit à Christo ut homine, idest secundum humanam naturam, & per hanc ratio mediatoris ostenditur ac intelligitur.

Ad 3. Christum per Dei virilem actionem fuisse mediatorem, non possumus intelligere unam operationem propriam utriusque naturæ, nam propter hoc Macharius in syn.6. act.8. tanquam Monotelita damnatus fuit. In duplici igitur sensu operationes Christi dicuntur Theandricæ, vel quia in ipsis relucebat duplex actio utriusque naturæ, ut quando per contactum sanabat ægrotos, contactus enim erat actio humanitatis, virtus vero sanandi erat virtus divinitatis, vel quia ita erant à sola humanitate sed conjuncta Verbo divino, & ita fuit orare, sacrificare, & mori, quod divinitati convenire non poterat, sed soli Verbo unito per idiomatum communicationem; quare minor argumenti non est semper vera. Nec quidpiam aliud in Concilio Lateran. definitum fuit, nisi esse in Christo aliquas operationes, ad quas utraque natura concurrebat, non tamen omnes. Si eo pacto loquitur Augustinus, ideo est, quia operationes humanitatis nisi fuissent effectæ dignæ per suppositum Verbi divini, aptæ non fuissent ad nos liberandos. Jam mentem Sancti Doctoris satis exposuimus.

ARTICULUS II.

Cujus ordinis fuerit sacerdotium Christi.

15. Quemadmodum in omni statu & in omni lege fuerunt sacrificia, ita semper fuerunt Sacerdotes. Fuerunt in lege naturali, fuerunt in lege scripta, seu veteris testamenti. Fuisse Christum Sacerdotem juxta legem naturalem, fieri posset aliqua difficultas quia ipse dictus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, cujus sacerdotium fuit legis naturæ; sed hæc resolvetur infra, ubi declarabitur, quo pacto juxta talem ordinem fuerit Sacerdos. Fuisse vero Sacerdotem juxta legem scriptam, idest in ordine Levitico, videtur colligi ex quadam historia, quam narrat Suidas, Verbo *Jesus*. Nimirum Rabbinum quemdam narrasse Philippo Argentario Theodosii Imperatoris aulico, se legisse in codice, ubi Sacerdotes templi conscribi consueverant, & quem in Jerosolymitano excidio sublatum Tiberiade repositum esse dicebat, Christum inter Sacerdotes leviticos communi aliorum suffragio electum esse ac connumeratum: apud Thomam vero Valden. de Sacram. cap.116. num.6. legimus, Christum non inter Sacerdotes, sed inter Lectores fuisse, & hoc ostenditur ex Luc.4. ubi habetur. *Ut intravit secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, & ut revo-*

revolvit, invenit locum, ubi scriptum erat, Spiritus Domini super me, propter quod unxit me &c. Quod certe factum non fuisset, nisi Christus inter Leviticos Lectores conscriptus esset. Idem tradidit S. August. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 27. idem Isidorus in serm. pro synodo.

16. Dicendum tamen primo est. Sacerdotium Christi fuisse longe præstantius sacerdotio legis naturalis, Hoc declaratur 1. quia Christi sacerdotium altiorem habuit originem, quam habuerit illud legis naturæ, & sacerdotium Melchisedech; Secundo quia institutum fuit ad offerendum sacrificium multo excellentius & altius. Tertio quia habuit potestatem sublimiorem, & tales effectus potuit præstare, qui nullo modo à sacerdotio legis naturæ proferri poterant. Ut vero, quod primo loco, notius fiat, sciendum est, quod etsi in naturali lege offerrentur sacrificia, proinde essent Sacerdotes, attamen non fuerunt ab ipso Deo determinata, sed humano arbitrio decernebantur, atque ideo etiam Sacerdotes nullo pacto nullaque cæremonia consecrabantur, sed solum humana electione ad offerendum Deo, & intercedendum pro populo assumebantur; atque ut testantur Hieronym. lib. de quæst. seu tradition. hebraicis in Genes. & Rupert. Ab. lib. 5. de Trinit. & operibus ejus in Gen. cap. 12. Omnes primogeniti de stirpe Noe procedentes ad hoc munus erant eo tempore deputati; in quo sensu ait Anaclet. Papa epis. 2. decretal. *Quia licet aliqui prius leguntur (intellige priusquam Aaron) Sacrificium obtulisse, ut Melchisedech, & Abraham, hi tamen spontanea voluntate, non tamen sacerdotali autoritate hoc fecerunt.* Ex hoc jam intelligis, quam verum sit primum punctum; cetera duo satis constant, & ex dicendis magis patebunt.

17. Dicendum 2. Sacerdotium Christi non fuisse idem cum Sacerdotio veteris legis; & Christum nullo modo fuisse Sacerdotem secundum ordinem Aaron. Hanc secundam partem probando satis probatur & prima, cum sacerdotium dicatur per respectum ad sacrificium; attamen pro hac sufficeret dicere, sacerdotium Aaronium fuisse imperfectum, temporale, & juxta legis præceptum, quæ nequaquam poterat justos efficere nec perfectos servientes. Sic vero illam probo.

Si Christus fuisset Sacerdos secundum ordinem Leviticum, vel fuisset ex electione Dei, vel populi, alorumve Sacerdotum, primum quamvis fieri potuisset, est enim Deus supremus dominus, attamen id dicendi nullum est, quod se exhibeat, momentum; secundum vero nullo modo affirmari potest; siquidem eligi non poterant in Sacerdotes, nisi illi qui per virilem lineam e tribu Levi originem ducerent, ut habetur Ex. 29. & Levit. 8. Christus autem nequaquam fuit per virilem lineam e tribu Levi, nam Joseph, qui Pater ejus existimabatur, erat de tribu Juda, & Beatissima Virgo ejus Mater secundum lineam paternam de tribu Juda dependebat; Ratio porro, quare necessaria foret origo ex linea Patris de tribu Juda, est, quia cum tribus Juda, & Levi essent matrimoniis permixtæ, oportebat earum successiones distingui per lineas paternas, & nullus fuisset de tribu Juda, qui non potuisset esse Sacerdos; igitur per populi, & Sacerdotum electionem, Sacerdos juxta ordinem Aaron, Christus esse non potuit. Juxta hæc dixit Apostolus Paulus ad hebr. 7. *In quo*, idest Christo, *enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit; Manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses loquutus est.*

18. Non historia propterea, sed tanquam fabula excipiendum est, quod ex illo Rabbino narrat Suidas, quemadmodum ab ejus ingenio plura alia conficta fuerunt, ut Beatam Virginem, & San-

Sanctum Josephum patronum meum clementissimum, ante Sacerdotes vocatos esse, ut testarentur, ipsum esse filium eorum, & Mariam dixisse, illum esse quidem filium suum, sed de Spiritu Sancto genitum sine opere viri; Hoc enim solum aut hebræorum corda, si crederent, convincisset, aut Virginem, tanquam blasphemiæ ream, habuissent.

19. Hoc idem, quod superius dictum est, probat in nullo Levitico ordine Christum fuisse constitutum. Fatemur quidem, ipsum in synagoga librum legisse, sed numquid ex hoc sequitur, aliquo modo ministrum templi fuisse? Etiam Paulus, qui tamen erat de tribu Beniamin, legit in Synagoga Antiochiæ, act. 13. Hoc non solum templi ministris, sed etiam cuicumque docto licitum erat; Lectoris itaque munus non erat ministerii; & ideo Sancti Augustinus, & Isidorus id etiam Christo tribuerunt, nomine sumpto à legendo non à ministrando, nisi improprie, & generatim. Si vero mihi opponeres; Christum Mat. 21. ejecisse vendentes & ementes de templo; id, scias, fecit potestate divina, & propter zelum Dei, unde & additum fuit, *Zelus domus tuæ comedit me*. Quoties non increpavit Sacerdotes? itaque plusquam Sacerdos erat; Verum utique dices. Sed non in sensu tuo.

ARTICULUS III.

Quare Christus dictus sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

20. PRiusquam aliquid in hac re stabiliatur, videndum arbitror, quid de hoc Melchisedeche quam plurimi senserint. Aliqui arbitrati sunt, ipsum non fuisse hominem purum, sed spiritualem quamdam substantiam, quæ assumpto corpore apparuerit, cum Paulus ad hebr. dixerit, *ipsum esse sine Patre, sine Matre, sine genealogia*, quod etiam, ut strictius servarent, ipsum esse personam divinam, cui nec initium nec finem habere convenit, existimarunt; & quia ibidem additur. *Assimilatus Filio Dei*. Spiritum Sanctum esse dixerunt. Opinionem hanc ferunt traditam esse à S. August. quæst. 109. veteris testamenti; Quod tamen quam perperam dictum sit ex eo colligitur, quo ipse Augustinus in lib. de hæres. cap.34. errorem hunc dicit hæresim esse; atque ideo Erasmus, & Alphons. de Castro adversus hæres: verbo *Melchisedech* negant, priorem librum tribuendum esse Augustino, & Epiphan. hæres.55. & 57. asserit, illius authorem fuisse quemdam Hieracem. Aliqui docuerunt, esse majorem filio Dei, quia filius Dei, si loquamur de divinitate, originem habeat à Patre, si de humanitate, ortum ducat à Matre; Melchisedech e contra sine Patre & Matre dicatur.

21. Dicendum tamen est, Melchisedech fuisse verum hominem & purum hominem, quod negari non potest, si perpendatur historia, in qua de ipso fit sermo, dicitur enim Sacerdos Dei altissimi, Rex Salem, quæ erat civitas quædam in terra Canaan, dicta deinde Jebus, quæ nunc est Jerusalem, exiisse obviam Abrahamo, atque ab ipso decimas recepisse, quæ omnia non possunt dici de aliqua spirituali substantia, aut de aliqua divina persona, ut optime adnotarunt SS. Ambros. lib.4. de fide cap.3. Augustin. lib. de hær. cap.34. & 16. de Civit. cap.22. Hieronym. epis. 126. ad Evagr. aliique Patres; Quod si dicitur absque Patre, absque Matre, & absque genealogia, id non est intelligendum, quod Patrem aut Matrem non habuerit, sed quia hoc in scriptura non narratur. Si autem fuit verus homo, fuit etiam purus homo, cum nec ante Christum, nec post Christum aliqua unio hypostatica facta fuerit.

Fortasse opponet aliquis, verum, ac purum hominem majorem Abrahamo esse non potuisse, nam eo tempore nullus homo degebat in terris, qui majoris excellentiæ ac dignitatis, cariorque Deo esset,

esset, quam Abraham. Hoc infra refelletur.

22. Fuit enim aliorum sententia, Melchisedech fuisse Sem primogenitum Noe, proinde unum ex progenitoribus Abrahæ, & ita senserunt Isidorus lib. de vita,& morte Prophetarum cap.5. Abulen. Lippoma. Glos. & Lyra. Gen. 14. Qua admissa opinione duo, quæ afferunt Ignatius epis.9. ad Philadel. & Epiphan. vera esse non possunt. Primus enim docet, Melchisedech fuisse Virginem, certum autem est Sem filios procreasse; Secundus vero inquit, Sem eo tempore fuisse mortuum, quod tamen ex falsa Chronologia dictum est; etenim Sem ante diluvium erat nonaginta octo annorum, & biennio post diluvium genuit Arphaxad, ut habetur Gen. 11. Vixit autem annis sexcentis, ergo quingentis post diluvium. Abraham natus est anno ducentesimo nonagesimo secundo post diluvium, & vixit annos centum septuaginta quinque,Gen. 25. igitur Sem mortuus est post Abraham.

At dices. Sem habuisse Patrem & Matrem, atque ejus genealogia nota est, non ergo potuit esse Melchisedech. Breviter dico, sub nomine Sem, hunc habuisse Patrem & Matrem, atque ejus genealogiam compertam esse; sub nomine vero Melchisedech nequaquam, cum nihil in scriptura sub tali nomine de ipso narretur, sed ex abrupto introducitur, nec amplius de eo fit sermo, ut constat ex Gen.14. Atque hoc maximo cum mysterio factum est, quia sub nomine Melchisedech fuit figura Christi, ut explicavit Paulus, Christus autem ut Deus fuit absque Matre, ut homo absque Patre; neque in sacerdotii munere aliquam habebat Melchisedech genealogiam, cum sacerdotium nec jure hæreditario, nec per carnis acceperit successionem, aut alteri illum commissurus esset, ut fuit sacerdotium Aaron.

23. Fuerunt tamen plures ex Catholicis, qui dixerint, illum fuisse hominem gentilem ortum ex Cananæis, justum tamen ac sanctum, veri Dei cultorem, sicut & fuit Sanctus Iob. Hoc docuerunt Irenæus, Hippolytus, Euseb. Cæsari. Theodoret. Theophy. aliique. Epiphan. vero loc. cit. addit, ipsius Patrem vocatum esse Eraclum, matrem Asteriam; quæ tamen omnia incertissima sunt. Sed quidquid sit de hisce rebus, nobis satis est, varia Doctorum placita protulisse, & Melchisedech verum ac purum hominem fuisse, demonstrasse.

24. Sed ulterius est etiam supponendum tanquam certum,Melchisedech fuisse verum Sacerdotem eo modo, quo diximus num.21., id, quod Alphon. de Castro in lib. adversus hæres. verbo *Missa* inquit, ab aliquibus negatum esse, cum dixerint, dictum fuisse Sacerdotem,non quia sacrificandi munus habuerit, sed quia erat Rex; Omnes enim Reges dicebantur Sacerdotes, ut 2. Regum 8. filii David dicti sunt Sacerdotes, vel quia erat Dei cultor, in quo sensu Exodi.19. legitur. *Eritis mihi in regnum sacerdotale*. Et 1. Petri 2. habetur de omnibus fidelibus. *Gens sancta, regale Sacerdotium*:

25. Perperam tamen omnino negatum est; Melchisedech verum Sacerdotem fuisse modo superius explicato, & quamvis non aliqua exteriori ceremonia institutum, tamen ex divino instinctu, & revelatione, quod etsi certum non sit, tamen satis probabile judicari debet, sicut de Abrahamo legimus Gen. 15. cui dictum à Domino fuit quid offerre deberet illis verbis; *Sume mihi vaccam triennem, & capram &c.* Et si verum esset quod opponebatur, illum fuisse Sacerdotem, quia erat Rex, superflue à scriptura apposita fuissent verba illa; *erat enim Sacerdos Dei altissimi*. Præposuerat enim alia, *Rex Salem*. Neque Paulus recte probasset ex ps.109. Christum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quia æquali modo potuisset dicere, secundum ordinem alterius Regis. Reliqua, quæ adduntur non

non ſunt dicta in propria ſignificatione, ſed tranſlatitia & impropria, neque ad hanc recurrendum eſt, quando ex littera textus non cogimur, ut in noſtro caſu, propter rationem expoſitam; Quod ſi Melchiſedech fuiſſet Sacerdos, quia cultor Dei, quare Abraham ab ipſo benedictus fuit, ipſique decimas obtulit; cum tamen ſciamus etiam Abrahamum fuiſſe Dei cultorem?

26. Sed hæc parum nos urgent, neque in hoc difficultas eſt inter nos & hæreticos; Quare deveniendum eſt ad punctum propoſitum; Quare Chriſtus dictus ſit Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Qua etiam in re dubium non eſt, ſacerdotium Chriſti illius ſacerdotio ſimile factum eſſe. Hunc appellat Paulus ad Hebr. 7. regem juſtitiæ; Quis autem juſtior Chriſto, qui dictus eſt Sanctus Sanctorum? dicit regem pacis; quis autem eximior pacis Rex, quam Chriſtus, qui pacem attulit inter Deum & homines? de quo Iſaias cap. 9. *Vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius &c. Princeps pacis* & Paulus ad Col. 1. *per ſanguinem ſuum pacificavit, quæ in cælis, & in terra ſunt*. Vocat eum ſine Patre, ſine Matre, ſine genealogia, neque initium dierum neque finem habentem; De quo alio hoc dici poteſt niſi de Chriſto, ut ſupra dictum fuit; & nota Apoſtoli verba dicentis, *aſſimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in æternum*. Vt intelligas, non Chriſtum aſſimilatum Melchiſedecho, ſed iſtum illi, tanquam repreheſentans repreheſentato, ita ut Melchiſedech figuram geſſerit Chriſti. Plura alia addere poſſemus, quæ, cum ab hæreticis concedantur, ſtudium noſtrum ſibi non vindicant; Quæſtio inter nos & iſtos eſt; Utrum Sacerdotium Chriſti fuerit ſecundum ordinem Melchiſedech, ex eo quod iſte obtulerit panem & vinum.

ARTICULUS IV.

Reſolvitur propoſita difficultas.

HÆretici noſtrorum temporum abſolute negant, Chriſti Sacerdotium fuiſſe ſecundum ordinem Melchiſedech in oblatione panis, quia pertinaciter docent; Melchiſedech panem, & vinum Domino non obtuliſſe. Quam perperam hoc dictum ſit, ſatis ab extrinſeca authoritate inferre poſſemus. Hoc enim docuerunt Clemens Alexand. lib. 4. Strom. prope finem, Cyprian. lib. 2. epiſt. ep. 3. Euſeb. Cæſar. lib. 5. de demonſtr. Evang. cap. 3. Epiph. hær. 55. Ambroſ. lib. 5. de Sacram. cap. 1. Hieronym. ep. 126. ad Evag. in qua plures alios ennumerat, Auguſ. lib. 16. de Civit. cap. 22. & amplius in lib. contra Adverſarium legis, & Prophet. cap. 20. Africani Patres apud Auguſt. ep. 95. innumeri alii recenſeri poſſent; Plures Rabbini non deeſſent etiam ex antiquioribus, ut Samuel in cap. 14. Gen. Phineæs num. 28. Prætereo quod audire nolunt hæretici, ideo Eccleſiam juremerito canere in feſtivitate corporis Chriſti: *Sacerdos in æternum Chriſtus Dominus ſecundum ordinem Melchiſedech panem, & vinum obtulit.* & in canone in oratione illa, *ſupra quæ propitio &c. & quod tibi obtulit Summus Sacerdos tuus Melchiſedech*, quæ oratio non eſt inventum novum, nam legitur apud S. Ambroſ. lib. 4. de Sacram. cap. 1.

28 Sed non eſt in cauſa, cur pro aſſertione noſtra tot Scriptores, & Patres afferamus; ipſa Sacra hiſtoria ſatis rem noſtram declarat. Quid in ea refertur? *At vero Melchiſedech Rex Salem, proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei.* Nimirum Abrahamo. Ex his, etſi in ſcriptura non exprimatur, clare infertur, panem, & vinum fuiſſe prius in Sacrificium oblata Domino; quod quidem multis rationibus oſtendi poteſt, ſed potiſſimum, quia Melchiſedech dicitur Sacerdos Dei altiſſi-

tissimi, & nunquam alibi indicatur aliquod Sacrificium ab ipso oblatum, & postquam dictum fuerit, *proferens panem, & vinum* additur *erat enim Sacerdos*, quæ particula tanquam causalis apponitur, frustra autem, & inconsulto apponeretur, nisi causam indicaret propter quam panem, & vinum protulerit.

29. Hinc corruit quod nobis opponit Calvinus, nimirum in scriptura non legi offerens, sed proferens, quod significat tantum, rem aliquam in medium adducere, & quod ait Kemnitius, fuisse solum oblatum, seu prolatum panem, & vinum pro militum refectione, etenim pro militum refectione non poterat deesse panis, aut vinum, recensebantur enim Sodomorum substantiis, & spoliis onusti, & si illos voluisset reficere, non solum panem, & vinum protulisset, sed alios etiam pretiosiores cibos, nec id propria manu distribuisset, sed per famulos suos, cum esset Rex, manu autem propria distribuit tanquam Sacerdos, sicut & manu propria benedixit.

30. Argumento nostro num.29.premitur Hæreticus iste, atque ut illius robur effugiat, inquit in textu hebr. non reperiri particulam illam *enim*, sed copulativam *&*, vel verba illa, *erat enim Sacerdos Dei altissimi* non esse referenda ad priora, *proferens panem & vinum*, sed ad posteriora, *benedixit ei*. Neutrum tamen ex his ipsi suffragatur, cum particula *enim* in nostra vulgata reperiatur; nec opus sit ad hebræum codicem confugere, sicut diximus in nostro primo Tomo de verbo Dei scripto; sed rem ita esse concedam, dicam tamen particulam copulativam in textu hebræo habere vim causalis. Multa possunt exempla produci. Gen.20. ubi legit vulgata nostra; *En morieris propter mulierem, quam tulisti, habet enim virum*. Habet textus hebr. pro *enim* particulam copulativam *&* quæ si non significaret causalem nullum redderet sensum; Gen. 30. nos legimus, *Experimento didici, quia benedixit mihi Deus propter te, constitue mercedem tuam, quam dem tibi*. Legunt hebræi; *Experimento didici, re* idest *&*. Verum & ipsa vulgata nostra aliquando utitur *&* pro *enim*. Sic Isaiæ 64. dicitur. *Tu iratus es, & peccavimus*. Videlicet *quia peccavimus*. Secundum omnino falsum est. Nam periodus habet finem in illo verbo *altissimi*. Et ita, præter vulgatam nostram, habemus etiam in Græco & Caldæo textu, immo & in hebræo, cum ibi reperiatur accentus, quem vocant *Soph pasuch*. Hac ratione Genebrardus in ps. 109. explicans illa verba, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* reprehendit Gnosticos, qui, sicut nunc faciunt Calvinus & Kemnitius, negabant Christum offerentem panem, & vinum, Sacerdoti Melchisedech assimilatum fuisse.

31. Quamvis vero ita dictum sit, atque ideo sequatur, Christum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quod tanquam fidei dogma tenendum est, cum & in spiritu dixerit David ps. 109. postquam introduxerit Patrem filio dicentem, *dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Et hoc idem etiam senserit Paulus ad Heb.7. Psalmum porro illum de solo Christo intelligendum esse, constat ex illis verbis *sede à dextris meis, ex utero ante Luciferum genui te*. Quæ certe nec Abrahamo, nec Davidi, nec cuipiam ex hominibs possunt aptari. Non est tamen dicendum, Christi Sacerdotium idem fuisse cum illo Melchisech, nisi adinstar reprehesentati, & reprehæsentantis; Hoc enim fuit illius figura, & multo excellentius fuit Christus Sacerdos, cujus tantummodo typum & figuram gessit Melchisedech; quod perpetuo Sancti Patres docuerunt; Accipe ex istis Theodoretum, qui 63. quæst. in Gen. sic ait. *Melchisedech dedit Abrahæ panem, & vinum, prout moris erat Deo omnium talia offerre, animadvertebat enim & in hoc typum patefieri*.

Dama-

Damaſcenum lib. 4. de fide cap. 14. dicentem, *Menſa illa noſtram adumbravit*. Chryſoſt. hom. 35. in Gen. *Ille panis, & illud vinum fuit figura Euchariſtiæ*. Et tandem Ambroſ. lib. 3. de fide cap. 5. *Illum Melchiſedech, non Angelum utique ſecundum judaica ludibria intelligit Eccleſia, ſed virum ſanctum, ac Sacerdotem Dei typum gerentem Domini*. Ideo notavi ſupra potius Melchiſedech aſſimilatum eſſe Filio Dei, & ſic manere Sacerdotem juxta textum Apoſtoli.

32. Nunc ſubdenda ſunt aliqua, quæ nobis ab hæreticis opponuntur, & pr. Chriſtum potius dicendum eſſe Sacerdotem ſecundum ordinem Aaron, quam Melchiſedech; Quodnam enim fuit præcipuum Chriſti Sacrificium? profecto illum cruentum, per quod ſe in cruce obtulit Deo Patri; Melchiſedech autem nihil cruenti obtulit, econtra Aaron, & Sacerdotes alii Levitici.

Punctum hoc proprie pertinet ad dogma, non vero, an Melchiſedech obtulerit in ſacrificium panem, & vinum, nec ne. Sibi tamen S.Th. hoc argumentum proponit art. 6. hujus quæſt. & ad 2. dicit, in Sacerdotio Chriſti duo poſſe conſiderari, nimirum oblationem Chriſti, & participationem ejus; Si de ipſa oblatione ſermo eſt, expreſſius Sacerdotium Chriſti figurabatur per Sacerdotium legale propter ſanguinis effuſionem, quam per Sacerdotium Melchiſedech, in quo nulla ſanguinis fuit effuſio, ſi vero de participatione, & ejus effectu, in quo præcipue ſpectari debet excellentior dignitas Sacerdotii Chriſti, expreſſius figurabatur per Sacerdotium Melchiſedech, qui obtulit panem, & vinum, ſignificantia, ex Auguſtino relato de Conſecr. diſ. 2. cap. *Quia paſſus*. Eccleſiaſticam unitatem, quam conſtituit participatio Sacrificii Chriſti; Unde etiam in nova lege verum Chriſti Sacrificium communicatur fidelibus ſub ſpecie panis, & vini; quæ ſunt verba Sancti Thomæ.

33. Ego tamen cum pluribus aliis Theologis arbitror, Sacrificium cruentum crucis neque fuiſſe ſecundum ordinem Aaron, neque Melchiſedech; non primum; cum Chriſtus nullo pacto fuerit Sacerdos Aaronicus, ut optime probat Paulus ad Heb. 7. præter alia à nobis dicta; & quia Sacrificium Aaronicum non ſolum erat cruentum, ſed etiam figura, quod poſtremum Sacrificio crucis convenire non poteſt; Non ſecundum, quia Sacrificium Chriſti nec fuit incruentum, nec fuit typicum, ſicut fuit Sacrificium Melchiſedech; Sacrificium vero Chriſti in altari oblatum, & fuit incruentum, & fuit practice typicum, ideſt ſignificativum gratiæ, quod ſua virtute producit, & ideò hoc fuit ſecundum ordinem Melchiſedech, quod magis dicendum eſt, ſi perpendamus, in hoc illis rebus uti Chriſtum, ſuoſque Miniſtros, quibus uſus fuit Melchiſedech, ideſt pane, & vino, ſub quarum accidentibus, ſeu ſpeciebus verum Chriſti corpus & ſanguis continentur; quod non valet ad probandum, Sacerdotium Chriſti fuiſſe juxta ordinem Aaron, cum non fuerit Chriſtus uſus illorum animalium victimis, quibus uſus eſt Aaron, & deinde uſi ſunt Sacerdotes Aaronici.

34. Secundo argumentantur, quia Sacerdotium Chriſti non potuit repræſentari per ea, quæ fuerunt communia tam Sacerdotio Melchiſedech, quam Levitico, ſacrificare autem panem & vinum commune fuit utrique Sacerdotio, proinde &c. Præterea. Paulus ad Hebr. 7. ubi ex inſtituto probat figuram Sacerdotii Chriſti juxta ordinem Melchiſedech, nunquam loquitur de oblatione panis & vini, in quibus tamen videbatur præcipue figura, ſed de pluribus aliis, ut videri poteſt, ergo quia Melchiſedech non obtulit in ſacrificium panem, & ideo in hoc non fuit aſſimilatum Sacerdotium Chriſti Sacerdotio Melchiſedech.

35. Reſp. multifariam ſolvi poſſe primum argumentum; pr. à Sacerdotibus Leviticis oblatum quidem fuiſſe pa-

nem, & vinum, non tamen ut præcipuum sacrificium, sed tantum ut partem, & ut sacrificii condimentum, e contra à Melchisedech factum esse, cum nihil aliud ab ipso oblatum esse legamus. 2. Quamvis legamus à Sacerdotibus Leviticis factam fuisse oblationem panis, & vini, nullibi tamen legimus factam ita fuisse, ut simul obtulerint, panem & vinum, sed tantum seorsim. Ex.24. & Levit.24. obtulerunt panem, sed sine vino. Num.28. obtulerunt vinum, sed sine pane; e contrario Melchisedech. Ad 2. pr. dici potest, non fuisse institutum Pauli eo loci demostrare Christi Sacerdotium assimilatum esse Sacerdotio Melchisedech in oblatione panis & vini sed solum ostendere Sacerdotium Christi ex eo, quod fuerit secundum Ordinem Melchisedech excellentius fuisse Levitico; hoc autem præstat plura afferendo. 1. quia Mechisedech Rex simul, & Sacerdos erat. 2. quia ei decimas obtulerit Abraham, & in eo omnes Sacerdotes Levitici; 3. quod fuerit Sacerdos sine fine; & alia, quæ ibi leguntur. 2. respondent alii cum Genebrardo ex Hieronymo in epist.126. ad Evagr. omissam fuisse ab Apostolo explicationem sacrificii Melchisedech in pane, & vino, quia nondum tempus erat, ut Judeis, ad quos scribebat, tantum manifestaret Sacramentum, cum nec ipsi nondum essent idonei ad hujusmodi doctrinam ferendam, unde & illos comparat pueris, qui adhuc indigent lacte, nec solidior cibus posset ipsis communicari, aut ad edendum exhiberi. Hæc, ut ad hunc locum attinet, breviter dixisse sufficiat, ubi de sacrificio missæ fiet sermo, ampliora dicemus.

ARTICULUS V.

Utrum Christus fuit etiam Rex.

36. CHristum fuisse Sacerdotem secundum Ordinem Melchisedech, usque modo probatum est; cum vero fuerit Melchisedech Sacerdos, & Rex, videndum superest, an etiam Christus Rex fuerit, perfectiori quidem modo, sicut & excellentius fuit Sacerdotium. Si de regno spirituali loquamur, nullam excitare volo quæstionem, hanc enim vere, & suprema authoritate in Christo fuisse, itaut leges aliis servandas quibuscumque ferre potuerit, adeo certum est, sicut pro certo haberi debet, quod innumeris in locis sacræ tradunt scripturæ. *Ego autem constitutus sum Rex* ps.2. *Reges eos in virga ferrea*, scilicet, ut ibi exponit Augustinus, *inflexibilis justitiæ*. Non severitatis (ut plerique, quibus regimen datum est, sed scripturarum & Patrum ignorantes, usurpant) juxta aliud ps.44. *Virga directionis, virga regni tui*. Quid clarius etiam innuere potuit Is. dum cap.33. inquit; *Dominus Rex noster, Dominus legifer noster?* Quæ omnia intelligenda esse de Christo, satis constat ex iis, quæ passim habentur in Evangeliis; in quibus mandata à Christo data esse, nemo est, qui legat, & ignoret; quod si dicitur, legem per Moysem datam esse, gratiam vero, & veritatem per Jesum Christum Jo.1. satis respondit Aug. in toto lib. de spir. & lit. ideo hoc dictum esse de Moyse, quia lex Moysis præcipiebat, sed ad implendum vires non dabat, e contra lex data à Christo Jesu, quę propterea appellatur lex gratiæ, & jugum suave, de quo dixit Apost. ad Rom.8. *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu, quæ liberat à lege peccati, & mortis*. Sed, ut præmonui. de hac re disputationem instituere non placet.

37. Itaque ad regnum temporale Christi sermonem nostrum deducamus, & quidem, si de dominio indirecto loquamur, hic nihil à nobis addendum esse censemus, nam, si hoc etiam ad Romanum Pontificem pertinere, in nostro primo opere demonstravimus, potiori jure id de Christo concludendum esse nemo non videt, quia tamen ibi agebatur tantummodo de Regibus, qui Christi fidem profitentur, adhuc quæ-

quæstio aliquem sibi posset locum vindicare; quæ tamen resolvetur ex iis, quæ inferius dicturi sumus; hoc autem prius in examen vocabimus circa regnum Judæorum, deinde circa universum orbem; & certe non de dominio indirecto; non de Christo secundum divinitatem, sed secundum humanitatem.

38. Fuerunt quidam, præsertim Joannes de Janduno, & Marsilius Patavinus, qui dixerunt, Christum non solum non fuisse Regem, sed aliis Regibus, & Principibus fuisse subjectum, ita ut legis obligatione ipsis tributa persolverit; hanc opinionem tanquam hæreticam damnavit Joan. XXII. in extravag. *Licet juste* ut testatur Turrecremata lib.4. sum. Eccles.2. p. cap.37. & merito ita damnata fuit cum opponatur verbis Christi Domini dicentis Mat.17. *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis suis, vel alienis?* Respondit autem Petrus, *ab alienis* dixit illi Jesus, *ergo liberi sunt filii; ut autem non scandalizemus, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem: illum sumens da eis pro me, & te*. Hoc pacto plane ostendit, nullum in ipso fuisse debitum tributa solvendi, sed tantum ad evitandum scandalum persolvisse.

39. Omissa igitur hac opinione, fuerunt alii, inter quos Armacan. lib.4. quæst. Armenorum cap.16. & Abulen. in cap.21. Mat. q.30. qui dixerunt, Christum vere & jure proprio fuisse Regem Judæorum. Assertio hæc momentis pluribus ostendi posse videtur Luc.1. inquit Angelus; *Dabit ei Dominus Sedem David Patris ejus*, quod multo ante jam dixerat Isaias cap.9. dicens; *Super Solium David, & super regnum ejus sedebit*; immo & Jeremias cap.13. sic vaticinans; *Suscitabo David germen justum, & regnabit Rex*. Quamobrem Joan.21. populus, qui obviam ierat, dixit; *Benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Israel*. Immo ipse Christus Pilato interroganti *Mat.27. Tu es Rex Judæorum* respondit, *Tu dicis*. Ratio autem horum esse potest, quia Christus, cum secundum carnem Patrem non haberet, descendebat per fœmineam lineam ex stirpe David; lex autem erat num.27. ut si aliquis mortuus esset absque filio, filia esset hæres, igitur propter Beatam Virginem, quæ erat de stirpe David, Christus hæreditario jure erat Rex in Judæa.

40. Alii affirmarunt, regnum Christi fuisse tantummodo spirituale, nec ullum jus directum habuisse vel in omnia regna universi, vel in aliquod particulare regnum, sed indirectum solum, quatenus reges ipsos posset deponere ac mutare, si ad finem spiritualem id expediens judicasset, sicut de Pontifice summo dictum fuit in propria quæstione; pro hac sententia afferuntur præsertim Medina q.59. art.4. Driedo lib.3. de dogmat. Sacræ Scripturæ tract. 2. cap.20. Victoria relat.2. de Eccles. potest q:2.. Præcipuum fundamentum desumitur, quia Joan.18. Christus dixit, *Regnum meum non est de hoc mundo*. Et in quodam hymno, qui est Sedulii, canit Ecclesia, *non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia* Alias rationes inferius referemus.

41. Alii tandem distinguentes usum dominii & regiæ potestatis ab ipso dominio ac potestate, dixerunt in Christo vere fuisse jus Regis temporalis super omnes reges, noluisse tamen uti hoc jure, ac temporaliter regnare. Hæc fuit assertio Antonini 3. p. tit.3 cap.2. Cardin. à Turrecramata lib.2. sum. cap.116. Navarri in cap. *Novit* aliorumque, qui tamen non ita expresse loquuti sunt, ut S. Th. opus: 20. cap.13. in quo agit de regimine Principum, & ubi potius videtur loqui de solo regno Christi spirituali. Ut hæc omnia distincte, ac singillatim resolvantur.

42. Dico 1. Christum jure proprio ac peculiari non fuisse Regem temporalem Judæorum. Hoc docet ex instituto

Wal-

Waldens. tom. 1. doctrinal. fid. lib. 2. cap. 76. Sot. lib. 4. de justit. & jure q. 4. art. 1.

Hoc multifariam ostendo. & primo afferendo ea, quæ pro secunda sententia n. 41. dicta sunt. Secundo evertendo illa momenta, quæ adducta sunt; si enim jus aliquod habendi Judæorum regnum erat in Christo Jesu, vel erat ex parte Matris, vel ex parte Patris putativi, non quidem illud, quia, probari non potest, Beatissimam Virginem descendisse per rectam lineam à Davidica stirpe per Salomonem, & per ejus successores primogenitos, sed solum per Nathan, de qua re controversiam aliis relinquimus authoribus; & hoc etiam dato, vivente ejus Matre jus apud ipsam permansisset; quare ad summum habiturus id fuisset defuncta Matre, quod non evenit, non tamen habuisse, potest probari; non postremum, etenim hoc fuisset jure adoptionis, quæ nequaquam sufficit ad transferendum dominium, si alii sint legitimi successores, sicut tunc fuisse in dubium revocari non potest; deinde, quomodo probare possumus regnum illud ad Josephum pertinuisse? & tandem; Christum fuisse Filium putativum Josephi ex scriptura habemus, fuisse tamen Filium adoptivum, fingi potest, probari non potest. Tertio Regnum Davidicæ stirpis, jam multo prius quam Christus esset, finem accepit, nimirum in Jechonia, de quo dictum fuit à Jeremia cap. 22. *Non erit de semine ejus, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda*; & quidem merito, siquidem datum fuerat à Deo regnum Davidi, & ejus posteris sub conditione, idest si custodirent mandata ejus, & testimonia ejus, comminatus aliter ejus excidium; mandata autem & testimonia non custodierunt, ut prosequitur idem Jeremias in eodem capite; Regnarunt propterea post Jechoniam alii Duces, & Gubernatores, atque inter alios Machabæi, ex quibus communi populi suffragio constitutus fuit Simon, ut ea dignitas regia ac Sacerdotalis in ipso & posteris ejus permaneret, ut legitur 1. Machab. 14. Quo pacto igitur legitima successione, & hæreditario jure ad Virginem, & ad Filium ejus pervenire? an quia dictum fuerat, *Donec surgat propheta fidelis*. Ille scilicet Propheta, de quo dixit Moyses Deuter. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*? Sed quis ignorat, etiam principatum illum Machabæorum ante Christi adventum extinctum fuisse? & rursus, per illum prophetam fidelem intelligendum esse Christum, quis probabit? oppositum immo concluditur ex illis verbis, *sicut me*; constat enim, Christum fuisse plusquam Moysem. Denique, dicendo, Christum fuisse regem temporalem Judæorum, favet hebræorum errori, qui ut talem illum expectabant, contra quos agit Paulus in epis. ad Roman. ostendens, regnum ipsius non intra terminos judeæ contineri, sed in mundum totum extendi, nec futurum fuisse super Israelitas juxta carnem, sed super filios Abrahæ secundum fidem; Remanet itaque dicendum quod a nobis conclusum fuit, nec est, cur aliquid addamus ad oppositas scripturas explicandas.

43. Videntur tamen contrarium sensisse Hieronym. & Athanas. Primus enim in cap. 22. Jeremiæ explicans verba producta, inquit, quo pacto hoc dictum est à Jeremia si Christus futurus erat de stirpe Jechoniæ, & sessurus super solium David? Secundus vero in serm. de Sanctiss. Virgine perpendens illa verba ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo &c.* ait, *Accepit*, idest Christus, *his verbis thronum Davidis corporaliter ex ratione prosapiæ, qua Pater illi David fuit*. Sed isti Patres non de temporali regno, sed spirituali loquutos esse, non est ambigendum, ita ut in Christo regnum temporale Davidicum, quod jam finem habuerat, fuerit in spirituale com-

commutatum, ideo Athanasius ibidem inquit, *Regnum David ita translatum fuisse in Christum, ut fuerit in melius commutatum.*

44. Dico 2. Christum vere habuisse dominium & regiam potestatem in omnes Reges, noluisse tamen uti hac potestate & dominio, quod idem asserunt alii dicentes, Christum habuisse jus in omnia regna mundi, hoc tamen noluisse exercere.

Et quantum ad primam partem hujus assertionis plurima non desunt sanctæ scripturæ testimonia. Apocalyp. 1. de Christo dicitur *Princeps Regum terræ* & 19. *habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium*. Act. 10. de Jesu habetur. *Hic est omnium Dominus*. Et Paulus ad heb. 2. de ipso profert verba ps. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, constituisti eum super opera manuum tuarum.* Et tandem Christus Mat. ultimo de se inquit, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.*

Atque hoc pacto hasce scripturas Sancti Patres intellexerunt. Cyr. lib. 12. in Joan: exponens illa verba; *Regnum meum non est de hoc mundo.* ait *Regem se esse non negat: sed Regni Cæsaris se non esse hostem ostendit, quia regnum ejus terrenum non est, sed cœli, & terræ, cæterarumque rerum omnium*. Hilarius in illa verba ps. 2. *Ego autem constitutus sum &c.* inquit. *Nescio an Christum Regem etiam ambigere, sit tutum.* & probat exemplo magorum dicentium, *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum*. Aug. eodem modo expendit eadem verba tract. 225. in Joan. ubi etiam ponderat, non dixisse Christum, *Regnum meum non est in hoc mundo, sed non est de hoc mundo*. Denique Gregor. hom. 8. in Evang. hæc habet; *Qui non in parentum domo, sed in via nascitur, ut profecto ostenderet, quia per humanitatem suam, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur; alienum dico non secundum potestatem, sed secundum naturam, nam de potestate ejus scriptum est, in propria venit.*

45. Utrum hæc recte probent quod intendimus, solus Pater Vasquez in oppositum contendit, nobiscum vero reliqui Doctores consentiunt; sed quidquid de hoc sit, id satis valida possumus ratione demonstrare, quæ ex eo colligitur, quod humanitas Christi Domini esset hypostatice divinitati conjuncta, propter quam unionem dictum fuit à Paulo ad Hebr. 1. *Quem constituit hæredem universorum*; & Joan. 13. habetur, *Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus* qua ratione probatur, Christo non defuisse hujusmodi potestatem, etiam anteqam à mortuis resurgeret, & ad dexteram Patris sederet.

46. Quod tandem Christus hujusmodi dominio ac potestate usus non fuerit probant ea, quæ dicta sunt n. 41. quibus addere possumus, quod respondit cuidam dicenti Luc. 12. *Magister dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem.* Nempe; *Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem inter vos?* Et cum Joan. 6. illum turba vellet in Regem eligere, fugit in montem, & abscondit se. Ad summum probari posset, aliquod dominium & potestatem exercuisse, cum arefecit ficum, cui maledixit Mat. 21. & cum Math. 8. dæmones misit in porcos.

47. Nunc subdam rationes illas, quibus probari posset; Christum non habuisse hujusmodi potestatem. 1. Quia, si Christus haberet in omnia regna jus & dominium, nullus Rex jus haberet ad regnum. 2. Christus non fuit Rex jure hæreditario, ut nos diximus, non populi electione, non Dei concessione, quæ sine aliquo fundamento fingeretur, ergo nullo titulo. 3. Si Christus nunquam regiæ potestatis usum habiturus erat, utquid hæc regia potestas? Major fuisset in Christo perfectio si non tantum abdicasset usum dominii, sed etiam ipsum jus ad dominium. 4. Si Christus esset Rex, privasset omnes Reges regno, quod

quod ante ejus nativitatem habebant, cum in uno regno nequeant esse duo Reges, aut sequeretur, alios Reges in sua dignitate esse Christi Vicarios. Tandem cum Romanus Pontifex sit successor Christi in dignitate, esset Dominus totius Orbis; quod non est concedendum.

48. Respon. ad 1. Jus, quod ante Christum alii habebant, etiam post Christum retinuisse, & cum ipse nollet uti regia potestate, reliquit omnes respublicas & regna in sua libertate, ut quos vellent eligerent in Reges, & quorum potestas in reliquos hæreditario jure promanaret. Ad 2. non adductis titulis Christus erat Rex, sed propter unionem hypostaticam, ut dictum fuit. Ad 3. negamus frustraneum esse jus ad regnum, etiamsi quis nolit eo jure uti, præsertim si nolit uti ob majorem perfectionem, nolle enim regnare sine jure & facultate regnandi; nullam explicat perfectionem; non poterat autem Christus abdicare etiam facultatem illam, nisi abdicando ipsam unionem hypostaticam. Ad 4. sicut ad primum. Ultimum non tenet, non omnia, quæ in Christo erant, Romanis Pontificibus tanquam sui Vicariis ipse contulit.

QUÆSTIO IX.

De Christi Filiatione, & Prædestinatione.

ARTICULUS I.

Utrum Christus dici possit filius Dei adoptivus.

1. IN hac re accurate, ut decet, expendenda, afferendum est primò, quid de Christi filiatione senserint plures. Jam statim occurrunt Felix Urgelitanus Episcopus, & Elipandus Toletanus, quorum mentem hic paucis exponendam suscipimus. Si fides est habenda Annonio, seu Aimonio lib. 4. de gestis Francorum cap. 83., per litteras Elipandus Felicem consuluit interrogans, quid de Christi humanitate sentiret, nec non si Christus esset Filius Dei adoptivus. Respondit Felix, adoptivum dici posse, ac debere; Quo factum est, ut Elipandus doctrinam hanc tanquam veram, & Catholicam palam doceret. Ægre id tulit Beatus Presbyter vir apprime pius ac doctus, & quantum potuit, se opposuit, doctinam illam tanquam erroneam & in fide suspectam notans & damnans, cui etiam adhæsit Heterius Episcopus Uxomensis. Tunc Elipandus, authoritati suæ, qua cœteris Ecclesiis eminebat, maximam injuriam fieri, sensit, quod ab uno Presbytero, & uno Episcopo erroris argueretur, quamobrem ad Fidelem Abbatem scripsit epistolam, valde conquerens, ita in ipsum, quem alii debebant in fidei rebus consulere, rem esse peractam, brevi tamen sperans, hæresim Beatianam (hoc nomine appellabat sententiam illorum) à se fore extinguendam, sicuti non multos ante annos hæresim Megetianorum de paschatis celebratione per Hispalense Concilium damnaverat & represserat. Quod Fideli scriptum fuerat, Beato & Heterio notum factum est, atque ideo statim Elipando propriam sententiam exposuerunt, atque eam pluribus scripturæ testimoniis confirmarunt; Totum hoc etiam refert Ambrosius Morus lib. 13. Historiæ Hispanicæ cap. 26. Nimium doctrinæ suæ ac menti fidens Elipandus, ut Beatus, & Heterius solemnius damnarentur, ad Carolum Magnum Galliarum Regem dedit epi-

epiſtolam, à quo deinde Rege Concilium pro rei definitione convocatum fuit, ac error Felicis, & Elipandi damnatus.

2. Rem hanc ſic refert etiam Eginhardus ad ann. 792. *Felix ab Elipando conſultus, quid de humanitate Chriſti Domini ſentiret; an ſecundum quod homo eſt, proprius, an adoptivus Dei filius dici debeat, valde incaute, ac inconſiderate & contra antiquam Catholicæ Eccleſiæ doctrinam, adopitivum non ſolum pronunciavit, ſed etiam ſcriptis ad memoratum Epiſcopum libris pertinaciſſime pravitatem opinionis ſuæ defendere curavit. Hujus rei cauſâ ductus ad Palatium Regis, qui tunc apud Reginum Bajoviæ Civitatem, in qua & hyemaverat, reſidebat, ubi congregato Epiſçoporum Concilio auditus eſt, & errare convictus, ad præſentiam Adriani Pontificis Romam miſſus ubi etiam coram ipſo in Baſilica Beati Petri Apoſtoli hæreſim confeſſus eſt, & abdicavit: quo facto ad Civitatem reverſus eſt. Ibi autem cum ad vomitum, inſtigante Elipando, Felix rediiſſet, celebrata eſt Fracofurti Synodus, in qua proſcriptus ille iterum fuit ac damnatus.*

3. Utrum vero hoc ab illis dictum fuerit in ſenſu Ariano, vel Neſtoriano, merito dubitaremus. Siquidem, Chriſtum eſſe filium adoptivum, vel contingere poſſet, quia Verbum non ſit æquale Patri, & hoc dicebant Ariani, vel quia in Chriſto eſſent duæ perſonæ divina, & humana, & hoc dicebant Neſtoriani. Elipandi confeſſio, quam ex Gothico exemplari collegiſſe, teſtatur Vaſquez; apud hunc Doctorem reperitur, ſed adeo confuſa eſt hæreticorum more, ut ejuſdem mens ſatis dubia relinquatur, & in ipſâ non nulla reperiuntur, ex quibus facile Arianus convinceretur. Sunt autem quædam momenta quæ ipſum à Neſtorii ſecta excuſant, ſunt vero & alia plura, quæ ipſum Neſtorianum declarant. Primi generis ſunt, 1. quia Felix in ſua confeſſione, quæ refertur à Paulino l. 1. contra eum, fatetur, unum & eundem filium eſſe filium Dei, & filium hominis. 2. Quia Summus Pontifex Adrianus in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ Felicis, & Elipandi argumenta refellens, hoc tantum videtur recenſere, Chriſtum videlicet non propter humanam perſonam, ſed propter humanitatem, eſſe filium Dei adoptivum. 3. Quia Patres Concilii Francofordienſis inquiunt, eorum errorem eſſe novum, & inauditum in Eccleſia, quod vere dici non poſſet, ſi fuiſſet error Neſtorianus.

4. Secundi generis ſunt. 1. Quia idem Paulinus adnotavit, in ea fidei confeſſione parum fuiſſe firmitatis, & conſtantiæ. 2. Quia Adrianus ex illo dogmate infert humanam in Chriſto reperiri perſonam. 3. Quia in libro Sacroſyllabico Paulini illi duo Epiſcopi dicuntur *novi quidem hoſtes, ſed veternoſæ fæce perfidiæ polluti*. 4. Quia Epiſtola Synodica Concilii Francofordienſis aſſerit, errorem illum jam in Neſtorio fuiſſe damnatum, & in ea reprehenduntur, quod Neſtorio anathema dicere recuſaverint, ita ut, quod Neſtorius ſignificaverat nomine copulationis, ipſi intellexerint nomine adoptionis, & hoc eſt, quod Alcuinus lib. 1. contra Felicem, & Sigibertus in Chronico ad annum 793. adnotarunt. Ex hiſce videat oculatus lector, quid juremerito ſit concludendum.

5. Non defuerunt vero alii Scholaſtici, qui in alio ſenſu Chriſtum dici poſſe filium Dei adoptivum, exiſtimarunt; In primis Durandus in 3. diſt. 4. quæſt. 1. duo docet, unum; Chriſtum ſine aliquo addito dici non poſſe filium Dei adoptivum, poſſe tamen, ſi addatur ſecundum humanitatem, in quo ſenſu appellari poteſt filius Spiritus Sancti, quia eſt filius adoptivus per gratiam, quæ licet ſit à tota Trinitate, attamen Spiritui Sancto appropriatur. Gabriel vero, Almainus, & Major filiationem adoptivam negarunt Chriſti perſonæ, ejus tamen humanitati eam conceſſerunt, ita ut ejus humanitas dici potuerit adoptata. Ali-

qui dubitarunt de mente Scoti, immo Doctorem attulerunt tamquam adoptivam Christi filiationem defendentem, sed quam immerito hoc dictum sit, satis constat legenti dist. 10. quæst. unic. in 3. ubi omnes rationes rejicit, quibus hæc filiatio adoptiva probatur, & si aliquod in ipso dubium est, non est de conclusione, sed de modo probandi conclusionem; & tandem si non adeo firme & assertive loquutus est, hoc ideo fuit, quia tempore Scoti acta Concilii Francofordiensis nondum erant reperta, & evulgata. Hisce expositis.

6. Dicendum. Christum dici non posse Filium Dei adoptivum. Ita omnes alii Theologi; & oppositum aut est hæresis, si esset in sensu Arii, Photini, & Nestorii, aut est hæresi proximum, ita ut sine temeritate sustineri non possit, si sit in sensu aliorum.

Probatur Filius adoptivus non potest simul esse filius naturalis, sed esse debet persona extranea adoptanti, & solo affectu ipsi uniri, unde ab omnibus Jurisconsultis definitur *adoptio personæ extraneæ gratuita acceptatio ad hæreditatem*, sed Christus ut homo, est ita filius Dei naturalis, ut non sit persona Deo adoptanti extranea, aut solo affectu ipsi unita, ergo nullo modo est filius Dei adoptivus. Hanc rationem, quam invictissimam existimo, colligo ex Scriptura Sacra, & ex perenni Sanctorum Patrum traditione, & quidem nihil hic proferam ex scripturis, quia jam satis contra Nestorium probatum fuit, Christum fuisse filium Dei naturalem; aliqua tantum addam, prout Patrum postulant testimonia. Cum pluries Christus loquutus sit de Deo Patre, nunquam illum sibi, & nobis Patrem fecit communem, unde Joan. 20. inquiit, *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum* in quæ verba Athan. lib. de incarnat. Christi, & Damascen. lib. 4. de fide cap. 8. dixerunt, *meum per naturam*, *vestrum per gratiam*. Qui postremus, postquam declarasset, quomodo Christus dicatur secundum generationem æternam primogenitus, & unigenitus inter omnes creaturas, ut etiam ostenderet, quare dicatur primogenitus inter multos fratres, hæc addit, *Primogenitus autem inter fratres, quoniam cum matris etiam ratione unigenitus esset ipse natura Dei filius, inter nos, qui & adoptione, & gratia in Dei filios adoptati sumus, primogenitus factus est, eoque etiam nomine dicebat, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: non dixit Patrem nostrum, sed Patrem meum, natura videlicet, & Patrem vestrum beneficio & gratia*. Secundum testimonium desumo ex Gregorio Magno, qui lib. 1. Moral. cap. 6. perpendens illa verba dicta de Job. *Erat ille vir magnus inter omnes orientales*. Hæc scribit. *Quod Redemptor noster oriens dicitur Propheta testante perhibetur qui ait, & ecce vir oriens nomen ejus: omnes homines tantummodo homines sunt, ipse autem oriens Deus, & homo recte dicitur, omnes, qui in fide Deo nascuntur, superat, quia non ut cæteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat, qui etsi humanitate cæteris apparuit similis, divinitate tamen mansit super omnia singularis*.

7. Verum quia Adrianus Papa plurimos Sanctos Patres in sui epistola exponit, illos libenter omittemus, nobisque sufficiant duo. Primus est Hilarius qui lib. 3. de Trinit. de Christo jam morituro sic ait. *Hic & verus, & proprius est filius, origine, non adoptione, veritate, non nuncupatione*. Et lib. 6. ex illis verbis. *Hic est filius meus dilectus &c.* inquit. *Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum. ab Apostolis creditum, non ex nuncupatione, sed ex natura, neque ex adoptione, sed ex nativitate*. Secundus est Augustin. qui tract. 7. in Joan. hæc habet. *Oportebat, ut ille baptizaret, qui est filius Dei unicus, non adoptatus, Adoptati filii, ministri sunt unici: Unicus habet potestatem, adoptati Ministerium*. Et clarius tract. 2. in Joan. cap. 1. in illa verba; *Quotquot autem recepe-*

ceperunt &c. Sic. *Non enim nati sumus de Deo quomodo ille Unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius, ille enim venit Unigenitus, ut solveret peccata, quibus implicabamur, ne adoptaret nos propter impedimentum eorum.* Ex quibus sic licet argumentum proferre. Si Christus peccatum habuisset, nequaquam peccatum destruxisset, ergo si habuisset adoptionem, nequaquam adoptionem tribuisset.

8. Quanquam, etsi nobis alia momenta deessent, unica doctrina Concilii Francofordiensis sufficientissima foret; jam ipsius verba proferamus. Inter plura hæc eligo. *Unitas personæ Christi adoptionis tollit injuriam, adoptio nullam habet significationem nisi, ut Christus filius Dei proprius, & naturalis non sit: si vere Deus, & vere Filius, & si verus Filius nequaquam adoptivus. Adoptivus dici non potest, nisi is, qui alienus est ab eo, à quo dicitur adoptatus; Quid est adoptio, nisi charitatis copulatio, qua Pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet.* Ea igitur ratione, qua Christus propter humanitatem non desiit esse filius Dei naturalis & proprius, non potuit propter humanitatem esse filius Dei adoptivus. Ex his autem recte intellectis non est, cur aliqui confugiant ad humanitatem, nam etiam ipsa humanitas non erat solum affective conjuncta divinitati, ut exigit adoptio, & ibi non tantum negata fuit ratio adoptionis in sensu Nestoriano admittente duplicem personam, sed in quocumque sensu.

9. Opponunt tamen 1. ex Patribus. Iren. lib.3. adversus hæres. cap.21. *Propter hoc enim Verbum Dei homo, & filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei.* Hilarius 2. de Trinit. *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.* Atque hoc docet etiam S. August. de prædest. Sanct. cap. 15. Marius Victorin. lib.1. contra Candidum Arrianum. *Nos adoptione filii, ille natura etiam, & quidem adoptione filius, & Christus, sed secundum carnem.*

Respondent aliqui, revera Irenæum, & Marium Victorinum sententiam asserentem adoptionem in Christi humanitate approbasse. Ego tamen tantum honoris adversariis non concedam; sed dicam, ibi sermonem esse de adoptione late sumpta idest de assumptione humanitatis ad unionem hypostaticam, fatemur autem, naturam humanam omnino gratuito & ex divina liberalitate ita fuisse adoptatam, idest assumptam; non autem de adoptione dicta juxta definitionem positam num.6. in prob. de qua est præsens disputatio. Ad Hilarium & Augustinum idem respondemus; sed facile error irrepsit in Codice Hilarii, nam potius deberet legi, *carnis humilitas adoratur.* Et hoc magis videtur consonum aliis verbis, quæ sunt, ista. *Aliud intelligitur, aliud videtur, Parit Virgo, partus à Deo est, infans vagit, laudantes Angeli audiunt, panni sordent, Deus adoratur, ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas &c.*

10. Op.2. directe contra nostram probationem. Non repugnat filiatio adoptiva cum filiatione naturali, ergo quamvis Christus sit filius naturalis Dei, dici potest adoptivus; pr. ant. non repugnat sanctitas accidentalis cum sanctitate substantiali, immo neque servitus cum dominio, ut constat in ipso Christo, ergo à pari. Confir. ad filiationem adoptivam non requiritur extraneitas in persona, sed sufficit in natura, atqui in Christo, ut homine, est extraneitas in natura, ergo. Pr. maj. Natura est illa, quæ generatur in similitudinem sui principii, non sic personalitas, ergo. Præterea. Ex jure civili *L. Qui liberatus §. De adoptionibus* habetur; *Qui liberatus est à patria potestate bonesse reverti non potest, nisi adoptione*, ergo filius naturalis esse potest filius adoptivus.

11. Resp. ne ant. ad prob. conc. ant. ne. conf. quia sanctitas accidentalis & substantialis, servitus, & dominium, dicuntur de Christo tanquam de duplici subjecto, nimirum una propter naturam humanam, alia propter divinam; at filiatio adoptiva & naturalis diceretur de Christo, tanquam de uno subjecto, nimirum propter personam, cum ab omnibus adoptio definiatur electio &c. Hac de re negatur major confirmationis, ad prob. trans. ant. ne. conf. Si enim natura generaretur sine personalitate, illa natura non posset dici filia, quamvis diceretur genita, quia non esset concretum substantiale, quod solum potest denominari filius. Manifestum est hoc etiam in divinis, non enim producitur filius, quia producatur natura, quod fieri non potest, sed quia producitur personalitas, ergo quia &c. Adde, Christum, ut hominem, esse filium Dei naturalem, non quia à Deo per generationem naturam humanam acceperit, sed quia naturam humanam Deus Verbo hypostatice univerit. Ad ultimum; dico, legem illam supponere, quod apud Romanos sancitum erat, idest filium emancipatum, & liberatum à patria potestate, non retinere jus ad Patris hæreditatem, quod, loquendo civiliter, est non esse amplius filium, & ideo in civili consideratione fiebat postea filius adoptivus, quod non potest in Christo valere.

12. Instabis. Natura extranea sufficiens est ad constituendum filium adoptivum suppositum licet intraneum, ergo si in Christo natura humana est extranea, quamvis persona sit intranea, sufficiens erit ad &c. pr. ant. natura intranea sufficiens est ad constituendum filium naturalem suppositum extraneum, etenim Christus dicitur filius naturalis Virginis, licet sit suppositum extraneum, propter naturam humanam, quæ Virgini est intranea, ergo à pari natura extranea sufficiens est ad &c.

13. Quidqnid alii huic argumento respondeant, ipsi occurro dicendo, naturam extraneam destitutam propria subsistentia exigere terminari per aliam subsistentiam, unde fit, alienam subsistentiam esse exigitive intraneam illi naturæ, quam terminat. Placet hoc explicare exemplo. Totus homo dicitur filius naturalis alterius hominis, nec tamen alter homo producit animam, sed solum producit corpus, quod ex divino decreto exigit animam, & ita dicitur producere animam exigitive. Ita in casu nostro, Maria Virgo dicitur Mater divini Verbi, quia licet Verbum sit extraneum Virgini, attamen produxit illam humanitatem, quæ ut destituta propria subsistentia, exigebat terminari per subsistentiam Verbi divini, & sic Verbum factum fuit ipsi intraneum secundum exigentiam. Tandem, filiatio adoptiva habetur tantum per assumptionem personæ extraneæ, juxta dicta; Filiatio vero naturalis habetur vel per productionem naturæ intraneæ, ut dicimus de Virgine, vel per productionem intraneæ personalitatis, ut dicimus de æterno Patre. Si vero filiationem adoptivam vis aliter explicare, inconsulto & temere id facies, & tunc erit quæstio tantum de nomine.

14. Opp. 3. Christus, ut homo, habuit gratiam habitualem, ergo ut homo, fuit filius Dei adoptivus. Pr. conse. gratia habitualis est forma constituens filium Dei adoptivum, ergo si Christus &c. Confir. Christus, ut homo, est filius Dei, cum de illo dictum fuerit, *Hic est filius meus dilectus*. Sed, ut homo, non est filius Dei naturalis, nisi per communicationem idiomatum, sicut non est Deus, nisi per istam, ergo.

Resp. gratiam habitualem de primario constituere subjectum Deo gratum, & acceptum, de secundario vero constituere filium Dei adoptivum, si subjectum sit capax, & persona extranea, quod in nostro casu non contingit; neque mirum est hoc, nam etiam gratia habitualis in nobis est radix fidei,

spei,

ſpei, ac luminis gloriæ, nec tamen fuit in Chriſto, quia Chriſtus hujuſmodi habituum incapax erat, ergo à pari. Ad Confir. vera eſt minor, ſi ly homo reduplicat conceptum humanitatis, falſa, ſi ſuppoſitum, ut requireretur ad filiationem adoptivam. Quod vero ſuppoſitum divinum terminaverit humanitatem, & ſic dicatur homo, non extrahit illum à ratione filii naturalis, conſequenter &c. Reſpondent alii; Chriſtum, ut hominem, non eſſe Deum, ſi homo ſumatur generatim & indefinite, non ſi ſumatur, ut hic homo; Reſponſio diverſis terminis eſt eadem.

15. Ut vero amplius res elucidetur, nec amplius poſſit quis ad humanitatem Chriſti ſermonem convertere; inquiro, utrum humanitas Chriſti dici poſſit adoptata.

Cum adoptio latius pateat, quam filiatio adoptiva, quia, ſi anima crearetur, & conſervaretur à corpore ſeparata, huic infundi poſſet gratia habitualis, proinde dici poſſet adoptata, ſeu aſſumpta ad æternam hæreditatem, nec tamen dici poſſet filia adoptiva, quia conceptus filiationis indicat perſonam, hac ratione videretur, dici poſſe humanitas Chriſti adoptata, quamvis Chriſtus non ſit filius Dei adoptivus.

Nihilominus dico, humanitatem Chriſti de facto non poſſe proprie adoptatam appellari. Sic probo. Si humanitas Chriſti appellari poſſet adoptata, vel eſſet propter gratiam habitualem, vel propter gratiam unionis, ſed neutrum, ergo. Pr. prima pars min. gratia habitualis in Chriſto invenit humanitatem incapacem adoptionis, ergo. Pr. ant. gratia habitualis in Chriſto invenit humanitatem præſuppoſita gratia unionis, ſed ſic invenit humanitatem incapacem adoptionis, ergo. Pr. min. & ſimul ſecunda pars primæ minoris. Humanitas per gratiam unionis non remanet ſubjectum Deo extraneum, ergo humanitas per gratiam unionis eſt incapax &c. pr. ant. Humanitas per gratiam unionis eſt ſubſtantialiter unita Deo, & non ſolum affective, ut requiritur ad adoptionem, ergo non remanet Deo extranea, alioquin anima foret extranea corpori, & toti homini partes illæ, quæ per aggenerationem comparantur, cum major ſit unio inter perſonam Verbi, & humanitatem, quam inter corpus & animam. Dixi de facto, nam ſi vel humanitas præceſſiſſet gratiam unionis, vel nunc dimitteretur, poſſet abſque dubio adoptata nuncupari, propter rationem poſitam, antequam quæſito reſponderemus.

16. In prædicta difficultate reſolvenda omiſi ſententiam illorum Scotiſtarum, qui negantes Chriſtum, ut hominem, tam ut filium Dei naturalem, quam adoptivum, dixerunt, eſſe filium Dei proprium; inquiunt autem, illum eſſe filium proprium, qui nec eſt naturaliter genitus, nec extraneus, quod contendunt in Chriſto reperiri; ſed revera hæc queſtio de ſolo nomine eſt, ut fatetur etiam ipſe Maſtrius, nec alia apud juriſperitos filiatio reperitur, quam naturalis & adoptiva. Sed quidquid de hoc ſit, Chriſtum, ut hominem non eſſe filium Dei adoptivum, nobis ſatis eſt demonſtraſſe.

ARTICULUS II.

Quomodo loquendum ſit de Chriſti prædeſtinatione.

17. ITA hujuſce articuli titulum propoſui, cum in eo mens ferat omnia reſolvere, quæ alioquin multam ingerunt difficultatem. Præcipua autem lis orta eſt inter Scholaſticos ex verbis Apoſtoli ad Rom. 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri*. Quot habeat textus iſte explicationes, ego exponere non audeo; qui velit illas legere; ferme iiſdem ver-

bis

bis declarant Patres Vasquez, & Suarez. Interim ad quædam alia peculiaria deveniendo.

18. Quæritur 1. utrum hic homo, qui est Christus, proprie dici possit prædestinatus, ut esset filius Dei.

Fateor, facillime quæsitum hoc resolvi posse, quamvis tot paginas impleverunt, qui illud pertractantes, resolverunt, vel enim hic homo significat humanitatem, ex qua denominatur homo, vel significat suppositum, quod dicitur hic homo, si primum, illam propositionem, hic homo prædestinatus est, ut esset filius Dei, verissimam esse non ambigo, si secundum, negative sentio. Porro hæc omnia explicemus, necesse est.

19. Et pr. humanitatem esse prædestinatam, ut uniretur hypostatice divinæ personæ, quod est, hunc hominem esse filium Dei, facillime ostendi potest; immo res ita se habet, ut aliter fieri non potuerit; quotiescumque enim agimus de aliquo supernaturali dono, quod potiori jure dicendum de unione hypostatica, confugere debemus ad divinam prædestinationem, cum hoc pertinere nequeat ad ordinariam providentiam, atqui humanitatem esse unitam personæ Verbi, ad ordinem naturæ non pertinebat, ergo ex divina prædestinatione, seu peculiari Dei dispositione fuit sic unita. Dixi rem ita se habere, ut aliter fieri non potuerit; & ideo probo secundum punctum.

20. Si hic homo fuisset prędestinatus; ut esset filius Dei, filius Dei esset prædestinatus ut esset filius Dei, sed hoc est in verbis ludere, & in re omnino falsum, aliter dici posset, statutum esse, hominem esse hominem, ergo. Pr. maj. hic homo, nempe Christus est filius Dei, & quidem unione supposita necessario, quia non est aliud, per quod determinetur ut sit hic homo, nisi personalitas Verbi divini, ergo si hic homo fuisset prædestinatus, ut esset filius Dei, filius Dei esset prædestinatus, ut esset filius Dei. Optime propterea sententiam nostram probat Durandus in 3. dist.7. q.3. num.9. tali pacto. Qui ad aliquem finem prædestinatur debet esse prior tempore, vel saltem natura eo, ad quod prædestinatur, sed hic homo Christus non est prior tempore aut natura filio naturali Dei, quia Christi humanitas nullam aliam habuit suubsistentiam, quam illam Verbi divini, ergo. Ego vero aliter argumentum proponerem. Ille, qui prædestinatur, debet esse distinctus ab eo, ad quod prædestinatur, sed hic homo Christus non est distinctus à Filio Dei, ergo non potuit prædestinari, ut esset Filius Dei. Ubicumque igitur invenitur aut in scripturis aut Patribus, Christum prædestinatum esse, ut esset Filius Dei, explicare debemus de humanitate Christi, quæ prædestinata seu præordinata fuit, ut ad subsistentiam Verbi assumeretur, & ita etiam hic homo esset Filius Dei.

21. Atque hinc facile reiicio quasdam Sancti Augustini authoritates, quibus oppositum probari videretur. Una legitur in Enchir. cap.40. ubi ait. *Profecto modus iste, quo natus est Christus de Spiritu Sancto, insinuat nobis gratiam, qua homo nullis præcedentibus meritis in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cæpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei*. Alia est in lib. de prædest. Sanct. cap.15. ubi inquit. *Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus, de ipso spiritu ille renatus est, de quo hic natus est*. Tertia est in lib. de bono perseverant: cap. ultimo; ubi sic. *Qui ergo fecit illum hominem sine ullis ejus præcedentibus meritis, nullum vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum &c. Et illum ergo, & nos prædestinavit, quia in illo, ut esset caput nostrum, & in nobis, ut corpus ejus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præscivit*. Sentit igitur S. August. illum hominem fuisse

fuisse prædestinatum, ut esset nostrum caput, sicut nos prædestinati sumus, ut simus ejus membra.

22. Facile inquam hæc testimonia rejicio, dicendo, plerumque Augustinum uti nominibus concretis pro abstractis, atque ideo in illis locis contendit humanitatem Christi fuisse assumptam ad unionem sine aliquibus meritis, ut inde declaret etiam nos sine aliquibus meritis fuisse prædestinatos ad gratiam. Quod vero Augustinus ita nominibus concretis pro abstractis utatur, facile ex pluribus ejusdem dictis colligitur, ut cum frequenter dicit, Verbum assumpsisse hominem; sed ne alia proferam, perpende testimonium primum hic adductum, in eo sunt verba, *Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem*. at profecto non hic homo copulatus est in personæ unitatem, sed humanitas, ergo de humanitate loquitur. Perpende etiam alia, quæ post laudata de prædest. Sanct. cap. 15. ipse habet. Hæc sunt. *Quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est comparavit, ut hoc esset?* nempe Deus. *Respondeatur quæso, ille homo, ut à Verbo in unitate personæ assumptus, Filius Dei unitus esset, unde hoc meruit?* Sed sola humanitas assumpta fuit, ergo de humanitate est sermo, & pro abstracto concretum est positum.

23. Neque satisfacit plurium doctrina dicentium; hunc hominem ut sic esse prædestinatum, ut sit Filius Dei, in conceptu autem hujus hominis ut sic non includi suppositum Filii Dei, sed solum id quod subsistit in hac humanitate. Præconcipitur igitur inquiunt hic homo ut sic prius ratione, quam concipiatur esse Filium Dei, & per divinam prædestinationem ordinatur, ut sit ipsemet Filius Dei naturalis, ab æterno enim decrevit Deus, ut subsistens in hac humanitate esset ipse Filius Dei naturalis.

Non satisfacit inquam; quis enim sibi persuadere potest, aliquem nostrum conceptum formalem, vel objectivum esse posse objectum divinæ prædestinationis? Hoc autem contingeret in prædicta responsione. Præterea; in conceptu hujus hominis ut sic includitur id, quod subsistit in hac humanitate; & in Christi humanitate quid subsistebat? nihil profecto; nisi prius dicamus, fuisse personam. Nihil nihil præcessit præter humanitatem; hæc igitur fuit prædestinata, ut esset Filius Dei, idest, ut assumeretur hypostatice à Filio Dei. Quod si velint, Christum, ut hominem fuisse prædestinatum, dicant etiam fuisse Filium Dei adoptivum præsertim quia, ut docet S. Th. hic art. 1. ad 2. *Prædestinari est dirigi ad salutem, quod quidem est suppositi agentis propter beatitudinem suam*. Quod autem dicit de prædestinatione ad beatitudinem, dici pari ratione potest de Filiatione Dei.

24. Quæritur 2. an Christus dici possit prædestinatus ad gloriam, & alia dona supernaturalia.

Respondeo eodem modo quo supra, nimirum hoc esse verum de Christi humanitate, nequaquam de Christi persona, & ideo dum dicitur, Christus, ut homo, fuit prædestinatus ad gloriam, ly ut homo naturam denotat non personam. Ratio est eadem; non est propterea verum, quod dicebatur in auctoritate S. Th. superius allata, contra quod manifeste agit Scot. in 3. dist. 7. q. 7. §. Respondeo, dicens, quod *Sicuti potest Deus omne bonum aliud à se diligere non tantum suppositum, sed etiam naturam, ita etiam potest alii à se preordinare, vel præoptare bonum illi conveniens, & ita potuit illi præoptare unionem hypostaticam in ordine ad gloriam, & non personæ*. Fatetur tamen Doctor Subtilis verum esse, quod ait Angelicus, in omnibus aliis, quia nulla alia natura prædestinari potest non subsistens subsistentia creata, præter naturam humanam Christi.

25. Dices. Valet hæc propositio. Chri-

Christus, ut homo, meruit, satisfecit, passus, & mortuus est, ergo etiam Christus, ut homo, fuit prædestinatus ad gloriam, & alia supernaturalia dona, per quæ meruit, & satisfecit; sed eodem modo respondeo; si ly ut homo significat humanitatem, id esse verum, si indicat personam, id esse falsum; erat enim persona divina, quæ quidem conferebat dignitatem operibus humanitatis propter unionem cum humana natura, mereri tamen nec satisfacere poterat, nisi propter humanitatem assumptam. Idem dico, si afferatur quod habetur in symbolo. *Et homo factus est*, hæc enim propositio idem significat, quod alia Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*. Verum jam me repræhendi video, quod in hisce subtilitatibus diutius inmoror. Alias paraveram fateor, sed, ne amplius arguar, abstineo. Reliqua vero, quæ inquiri possunt, facillime propositis terminis intelliguntur, & resolvuntur.

ARTICULUS III.

Utrum Christus, ut homo, sit Dei servus.

26. ADnotandum est, non idem omnino esse subjectionem, & servitutem, illa siquidem exerceri potest erga quemcumque superiorem, sive Principem, sive Patrem, sive dominum, hæc vero solummodo erga dominum. Porro servitus ista generatim considerata dividitur in naturalem, seu physicam, & in legalem, seu polyticam, & civilem. Naturalis oritur ex intrinseca, & essentiali dependentia, quam habet quælibet creatura à Deo, à quo accipit tam sui productionem, quam sui conservationem. Legalis vero oritur ex dependentia extrinseca, & accidentali, quam quis contrahere potest, vel jure belli, vel emptione, vel pænali judicis sententia, atque qui ita servus est, appellari solet mancipium, quamvis inter Christianos mancipii rigor sit interdictus. Ad hanc servitutis speciem videtur revocanda servitus peccato, aut diabolo, de qua 2. Petri 2. *Servi sunt corruptionis, à quo enim quis superatus est, hujus & servus est*. Et ad Rom. 7. *Ego autem carnalis venumdatus sum sub peccato*. Qua propter definivit Conc. Trident. ses. 5. in decreto de peccato origin. *Adam per peccatum incurrisse cum morte captivitatem sub potestate diaboli*.

27. Sentiendum 1. Christum, ut hominem servum servitute legali dici non posse, multo minus vero servum servitute peccati. Hæc secunda pars constat ex iis, quæ dicta sunt, ubi de Christi impeccabilitate pertractatum.

Prob. prima. In servitute legali ea includuntur, quæ nullo pacto convenire possunt Christo, ut homini, ergo. Prob. ant. In servitute legali id includitur, quo, qui servus est, nullo pacto sit sui juris, sed libertas tota, & omnes actiones sint sub dominio alterius, & potestate, ita ut nec bona propria possideat, nec possit in bonis domini communicare, nec habere jus ad ejusdem amicitiam, & hæreditatem, atqui hæc nullo pacto convenire possunt Christo, ut homini, si enim cæteris justis dictum fuit Joan. 15. *Jam non dicam vos servos, sed amicos* multo magis hoc convenit Christo, qui est caput justorum, & causa justitiæ meritoria.

28. Hoc totum tradidit Adrianus Papa, & Concilium Francofordiense. Ille in sua epistola tam multa dicit contra Felicem & Elipandum, ut si omnia congerere vellem, satius esset epistolam totam exponere; Proferam igitur clariora, ac magis insignia testimonia. Ante medium hæc habet. *Tanta vos temeritatis dementia deludit, ut adoptivum eum filium, tanquam purum hominem calamitati humanæ subjectum, &, quod pudet dicere, servum eum impii & ingrati tantis beneficiis liberatorem nostrum non pertimescitis venenenosa fauce susurrare? Cur non veremini queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum servum*

nun-

nuncupare? Rurſus. *Etſi umbra Prophetiæ dictus eſt ſervus propter ſervilis formæ conditionem, quam ſumpſit ex Virgine. ſicut ſcriptum eſt, Conſideraſti ſervum meum Job &c. nunquid propterea nomen ſervi, ei imponere debemus?* Item ponderat, in antiquo teſtamento allegorice quidem, & in figura Chriſtum dictum fuiſſe ſervum, ſicut fuit dictus Leo, Petra &c. & tandem ait. *Enim vero in ipſo etiam articulo paſſionis, in quo ſervilis formo pati parata erat, ubi omnis humanæ conditionis infirmitas monſtrabatur, non eum dominum appellavit, ſed Patrem; Pater, inquit, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Quoniam magnum pietatis ſacramentum, quod apparuit in mundo juxta Pauli vocem adſumptum eſt in gloria. Nullus unquam Evangeliſtarum, nemo Apoſtolorum ſervum eum commemorat, ſed Dominum & Salvatorem*, Concilium vero ad Epiſcopos Hiſpan. ita ſcribit. *Intelligite, in hac profeſſione veſtra duplices diabolicæ fraudis latuiſſe dolos: hoc eſt, ut vos; qui gratia baptiſmi redempti eſtis, ab unitate catholicæ disjungeret Eccleſiæ, & Schiſmatici erroris laqueo à via ſalutis æternæ retraheret, dum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quem Deum colimus, & adoramus ſervum prædicatis, & adoptivum.*

29. Sed hoc multo ante docuerunt Sancti Patres. S. Leo ſerm. 1. de nativit. *Aſſumpta eſt de Matre hominis domini natura, non culpa, creata eſt forma ſervi ſine conditione ſervili, quia novus homo ſic contemperatus eſt veteri, ut & veritatem ſuſciperet generis, & vitium excluderet vetuſtatis.* Auguſt. hom. 36. *Dominus noſter etiam in forma ſervi non ſervus, ſed etiam in forma ſervi dominus fuit.* Euſeb. Emiſs. hom. 6. de Paſch. poſtquam dixerit, oblatum eſſe pro peccatis noſtris hominem juſtum, & ſanctum, addit. *Talem regio noſtra non habet, quia non ſubvenire peccato poterat obnoxius, nec intervenire pro ſervis legibus ſervitutis obſtrictus*; Tandem Damaſc. lib. 3. de fide cap. 21. *Servitutis & dominationis vocabula non naturas, ſed quæ ad aliquid referuntur, indicare, ut paternitatis & filiationis voces.... Illi autem, qui ſervum eum dicunt, unum Chriſtum ad inſtar Neſtorii in duos dividunt.* Ex hiſce omnibus ſic infero, debet à Chriſto excludi aliqua ſervitus, ſed ita excludi debet ſervitus legalis, de qua dictum in prob. ergo.

30. Sentiendum 2., Chriſtum, ut hominem recte dici Dei ſervum ſervitutê naturali.

Ratio eſt, quia ſervitus iſta non ad vilem conditionem pertinet, nec excludit communicare in bonis domini, aut ad ejus provehi hæreditatem, immo ſpectat ad dignitatem, ſuppoſita imperfectione, quæ neceſſaria eſt in qualibet re creata, ex ipſo titulo creati, quod eſſe non poteſt, quin ſit ſub perfecto dominio Dei; ſicut ergo, vere dicitur de Chriſto, eſſe creaturam ſecundum naturam humanam, ita vere dicitur eſſe naturalem Dei ſervum; neque enim unio hypoſtatica extrahit naturam humanam Chriſti à conceptu eſſentiali naturæ humanæ, perinde neque extrahit à naturali ſervitute.

31. Sic tamen ad hoc magis probandum argumentum propono. Debet admitti in Chriſto aliqua ſervitus, ſed non illa, quam in prima aſſertione rejecimus, ergo iſta. Ad probandam propoſitionem non aliunde efficacius argumentum exhiberi poteſt, quam ſi afferam ſcripturas, & Patres. Præſto ſum.

Immo præſto ſunt Iſaias 42. ubi legitur. *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum, adducam ſervum meum orientem.* Ubi Hieronym. in expoſitione inquit; *Nec mirum, ſi vocetur ſervus, factus ex muliere, factus ſub lege.* Et quamvis Mat. 12. non habeatur. *Ecce ſervus meus.* Sed *ecce puer meus.* Attamen Auguſtinus lib. 20. de Civit. cap. ult. & lib. de unitate Eccl. cap. 7. indifferenter utitur voce, *Pueri, & Servi.* David pſal. 131. in perſona Chriſti loquitur. *Servus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ.* Apoſt. 1. ad

ad Corint. 3. *Omnia vestra sunt, Vos autem Christi, Christus vero Dei*. Joan. 20. dicit Christus. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum*. Hoc autem idem est, quod, si vocaret Dominum, ut hic expendit S. Th. immo Concil. Ephes. in epist. ad Nestor. & latissime probat S. Hilar. 11. de Trinit. sub initio.

32. Si vero Sanctos Patres perpendamus; innumeri ferme sunt, qui hanc nostram sententiam docuerunt. Ambros. lib. 7. epis. 47. quemdam negantem Christum pro nobis servum factum esse, dicit, fuisse errore Apollinaris infectum; & lib. 5. de fide cap. 6. inquit. *Non igitur præjudicat, quod subjectus dicitur, cui non præjudicat, quod servus legitur*. August. ep. 178. sic ait. *In qua infirmitate humanitatis non solum subditum, sed etiam servum evidentissime confitemur, ipso dicente, ego servus tuus*. Et serm. 5. de Temp. *Secundum hanc regulam modo æqualis, modo minor, modo dominus, modo servus*. Fulgen. de fide ad Pet cap. 2. *Formam servi accepit, ut fieret servus*. Quid plura addam? an Cyril. Alexandr.? Hic in epis. ad Evoptium in defens. 6. Anathematismi, cum objiecisset Theodoretus, Christum vocari servum à Prophetis, respondet; *Si quis dicat, eum vocari servum propter voces Sanctorum Prophetarum, nullo modo offendi decet, cognoverunt eum per revelantem Spiritum Sanctum, quod Verbum ex Deo Patre fieret homo*. Vide quæso, quo pacto ex Christi humanitate inferat Christi servitutem; quod manifestius facit lib. 12. Thes. cap. 15. inquiens. *Servi Dei nos sumus secundum naturam, sed servus factus est, quia vere homo*. An Athanasium? Ecce quomodo loquitur serm. 4. contra Arian. *Quatenus in confesso est, eum hominem esse factum, nihil discriminis attulerit, sive servus, sive hominis filius appelletur, omnes enim istæ voculæ in ratione humanitatis vere competunt*. Et in epist. pro Nicena Synodo contra Eusebium, explicans illa verba, *Dominus creavit me*. hæc habet. *Quemadmodum, cum audimus eum Dominum, ac Deum intelligimus, eum ex Patre esse, ita quoque, cum audimus de eo hanc vocem, Dominus creavit me, & quod servus factus sit, & passus sit, ea ipsi non imputari divinitati, cum id minime conveniat, sed carni admetiri, quam propter nos gestavit*. Concludamus ergo, quod sicuti propter formam Dei verus est Deus, ita propter formam servi verus est servus, quæ quidem jam fuit conclusio Chrysost. serm. 7. in epis. ad Philip. & Theodoreti explicantis verba Apost. ibidem, ubi dicit. *Forma Dei est substantia Dei, forma ergo servi est substantia servi*.

33. Hæc nostra secunda assertio nullo pacto conceditur à Vasquio, qui in contrarium adducit plura ex illis, quibus primam nostram assertionem probavimus; atque hanc fuisse mentem Adriani & Concilii Francofordiensis, contendit; alia vero momenta à nobis adducta ad naturalem servitutem probandam, inquit, esse intelligenda solum tropice, sicut cum Christus dicitur, Leo, Agnus, Petra.

Sed revera Doctor iste, certe maximi habendus, Adriani & Concilii mentem non satis apte assequutus est; etenim non alia servitus rejecta fuit, quam illa, cui obstricti sunt peccatores, & servi legales. Primum ostendo ex ipso Concilio dicente. *Sed & hoc volumus audire, an Adam primus generis humani parens, liber sit conditus, an servus: si servus, quomodo tunc imago Dei? si liber, cur non magis Christus? Unde Adam servus factus est, nisi ex peccato?* Cum autem Adam etiam ante peccatum servus esset Dei, plane sequitur sermonem ibi esse de servitute peccati. Adrianus vero in epistola sua hæc alia habet. *Nos per illum adoptivi, non ille nobiscum adoptivus, nos per illum à servitute liberati, non ille nobiscum servus*. Atqui nos liberavit a servitute peccati, non autem à servitute naturali, ergo non fuit servus

ser-

servitute peccati, fuit tamen servitute naturali. Rursus. Adrianus excludit servitutem illam, quæ legalis est, quod est secundo loco demonstrandum, siquidem res agebatur contra Felicem & Elipandum negantes Christo participationem ejusdem honoris & excellentię cum Deo, in qua quidem servitute quoad hanc partem sunt omnes Angeli, & homines, quamtumvis Sancti, qui ita sunt Deo subjecti, ut non sint una persona cum Deo, & in hoc sensu nunquam in Scripturis Sanctis Christus vocatus est servus, sed per hujusmodi servos fuit prophetice præsignatus, ut per Job, Jacob, & David &c. In quo sensu dici potest fuisse dictum hujusmodi per figuras & tropos. Quod si velit hoc pacto intelligenda esse à nobis dicta juxta scripturas & Patres, eadem ratione confugient hæretici semper ad figuras & tropos, & quemadmodum ipse per formam servi intelligit tropicam servitutem, ita illi per formam Dei intelligent tropicam divinitatem.

34. At urget. Hanc servitutem componi non posse cum unione hypostatica; Si enim per conjugium communicatur Uxori dignitas nominis, quo maritus insignitur, ita ut si Rex fuerit, & ipsa regina efficiatur, atque ideo nequeat servili conditione detineri, ut habetur in authentica de Consulibus §. *Si autem Uxor* collatione 4. & in lege, *Mulieres* C. de dignitatibus lib. 12. à fortiori hoc dicendum est de Christi humanitate, quæ arctiori vinculo unita fuit Deo, ut esset Christus homo Deus, adorandus eodem cultu latriæ, omnipotens, immensus &c.

Verum, si Vasquius vult, hæc omnia in suo sensu vera esse, miror, quod etiam non negaverit, Christum passum, ac mortuum esse, cum certe majoris infirmitatis argumentum sint passio, & mors, quam sit ipsa servitus; Sicut ergo passus & mortuus est, quia pati & mori proprium est humanæ naturæ, ita vere fuit servus, quia servitus est ipsi naturæ intrinseca & essentialis, utpote dependenti à Deo, de qua Deus potest pro beneplacito suo disponere, in quo potissimum consistit ratio dominii. Atque hoc pacto refellitur argumentum desumptum ab uxore, quæ matrimonio jungatur Principi, nam prior servitus illius erat extrinseca, & tantum à lege positiva inducta, quæ proinde auferri potest; non ita servitus cujuscumque creaturæ per respectum ad Deum.

35. Admissa hac naturali in Christo servitute. Quæritur. Utrum possit absolute dici, Christus est servus, an debeat addi particula, *ut homo*.

Resp. quod si nullum sit periculum ambiguitatis, nec illa loqutione possit aliquis abuti, hæc propositio, *Christus est servus* absolute est vera, sicuti absolute est verum, *Christus est passus & mortuus*. Quia tamen hæc ratio servitutis fundamentum habet, in hoc, quod sit creatura, sicuti absolute dici potest, *Christus est creatura* sed propter abusum hæreticorum, addi debet, secundum humanitatem, ideo tutius dicemus, Christum esse servum addita voce humanitatis, & ita revera loquuti sunt Patres, quos nos attulimus, etenim ex eorum contextu satis intelligimus, ipsos de Christo, ut homine sermonem habuisse. Idem fortiori dicendum est in hac propositione, *Christus est servus filii Dei* etenim cum ly Christus significet suppositum, videretur ex illo loquendi modo indicari in Christo pluralitatem suppositorum, & in hoc sensu definivit Concilium Ephes. can. 6. Verbum non esse dominum Christi.

QUÆSTIO X.

De potestate, quam Christus habuit faciendi miracula.

ARTICULUS I.

An Christi humanitati sit communicata omnipotentia.

1. Eutichiani asserentes per incarnationem fuisse permixtam, & confusam utramque naturam divinam, & humanam, consectarie dixerunt, humanitati Christi fuisse communicatam omnipotentiam, ita ut non solum per idiomatum communicationem Christus homo omnipotens sit, sed etiam vere & realiter facta fuerit omnipotens ejus humanitas, quem in errorem nostrorum etiam temporum hæretici prolapsi sunt.

2. Indubitatum tamen est apud omnes Catholicos, Christi humanitati non fuisse communicatam omnipotentiam, & ideo Christus ut homo non potest omnipotens dici, quam veritatem docuerunt omnes Theologi cum S. Thom. hic art. 1. Bonavent. in 3. dis. 14. art. 3. q. 3. &c. Quemadmodum enim humanitas per unionem hypostaticam non est effecta divinitas, ita ipsi nullum attributum, quod Deitatis proprium sit, est communicatum, omnipotentia autem est prædicatum soli Deitati conveniens; & si per unionem humanitas non evasit immensa, neque procul dubio evasit omnipotens. Remansit in Christo duplex natura, remansit igitur & duplex potentia, una, quæ corresponderet humanæ, alia, quæ corresponderet divinæ. Sed inquiro, quomodo hujusmodi omnipotentia communicata dici possit, vel per se ipsam formaliter, vel per aliquid creatum; non primum, alioquin se habuisset tanquam forma recepta in ipsa natura humana, non secundum, quia hoc creatum esset in sui conditione inferius omnipotentia; nullo igitur modo. Propterea duo ad constituendam omnipotentiam requiruntur. Unum est, quod omnia, quæ produci possunt, omni modo contineat; aliud est, quod in modo agendi sit virtus principalis, & à simultaneo concursu independens; sed neutrum ex istis communicatum fuit Christi humanitati, ergo.

3. Atque ex hoc postremo reiicitur argumentum illud, quo probari videtur, quod sicuti animæ Christi fuit communicata omniscientia, & potuisset etiam communicari æternitas, ita etiam omnipotentia, quæ illatio apparet apta, cum non minus omniscientia sit prædicatum proprium divinitatis, quam omnipotentia. Etenim ad omniscientiam non requiritur res omnes cognosci quantum cognoscibiles sunt, neque in hoc sensu anima Christi cognovit omnia, ut dictum est in propria quæstione, ad omnipotentiam vero spectat, posse res omnes producere omni modo, quo producibiles sunt; & qui omnia sciret, non deberet rerum omnium perfectionem in se eminenter continere, sicut qui aliquod obiectum cognoscit ejusdem obiecti in se perfectionem non habet, ut experimur in nobis, e contrario, qui aliquem effectum producit, ejusdem effectus perfectione non caret; cujus ratio intrinseca esse potest, quia obiectum cognitum nihil in se recipit à facultate cognoscente, effectus autem qui producitur, quidquid in se habet, recipit à causa producente; Quod vero de æternitate dicitur, parum urget,

urget, etenim non esset æternitas Dei, sed participata & destruibilis. Ex quo sic novum argumentum conficio. Vel omnipotentia communicata humanitati destrui posset, vel non destrui, si primum, ergo non esset omnipotentia, ad hanc enim pertinet omnia posse destruere, nullo pacto posse destrui, quod imperfectio est; si secundum, contra est, quia ipsa humanitas destrui potuit, ergo non fuit omnipotens.

4. Contra hoc videntur esse nonnulla dicta Sanctorum Patrum; Glossa enim ordinaria in illud Luc. 1. *Hic erit magnus* sic ait, *Non quod ante partum Virginis non fuerit magnus, sed quia potentiam, quam filius Dei naturaliter habet, homo ex tempore erat accepturus, ut una sit persona homo & Deus*. Damasc. lib. 3. de fide cap. 8. *Per naturam quidem haud quam omnipotens erat, ut autem Dei Verbum vere ac naturaliter effecta, nihil non quoque ipsa poterat*. Denique Nicetas lib. 3. Thesauri cap. 38. sic loquitur, *Humanitas, quæ per conjunctionem in unam, eamdemque personam assumpta est, ex ipsa conjunctione, & communicatione effecta divina est, statimque ab humanæ naturæ terminis non recedens, excellentes, & magnificas divinitatis notas accepit, ut & vitam tribueret, & esset omnipotens, & omnia cerneret*.

5. Hæc tamen omnia, & si quæ sint alia, vel debent intelligi per solam idiomatum communicationem, ut explicavit S. Th. hic art. 1. ad 1. ita ut sic humanitas sit divino Verbo conjuncta, ut ratione illius possit hic homo dici omnipotens, & hoc postremis verbis indicat etiam laudata Glossa, vel debent explicari, quia per unionem fuerit humanitati collata specialis vis operandi quædam supra naturam convenientia soli Deo, ut organo & instrumento divinitatis, quod tamen non sufficit ad communicandam omnipotentiam, alioquin etiam Apostoli, quibus data fuit potestas dæmonia eiiciendi, & languores sanandi proprie omnipotentes dici potuissent.

6. Opponas tandem. Humanitas, propter unionem hypostaticam accepit sanctitatem substantialem, ergo etiam omnipotentiam, cum utraque sit proprium prædicatum divinum. Rursus. Humanitas Christi existit per existentiam Verbi divini, ergo etiam operatur per potentiam Verbi divini, modus enim operandi sequitur, ut inquiunt, modum existendi.

Sed contra. Dico, humanitati Christi collatam fuisse Sanctitatem substantialem personalem & in ratione termini; nequaquam in ratione operandi, ut dictum est de Christi impeccabilitate; Secundo diversa est ratio sanctitatis ab illa omnipotentiæ, siquidem per sanctitatem humanitas non sit principium efficiens operandi, sed solum principium merendi, & satisfaciendi, quod haberi potest, quin aliquid in humanitate recipiatur, e contra fieret per omnipotentiam. Ultimum contra me non probat, nam antecedens est falsum; Thomistæ tamen, in quorum sententia est verum, satis respondent.

7. Immo sentio, humanitatem Christi ex vi unionis nullam habuisse majorem operandi ex se virtutem, quam si fuisset separata; loquor de majori virtute operandi, ut convenit causæ principali, non instrumento, fateor enim sic fuisse instrumentum conjunctum assumptum à Verbo ad quædam operanda, ad quæ non fuisset assumpta, si fuisset separata; sicut sermo est de virtute producendi effectus physicos, non sic morales consistentes in merito & satisfactione, sic enim unionem multum conferre nemo potest in dubium revocare. Ratio est, quia per hanc unionem natura humana Christi nullo modo intrinsece & physice fuit mutata, ergo neque ex tali unione acquisivit majorem virtutem ad physice operandum; ex alia parte subsistentia est quidem conditio ad operandum, non autem principium formale operationis, proinde &c. Hoc confirmo.

Ac-

Accidentia eucharistica separata à proprio subjecto non habent majorem virtutem per hoc quod sub se contineant corpus & sanguinem Christi una cum divinitate, ergo neque natura humana destituta propria subsistentia habet majorem virtutem, per hoc quod sit terminata subsistentia divina. Respondet Richard. in 3. dist.14. art.5. q.2. id evenire, ne fides sacramenti evacuetur, sed idem ego dicam de humanitate Christi, ne fides humanitatis minuatur.

ARTICULUS II.

An humanitas Christi propter unionem habuerit virtutem faciendi miracula.

8. Referunt Æneas Sylvius lib. de origine Bohemorum cap. 35. & Alphonsus adversus hæres. verbo, *Miraculum*, olim Waldenses negasse, fuisse in Ecclesia Christi aliqua vera miracula, proinde etiam sequi videtur, nullum miraculum à Christo fuisse perpatratum, quod quam impie dictum sit, satis constat, si evangelica legatur historia. Lazarum jam quatriduanum in monumento, puellam, & adolescentem excitavit à mortuis; & Mat. 11. legitur. *Ite, renuntiate Joanni quæ vidistis, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt.* Quare merito dixit Christus Joan.5. *Opera, quæ dedit mihi Pater, ut faciam, ipsa testimonium perhibent de me*; 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite* 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent.* Porro hæc fuisse miracula, satis colligitur, si veri miraculi naturam perpendamus, aliud enim non requiritur, nisi quod sit opus extraordinarium vel in re, vel in modo, & quod ita causas excedat, ut per nullas naturales vires obtineri possit; Hujusmodi autem fuisse opera plurima à Christo facta, ut mortuorum suscitatio, visus ac sanitatis ad solius vocis impertium restitutio negare quis potest?

9. Fuerunt tamen aliqui dicentes, hæc à Christo facta esse apparenter solum virtute magica, & dæmonum invocatione, unde & ipsi hebræi calumniabantur dicentes, in virtute Beelzebub Principis dæmoniorum id perpatrasse. Aliqui vero concedentes, ea vera fuisse miracula, optimo Christi temperamento, quod à Medicis appellatur justitiæ, sive ad pondus, illa tribuerunt; dicebant enim, quod, quemadmodum homo, quia naturali suo temperamento cæteris animalibus præstat, ea suo regere valet imperio, sic Christus, quia optima erat præditus corporis constitutione, & æquissima elementorum mixtura, cui addebatur ingenii excellentia, omnibus rebus præerat, & ideo naturali virtute poterat claudos erigere, cæcos illuminare, & reliqua, quæ de ipso leguntur perficere. Juxta hoc Gentilis Fulginates, ut refert Petrus Aponensis apud Medinam lib.2. de recta in Deum fide cap.7. dixit, Æliam justa adeo temperie constitutum fuisse, ut in quolibet ex elementis potuerit se collocare, & ita explicat quod legitur Eccles.48. in turbine igneo fuisse receptum.

10. Primum, quod dictum est, calumnia fuit & ignavia; secundum tanquam fabula, & inventum philosophicum contra rectas Philosophiæ leges expositum. Ut illud calumniam demonstremus satis est, si afferamus responsum Christi Domini, quo Pharisæos ita dicentes rejecit; *Omne*, inquit, *regnum in se divisum desolabitur, si autem & Satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?* Mirificæ res, quas fecit Jesus, non alio fine factæ sunt, quam, ut homines ad recte vivendum, & ad veram fidem, quam ipse prædicaverat, suaviter ac fortiter traherentur; Ideo Joa.11.dixit de Lazaro mortuo, *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis.* & alibi, *ut credant, quia tu*

tu me miſiſti. Venit Chriſtus in mundum, ut diſſolveret opera diaboli, Joan.3. quo pacto igitur virtute dæmonis ea portenta operabatur? quinimmo diaboli ſe ipſi commendarunt, ne eos amplius torqueret, & coacte fatebantur, illum eſſe Chriſtum Filium Dei vivi.

11. Quod vero de optimo Chriſti temperamento dicitur, fabula eſt, pr. quia Medicorum Principes, ut Galen. lib. de temperam. & de tuenda valetudine, Avicen doctrina 3. cap.1. Averrores 2. de gen. com.48. impoſſibile aſſerunt hoc temperamentum ad pondus, de qua re, cum Theologum agam, nullam inſtituere volo quæſtionem; ſed etiam admiſſo, hujuſmodi fuiſſe temperamentum Chriſti, utpote qui ope Spiritus Sancti genitus fuit, attamen quis ſibi perſuadeat, tam mira potuiſſe operari, ut etiam à longinquo loco poſſet infirmitates curare, & mortuos ad vitam revocare? præſertim quod, ſi id ejuſdem temperamento tribuendum fuiſſet, id operatus eſſet adinſtar naturalis agentis, non vero prout ſua decernebat voluntas, quod tamen ita actum eſt. Unde dixit ille; *Domine, ſi vis, potes me mundare*, & reſpondit Jeſus, *volo, mundare*. Joan.II.Malam hominis Conſtitutionem aliis nocere poſſe, non negamus, conſtat hoc in faſcinatione; & ita juſtam hominis Conſtitutionem aliis prodeſſe poſſe concedimus, attamen ea, quæ à Chriſto facta ſunt, ipſi tribuere, nugatorium eſt, temerarium eſt, hæreticum eſt.

12. Hiſce rationibus etiam confutatur error aliorum, qui dixerunt cum Avicen. in quarta *ſexti naturalium* cap 6. hæc miracula adſcribi potuiſſe virtuti & efficacitati imaginationis Chriſti; ibi enim exiſtimabat Avicen. animam hominis per vehementem affectum, & imaginationem ſuum, & aliena corpora poſſe tranſmutare, immo pluvias, & grandines & ventos de cœlo poſſe deducere. Dicamus igitur virtutem faciendi miracula fuiſſe Chriſti humanitati communicatam, tanquam ejuſdem divinitatis inſtrumento, quod amplius in ſequenti demonſtrabitur.

ARTICULUS III.

An virtus faciendi miracula in Chriſti humanitate fuerit phyſica, vel moralis.

13. Virtutem phyſice operantem illam appellamus, quæ per ſuum realem influxum producit effectum, vel principaliter, vel inſtrumentaliter, ſeu diſpoſitive, ſi pr. modo, eſt cauſa principalis phyſica; ſi ſecundo, eſt cauſa phyſica inſtrumentalis & diſpoſitiva. Virtus moraliter operans illa eſt, quæ licet phyſicam cauſalitatem in effectum non exerceat, attamen eſt cauſa, ob quam cauſa phyſica operetur, quod bifariam evenire poteſt, vel quia ipſa cauſa phyſica principalis ita inſtituerit, vel quia moveat cauſam phyſicam ad agendum intercedendo. conſulendo, imperando &c.

14. In propoſita difficultate eſt ſententia affirmans, humanitatem Chriſti fuiſſe inſtrumentum phyſicum omnium operum ſupernaturalium, ſive ſint opera pertinentia ad externa miracula, ſive ad productionem gratiæ, noſtræque juſtificationis. Pro hac ſunt Capreol. in 4. diſ.1. art.3. Palud. diſ.1. q.1. n.32. Sot. q.3. art.5. Ferrarien. Driedo, Vega lib.7. in Concil. Trident. cap.13. Hurtad. Valent. Medina, aliique recentiores cum Suarez, qui tamen diverſo modo ſe explicant, de qua re infra. Eſt vero etiam ſententia negans, itaut humanitati Chriſti tantum conceſſerit virtutem moralem tam ad miracula perpatranda, quam ad gratiam, noſtramque juſtificationem conferendam. Pro hac ſunt Alex.3. p. q.13. art.3. mem.3. S. Bonavent. in 3. diſ.13. art.2. qu.3. Scot. q.1. circa finem, & in 4. diſ.2. q.1. §. *Ex his*. Durand. Vaſquez, Lugus, Amicus Arriaga, aliique plures.

15. Dixi

15. Dixi supra, Doctores priorem sententiam propugnantes diverso modo se explicare, siquidem aliqui dicunt, humanitati Christi concessam fuisse aliquam qualitatem, quæ esset ordinis Superioris, & virtus instrumentalis ad istas operationes efficiendas. Aliqui docent, virtutem hanc miraculorum effectricem non esse rem aliquam inhærentem humanitati, sed tantummodo aliquem motum impressum à Deo humanitati. Aliqui tradunt, esse potentiam obedientialem activam existentem in rebus ipsis, per quam efficere possunt opera supernaturalia, tanquam instrumenta Dei, si velit concursum specialem ad effectum aptum Deus præbere. Secunda opinio probabilior est.

16. Atque hic prætereundo ea, quæ in libro de Sacramentis dicam, nimirum, ista esse tantum causas instrumentales morales gratiæ, sic primo assertionem probo. Fuerunt aliqua miracula à Christo patrata, quæ explicari possunt per solam efficientiam moralem humanitatis, aliqua vero, quæ non possunt explicari per efficientiam physicam, ergo humanitas Christi non fuit instrumentum physicum operativum miraculorum. Priorem partem antec. ostendo; Fuerunt aliqua miracula à Christo patrata vel in loco valde distanti sine aliquo contactu vel suppositi vel virtutis, vel tantummodo per imperium, sed quod fit sine aliquo contactu vel suppositi, vel virtutis, & per solum imperium non fit per instrumentum physicum, ergo. minoris primam partem debent Thomistæ concedere, cum hæc sit ipsorum doctrina, quam tradunt in Philosophicis quæstionibus, secundum debent concedere omnes, cum jussio ad moralem causam referatur, sicut & consilium. Pr. maj. cum Joan.4. dixit Regulo, *vade, Filius tuus vivit*, & Mat.8. Centurioni, *Vade, fiat tibi sicut vis, & sanatus est puer in illa hora*; Miraculum patratum est in loco distanti sine aliquo contactu vel suppositi, vel virtutis, asserere enim Christi vocem delatam fuisse usque ad illum locum, ubi detinebantur infirmi, est aliud miraculum sine ulla prorsus necessitate & fundamento excogitatum affirmare; Cum vero Luc.4. dixit Dæmoni hominem obsidenti, *Obmutesce, & exi de homine* aut Joan.11. suscitavit Lazarum à mortuis dixit; *Lazare veni foras* tunc utrique imperavit, ergo fuerunt aliqua miracula à Christo patrata, quæ &c.

17. Quod vero fuerit aliquod miraculum, quod explicari non possit per efficientiam physicam, licet ex Superioribus deducatur, sic amplius declaro. Quando Christus Dominus super aquas ambulavit, hoc explicari non potest per aliquem physicum humanitatis influxum; etenim hoc factum est, ut ajunt illius loci expositores, vel quia ejus corpori nunc concessa fuerit dos agilitatis, vel quia divina virtus corporis molem sustinuerit, ne suo vestigio aquas premeret, vel quia aquæ cohibitæ sunt, ne compressæ moverentur, ac diffluerent, sed ad nihil horum humanitas Christi physice se habuit, ergo; non quidem ad dotem agilitatis, etenim corpus vivens, agilitate prædítum, est causa principalis cujuscumque motus, quocumque modo fiat, nec opus est, ad hujusmodi motum assumatur tanquam instrumentum; nec dici potest secundum, cum contrarium colligamus ex Patribus. Dionys. epist.4. ad Cajum, ostendens, Christum hominem ea, quæ sunt hominis, super hominem fecisse, ait. *Cujus rei evidens inditium est Virgo excellentis miraculi novitate concipiens, & aqua instabilis, ac fluida materialium, terrenorumque pedum sustinens pondus, sed supermundana, admirandaque potentia constans ad materiæ solidioris imaginem*. Damasc.3. de fide cap.15. inquit. *Ea, quæ erant hominum agebat, ut cum in fluxa, & instabili unda terrenis pedibus incederet, non indurata aqua, verum per eximiam divinitatis potentiam ita comparata, ut minime dis-*

diffiueret, pedumque corporeorum gravitati cederet. Denique Beda in illud Marci 6. *& volebat præterire eos* contra Theodorum Episcopum Pharanitanum ostendit, corporali corpore, dum super mare ambulavit, Christum non caruisse, immo hoc dici juxta fidem catholicam tenendum esse. Superesset igitur tertium, quod videtur evinci ex testimonio Damasceni laudato, sed si hoc dicamus, miraculum non fuit factum in Christi humanitate, sed in aquis, ne scilicet, cum premerentur, diffluerent, ergo.

18. Hoc secundo probatur omnes modos reijciendo, quos adhibent adversantes Doctores, ut se explicent; si Christi humanitas fuit instrumentum physicum miraculorum, nostræque justificationis, vel fuit, quia humanitati Christi fuit concessa quædam qualitas superioris ordinis, quæ esset virtus instrumentalis talium operationum; vel quia ipsi fuit impressus aliquis motus à Deo; vel quia hoc exigit potentia obedientialis in ea existens. Sed neutrum dicendum est, ergo. Minor continet plures partes qualibet probanda est.

Probo primam. Hæc qualitas superioris ordinis vel fuisset transiens, vel permanens, vel corporea, vel spiritualis, nihil ex istis. Primo, quia hoc admisso, censenda foret qualitas infinitæ virtutis, quia se extendere posset ad omnes effectus inter se specie diversos, hoc autem incongruum omnino videtur; deinde, qualitas hæc utcumque sit, vel ex se habet virtutem miraculorum effectricem, vel non; si hoc dicatur, ergo frustra ponitur, si illud, jam non erit instrumentum, sed principium proximum & principale. Denique qualitas ista non potest dici corporea, cum percipi nequeat, quomodo virtus corporea possit virtute sua naturali proferre effectus spirituales & supernaturales; si dicis, per elevationem, ergo elevari deberet per aliam qualitatem, sed de hac qualitate elevante idem fit argumentum, & si respondeas, qualitatem hanc elevari immediate à Deo, idem dicere posses de humanitate, quin ad aliquam qualitatem ipsi impressam confugeres; non potest dici spiritualis, nam debuisset esse tota in tota, & tota in qualibet parte humanitatis, & præterea, hæc spiritualis qualitas, sicuti vim habebat ad expellendam quamcumque contrariam alterationem, & ægritudinem ab alienis corporibus, ita reddidisset Christi humanitatem nulli alterationi vel passioni obnoxiam, & subjectam.

19. Probo secundam; inquiro enim, quid sit iste motus impressus à Deo humanitati; nam vel est ipse concursus Dei, & sic difficultas non solvitur, & petitur principium, vel esset alteratio, & sic per talem motum aliqua produceretur qualitas, quæ superius rejecta est, vel esset motus localis, & hic neque, nam Christus plura miracula per imperium & vocem suam absque motu locali operatus est, & sine aliquo motu linguæ potuisset operari.

20. Probo tertiam ex principiis statutis in quæstionibus phylosophicis, ubi demonstratum est, non dari potentiam obedientialem in quolibet ad quodlibet, sed solum ad aliquem effectum, cum quo servatur quædam proportio saltem analogica, quare licet humanitas Christi elevari potuerit ad aliquem supernaturalem effectum non solum ut instrumentum, sed etiam ut causa principalis, non tamen ad omnes, ad quos non habebat virtutem inchoatam, & remotam, proinde &c.

21. Hoc, quod de miraculis dicimus, asserimus etiam de opere nostræ justificationis, ad quod amplius probandum afferri potest doctrina Conc. Tridentini, quod enumerans cauas justificationis nostræ sess. 6. cap. 7. inquit *Causa efficiens est misericors Deus, meritoria autem Dominus noster Jesus Christus*. Atque ratio in promptu est, nam Christus est causa justificationis nostræ per suam passionem, mortem, & resurrectio-

ctionem, actiones autem istæ cum modo physice non existant, sed solum moraliter, possunt esse tantummodo causæ morales, non physicæ, causa enim non existens non potest operari, ut suppono. Veritas tamen assertionis nostræ magis constabit ex argumentorum solutione.

22. Op. 1. Totum id debet concedi, quod confert ad majorem humanitatis Christi dignitatem, & honorem, sed humanitatem Christi fuisse instrumentum physicum miraculorum, confert ad majorem Christi dignitatem, ergo. Prob. mi. nobilius est instrumentum physicum, quam morale, sicut nobilior est causa physica, quam moralis, ergo.

Resp. dato hoc argumento concedendum esse Christi humanitati, esse causam physicam principalem, quia hæc nobilior est, atque excellentior. Ad majorem Christi dignitatem id confert, quod fieri potest intra limites humanitatis, & supra humanitatem cujuscumque alterius hominis; Hoc autem evenit in sententia nostra eminentius quidem quam in sententia adversariorum. Hoc duplici ostendo ratione. Prima est; quod esse instrumentum physicum miraculorum communicari etiam potest naturæ irrationali, ut quando asina Baalam loquuta est, esse autem instrumentum morale vel impetrando, vel imperando, naturæ irrationali communicari non potest, istud ergo nobilius illo. Secunda est; quod sicuti v. gr. majoris dignitatis est in Rege habere facultatem moralem condendi, vel destruendi urbem, quam physice concurrere ad ipsam ædificandam, vel destruendam, ita majoris honoris est, Christi humanitatem moraliter potuisse facere quæcumque miracula, si voluisset, & ea, quæ facta sunt, esse operatam, quam physice eam perpatrasse; non ergo causa physica semper est perfectior morali, etiamsi sermo esset de causa principali. Verum tamen est, à nobis non negari ad aliqua miracula physicum influxum præbuisse, sed ad illa tantum ad quæ virtutem inchoatam servabat.

Dices; Datur potentia obedientialis passiva in quolibet ad quodlibet, ergo etiam activa, sicut enim illa spectat ad perfectam subjectionem creaturæ respectu Dei, ita & ista; ideo inquit S. Augustinus 3. de Trin. cap. 9. Deum posse de creaturis facere alia, præter ea, quæ earum sibi vindicant vires, naturalesque facultates.

Argumentum hoc in phylosophicis solutum est; transmisso enim ant. falsa est consequentia, siquidem materiale potest etiam naturaliter recipere spirituale, nec tamen etiam per potentiam obedientialem potest spirituale producere; ratio est, quia plus requiritur ad agendum, quam ad patiendum; Sed revera etiam antecedens est falsum, nec enim fieri potest, Angelum v. gr. recipere albedinem; Quod vero spectat ad perfectam creaturæ subjectionem, hæc servatur, per hoc, quod Deus ea uti possit quando voluerit, & quomodo voluerit ad id omne efficiendum quod non repugnat, idest id omne, ad quod licet non habeat virtutem completam, & proximam, habet tamen inchoatam, & remotam, & hoc probat auctoritas Augustini.

24. Op. 2. auctoritatibus. Causa miraculorum effectrix non solum impetratione, sed potestate, dicenda est causa physica, non moralis, sed humanitas Christi fuit causa miraculorum effectrix non solum impetratione, sed potestate, ergo. Mi. probatur. Luc. 5. inquiit Christus paralytico; *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Leproso eodem modo dixit, *Volo, mundare.* Et Joan. 11. cum venerit ad sepulchrum Lazari; *Lazare veni foras*. Unde Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 130. ait. *Christum miracula fecisse potestate, Martyres vero & Sanctos impetratione*; Quod si Sanctorum reliquiis hanc physicam facultatem faciendi miracula non negamus, cum ipsis nulla vis sit impetrandi, sed solum per contactum

tactum tam mira operentur, potiori jure id Christi humanitati concedendum erit; & revera per physicam actionem plura hujusmodi operatus est Christus, ut cum Mat.8. apprehensa manu socrus Simonis, quæ magnis febribus tenebatur, continuo sanata est, & cum Marci 5. Mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, dixit, *si tetigero fimbriam vestimenti ejus salva ero*. Et notandum, quod tunc dicitur, virtus de illo exiisse, quæ non poterat esse virtus, nisi humanitatis. Hinc in Concilio Ephesino lecta,& recepta fuit epistola Concilii Alexandrini, quæ est decima inter epistolas Cyril. ubi legitur. *Si quis carnem domini non fatetur esse vivificam, anathema sit*. Et can.11. Christi caro dicitur *vivificatrix*, idest collativa vitæ. in 6. vero Synodo dictum est in epist. Sophronii, *Verbum per carnem effecisse opera, quæ erant divinitatis indicia*. Hinc idem Cyrillus lib.4. in Joan. cap.14. inquit. *Quando Synagogæ Principis filiolam suscitabat, manum ejus apprehendit, ut scribitur, & erexit dicens, Puella surge, ita ut Deus & Verbi, & carnis suæ tactu eam excitavit, unam ab uno se Christo Deo videlicet, & homine operationem producens*. Et infra; *Non ergo verbo solum semper, verum etiam tactu mortuos excitabat, ut ostenderet, corpus suum vivificare posse*.

25. Resp. concedendo, Christum fecisse miracula non solum impetratione, sed etiam potestate & imperio, nego tamen ex hoc probari ejus humanitatem fuisse instrumentum physicum, quis enim ignorat, ut diximus, etiam imperium pertinere ad causam moralem? quamvis huic imperio Christi orationem præcessisse dicendum videatur, cum antequam dixerit, *Lazare veni foras* dixit Christus Joan. 11. *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me, ego autem sciebam, quia semper me audis*. Potestate igitur & imperio faciebat Jesus miracula, non simpliciter impetratione; Hæc autem duplex est, alia, qua aliquis impetrat, tamen non semper obtinet, sed in voluntate Dei est, ut res fiat, & hæc conveniebat Martyribus & Sanctis, de quibus loquitur Gregorius; alia, qua aliquis impetrat, & semper obtinet, ita ut Deus promiserit omnia concedere ad nutum impetrantis, & hæc est illa, quæ soli Christo convenit, & qui ita operatur, recte operari dicitur potestate, & imperio; atque ex hoc habetur discrimen inter virtutem faciendi miracula, quæ erat in Christo, & illam, quæ fuit, aut esse potest in aliis Sanctis. Neque verum est,hanc physicam gratiarum & miraculorum virtutem reliquiis Sanctorum esse concedendam, etenim non alio modo per illas gratiæ,& miracula fiunt, nisi propter merita & orationes Sanctorum, sed hæc tantummodo moraliter se habent, ergo & illæ, quod si hoc contingit per contactum,hic de materiali omnino se habet; atque eodem modo discurrendum de contactu præstito à Christo in adductis, æquali enim modo & sanitatem, & vitam restituisset, esto nullus fuisset contactus physicus, sicuti multoties ab ipso factum esse evangelia testantur; Vere autem virtus de illo exibat, non quidem aliqua physica qualitas, vi cujus operaretur, sed virtutis nomine ipsum miraculum intelligitur juxta consuetum loquendi modum in scriptura; sic Luc. 10. dicitur. *Si in Tyro & Sydone factæ essent vitutes*; Et Marci 6. *Non poterat ibi virtutes facere*. Ex definitionibus Concilii Ephesini, vel ex litteris Cyrilli nihil probari potest, nisi contra Nestorium, negantem Christi carnem fuisse in eodem supposito divinitati conjunctam, fuit itaque caro vivificans, quia non erat caro puri hominis, sed ita unita Verbo, ut ad libitum suum posset quæcumque à Deo impetrare ac obtinere, sicut dictum fuit; Quod enim virtus vivificandi Christi humanitati tribueretur, vel physice, vel moraliter, hoc parum ad Patres referebat; Quomodo autem illius opera essent divinitatis indicia, jam dictum est.

26. Opp.3. ex aliis scripturæ textibus Jo. 1. *Lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Jesum Christum facta est*. Ex quo textu sic argumentum proponi potest. Lex data est per Moysem, tanquam per instrumentum physicum Dei, ergo gratia & veritas per Jesum Christum facta est, tanquam per instrumentum physicum Verbi. Mat.9. *Filius hominis potestatem habet remittendi peccata*. Joan. 20. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*. His adde Christum appellari brachium Domini. Isaiæ 51. *Me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt*. 52. *Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium*. 53. *Quis credidit auditui nostro? & brachium domini cui revelatum est?* Porro brachium hoc, quod Sancti Patres, præsertim Athanasius, & Damascenus appellarunt organum, & instrumentum Dei, non potuit esse tantum morale; etenim instrumentum morale supponit aliam causam principalem in eodem genere, at humanitas Christi nullam potest supponere aliam causam principalem moralem, alioquin hæc esset Deus, quod dari non potest, nisi dicamus, Deum posse apud alium impetrare, quod esset, ipsum non esse Deum.

27. Resp. ex omnibus illis nihil aliud inferri nisi Christum esse causam gratiæ, veritatis, nostræque justificationis, nequaquam vero esse causam physicam; immo necesse est concludamus fuisse causam moralem; eo enim modo fuit causa gratiæ, & nostræ justificationis, quo est nostrum caput, sed est nostrum caput non physicum, sed morale, ergo. Quantum vero ad argumentum deductum ex prima auctoritate, sic retorqueri posset; gratia & veritas per Jesum Christum facta est tanquam per instrumentum conjunctum Verbo, ergo Lex per Moysem data est, tanquam per instrumentum conjunctum Deo; non sunt igitur attendenda verba in omni stricto sensu; Quod vero Moyses fuerit instrumentum physicum, per quod Lex data est, afferri posset ratio, quia nimirum ad promulgandam legem erat in Moyse virtus sufficiens, nec aliud requirebatur, nisi quod Deus illud ad tale munus constitueret; non erat autem in Christi humanitate hæc virtus physica inchoata ad omnia miracula physice perpatranda, ut dictum fuit, ideo &c. Eodem pacto dicimus Christum appellari brachium Dei, quatenus passione sua meruit, foras ejici fortem armatum, & à dæmonis potestate hominem liberare; & argumentum ultimum falsum est, ut exemplis potest ostendi, sic, si Primus minister in aula Regis à Rege mihi obtinet aliquem gradum, vel pensionem, est causa moralis, nec tamen supponit aliam causam moralem. Est igitur humanitas Christi causa moralis prima, per quam movetur Deus ad &c.



CA-

CAPUT UNICUM.

De Idiomatum Communicatione.

1. HUcusque frequenter in tractatu idiomatum communicationem commemoravi, in quo tamen consistat, & in quo possit adhiberi, non exposui. Hoc in præsentiarum brevissime præstandum.

Idioma nomen græcum, latine significat proprietatem, seu attributum. Idiomatum ergo communicatio aliud non est, quam mutua prædicatorum affirmatio. Videndum est itaque, quænam prædicata possint affirmari de Christo, & quænam ex illis, quæ de Christo dicuntur, affirmari possint mutuo inter se; & quia ferme innumeræ sunt propositiones, quæ fieri possent, ideo, ne omnes recenseamus, tradentur aliquæ, ex quibus facile colligi potest quod intendimus.

2. Atque primo, recte fiunt illæ prædicationes de Christo, in quibus de illo asseruntur concreta, vel abstracta convenientia essentialiter naturæ divinæ, v. gr. Christus est Deus, immensus, immortalis &c. vel Christus est divinitas, immensitas, immortalitas &c. pariter illæ, in quibus affirmantur de Christo concreta, vel abstracta convenientia personaliter Verbo, v. gr. Christus est Verbum, est divina filiatio. Tandem illæ, in quibus prædicantur concreta convenientia naturæ humanæ, ut Christus est homo, mortalis, finitus &c. non tamen in quibus prædicantur abstracta, ut si diceretur, Christus est humanitas; Ratio horum omnium est, quia concreta & abstracta, quæ conveniunt naturæ divinæ, & personæ Verbi, identificantur secundum se tota, concreta vero, quæ conveniunt naturæ humanæ, identificantur secundum rectum cum eo, quod Christus habet in recto, non sic abstracta convenientia naturæ humanæ, non enim humanitas Christi est ejus subsistentia.

3. Secundo; non possunt dici de Christo ea prædicata, quæ in eodem exprimunt exclusionem divinitatis; v. gr. Christus est purus homo, est servus servitute legali, sive quæ exprimunt exclusionem veræ humanitatis, v. gr. Christus non est mortalis, vel quæ significant distinctionem, & pluralitatem suppositorum, ut Christus est alius & alius, vel quæ exprimunt confusionem naturarum, ut Christus non est aliud, & aliud.

4. Tandem; non possunt absolute adhiberi istæ propositiones, Christus est creatura; incæpit in tempore; est minor Patre; nam licet non sint falsæ, attamen, quia istis utebantur Ariani ad inferendum, Verbum divinum esse creaturam, neque Patri consubstantiale, ideo consultius dici debet; Christus, ut homo, est creatura, secundum humanitatem est minor Patre &c.

DI-

DISPUTATIO UNICA.

De Reliquis ad Christum pertinentibus, de quibus in Symbolo.

1. CUm ad integrum incarnationis mysterium non solum pertineant ea, de quibus usque modo pro modulo nostro pertractatum est, & quæ etiam à Theologis scholasticis resolvi solent, aut saltem deberent, verum etiam alia, præsertim ea, quæ in symbolo proponuntur, ideo à nobis de istis agendum esse, non inconsulto existimamus. Hæc autem reducuntur ad illa verba. *Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato passus, & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in cælum; sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos.*

SECTIO PRIMA.

De Christi Crucifixione.

2. PLura procul dubio, de quibus inquirit S. Th. à quæst. 46. usque ad 50. possent à nobis exponi ac declarari, quia tamen de præcipuis, in quibus aliqua controversia est vel contra hæreticos, vel inter doctores catholicos, mens nostra fert disputationes aliquas instituere; ideo ad sequentia puncta studium nostrum deducemus. 1. Quo anno ætatis suæ Christus mortuus sit; 2. de prodigiis, quæ in Christi morte facta sunt. 3. quo die, mense, & hora sit mortuus.

§. 1.

Quo anno ætatis suæ mortuus sit Christus.

3. ARduam summopere rem aggredior, & quæ, non nisi ex pluribus, quæ præsupponenda, ac probanda sunt, expositis, decerni potest, atque declarari; Ut mortis alicujus tempus stabiliatur, necesse est, nativitatis annum definire; & quemadmodum, dum incipimus vivere, incipimus mori, ita mortis nostræ nescimus ætatem, nisi vitæ nostræ noscamus initium; Antequam vero, quod nostra interest demonstraturi exordiamur, varias opus est Doctorum sententias de mortis Christi tempore atque ejus ætate in medium proferamus, ex quibus certe resolutionis nostræ difficultatem progredi, qui legerit, non ignorabit.

4. Illud autem præ omnibus præsupponendum est, Christum Dominum revera mortuum esse, ac cruci affixum, contra aliquos hæreticos, quorum caput & princeps fuit Basilides ex Iren. lib. 1. contra hæres. cap. 23. Tertul. lib. de præscript. hæretic. cap. 46. Euseb. lib. 4. hist. cap. 8., qui existimarunt, nequaquam Christum, sed Simonem Cyrenensem, loco Christi cruci affixum fuisse. Quo fundamento hæresis ista niteretur, non indicatur; arbitror tamen illud addu-

adductum esse, quod legitur Deuter. 21. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Idcirco, ne Christum maledictum esse affirmarent, crucifixum negare, pium esse duxerunt. Aliqui vero, etsi in cruce positum dixerint, attamen non clavis affixum asseruerunt, quia Deuteron. 21. legitur, reos mortis in patibulo appendendos esse, non tamen clavis perforandos, patibuloque figendos.

5. Utrumque ex his falsum omnino esse, paucis demonstrabo. Falsum primum, nam Jeremias cap. 11. hoc prædixit verbis illis *Mittamus lignum in panem ejus*, ideft in corpus ejus, quod est panis vitæ, ut explicarunt Tertul. lib. 3. contra Marcion. cap. 19. Justin. in dial. contra Triphon. Cyprian. lib. 2. contra Jud. cap. 15. aliique; immo & Deuteron. 28. legitur. *Erit vita tua pendens ante te* quæ verba de Christi morte exposuerunt Leo Papa serm. 8. de passione, August. lib. 16. contra Faustum cap. 22. Sed multo clarius id tradidit Apost. Paulus ad Philip. 2. dicens: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Et 1. ad Corinth. 1. *Prædicamus Christum, & hunc Crucifixum* quem solummodo se scire profitebatur. Neque vero movere debet illud ex Deuteronomio, nam, ut ait Paulus ad Galat. 3. *Ut nos redimeret à maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Et Augustin. contra Faustum, qui libros Moysis propter illa verba rejiciebat cap. 2. sic loquitur. *Aufert Christus de maledicto maledictum, quomodo de morte mortem, & de peccato peccatum.* Quamvis adnotandum est cum Hieronymo in epist. ad Galatas 3., maledictionem illam datam esse morienti in ligno ob culpam propriam, non si mortuus esset aut injuste, aut ad delendam culpam alienam, non enim pati pœnam, sed reum esse pęnę, invisum est Deo. Maledictus fuit Aman, qui merito suspensus fuit, at non fuisset maledictus Merdochæus. Lignum illud Crucis Christo non fuit opprobrio, sed gloriæ, atque de eo scriptum fuit Sapientiæ 14. *Benedictum lignum, per quod fit justitia.*

6. Falsum etiam secundum, nisi dicamus falsam scripturam veteris, novique testamenti. Zach. 13. habetur. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicent, his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me* & ps 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* An non etiam clamarunt Judæi, *crucifige, crucifige eum?* unde & Math. c. 26. inquit, *Postquam autem crucifixerunt eum.* Et Petrus act. 2. & 4. *Quem vos crucifixistis.* Et ne detur alicui explicationi locus, attendantur verba Thomæ, Joan. 20. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, non credam.* Cui inde dixit Christus. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas.* Quod vero affertur ex Deuteron. in illa lege, probat quidem, hujusmodi modum crucifixionis non præscribi, non tamen probat prohiberi, etenim crucifixos fuisse septem Saulis filios narratur 2. Reg. cap. 21. verum, etsi hujusmodi fuisset hebræorum lex, oppositum non evinceretur, siquidem & latus ejus apertum fuit, quod tamen in lege non continebatur. Perpendas Judæorum in Christum odium, & ne mireris, si fortasse lex fuerit violata; Adde tandem, non juxta Judæorum legem, sed juxta Romanorum morem, fuisse in Christum datam sententiam.

7. Et revera de clavis, quibus infixæ manus illæ, quæ tot edidere miracula, infixi pedes illi, quibus exultavit ut gigas, Dominus meus Jesus Christus spes mea, ad currendam viam, etiam præter Evangelicam historiam, & Sacram Scripturam, Ecclesiastica testantur monumenta, nam, Helenam Constantini Matrem simul cum Cruce, etiam clavos invenisse, scribunt Theodoret. lib. 1. cap. 18. Niceph. lib. 8. cap. 29. Sozom. lib. 7. cap. 1. Socrates, Ruffinus, necnon Ambros. in orat. de obitu Theodosii. Potius inquiri posset, quot isti fuerint; S. Bonavent. in lib. de medi-

meditat. vitæ Christi cap.78. cui nonnulli recentiores adhærent, asserit fuisse tres. S. Ambrosius duos tantum commemorat, quorum unum in equi Constantini fræno, alterum in Clipeo Helena Mater ponendum curavit; Cyprianus vero serm. de passione dicens; *Clavis sacros pedes terebrantibus* videtur quatuor innuere, & hoc tradit Gregor. Turon. lib. 1. de gloria Martyrum capit.6. cui suffragatur revelatio facta S. Brigittæ lib.1. cap.10. In hac re plurimæ dissertationes factæ sunt, immo & typis editæ, quapropter hoc tantum innuisse, nobis sufficiat.

8. Jam vero ad rem nostram deveniendo. Fuit sententia Irenæi lib.2. adversus hæreses cap.39. Christum vixisse annos ferme quinquaginta, quod ab aliis etiam existimatum esse, quia per annos quadraginta sex ædificatum fuit templum Jerosolymitanum, imaginem Dominici corporis gerens, testatur Augustinus lib.2. de Doct. Christ. cap.28. id dixit Irenæus I. ex scriptura, cum Joan. cap.8. dixerint Judæi; *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* quod incogrue dictum fuisset de juvene 30. annorum; 2. ex traditione, quam inquit derivasse à quibusdam Presbyteris Asiæ ita docente S. Joanne Evangelista. 3. ex aliqua conjectura, vel quia conveniens erat Christum omnem hominis ætatem sanctificare, vel quia ætas annorum ferme quinquaginta videtur aptior ad munus præceptoris, atque honorabilior.

9. Hæc opinio ab omnibus, qui post Irenæum fuerunt, tanquam improbabilis, ac falsa rejecta fuit, opponitur enim non solum Ecclesiasticæ, sed etiam evangelicæ historiæ. Christum passum esse sub Pontio Pilato habemus in evangelio, & Symbolo, Pilatum ab Jerosolyma discessisse ante obitum Tiberii Cæsaris refert Josephus lib.18. antiquit. cap.11. contigit igitur mors Christi vivente adhuc Tiberio, cum vero Christus baptizatus fuerit anno 30. ætatis suæ, & anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, ut narrat Lucas cap.3. & Tiberius regnaverit annis vigintitribus non expletis, Christum nec quinquaginta, & multo minus quadraginta annos vixisse, plane compertum est: adde; si Christus tot annis post baptisma vixisset, multa profecto mirabilia patrasset, & tamen ea tantum ab Evangelistis memorantur, quæ tribus, vel quatuor annis post baptisma operatus est. Fundamenta Irenæi facillime explicari possunt; quod enim dictum fuerit, *quinquaginta annos nondum habes* id dici potuit modo loquendi satis usitato & vulgari, vel Christum ob conspectus sui gravitatem, vel certe ob corporis macerationem, ac severam vivendi normam plurium annorum, quam revera esset, apparuisse. Conjecturæ adductæ nulla indigent responsione.

10. Est secunda sententia illorum, qui dixerunt, Christum mortuum esse expleto trigesimo ætatis suæ anno, idest anno post suum baptisma. Hanc tradiderunt plures ex Patribus, præsertim Tertullianus in lib. adversus Judæos, Clemen. Alexand. I. Stromat. Julius African.5. Annal. Lactan. lib.4. cap.10. immo etiam Sanctus Augustinus, cum lib.18. de Civit. cap.54. asserat, Christum mortuum esse Consulibus, duobus geminis, Cajo Rubellio, & Cajo Rufio; horum autem Consulatum in annum Tiberii decimum quintum habemus ex historiis. Insuper ipse Augustinus ep.80. ait. *A nativitate Domini hodie computantur anni ferme quadringenti viginti, Resurrectione autem, vel Ascensione ejus anni plus minus trecenti nonaginta.*

11. Quod ad Augustinum pertinet, ex hisce postremis verbis nihil pro hac opinione evinci potest, cum enim dicat, *anni ferme quadringenti viginti*, & subdat, *anni plus minus* temporis rationem exacte non habuisse declaratur, & pari modo dici posset, nec quidem ad annum trigesimum Christum pervenisse; ex eo vero, quod scribit in priori loco, dicamus oportet in Consulibus designan-

gnandis errasse, aliquos antiquos Patres, præsertim Tertullianum sequutus, non animadvertens, eos anno 15. Tiberii consulatum gessisse. Quod vero spectat ad ipsam opinionem, cum nostram stabiliemus, hæc refelletur, immo etiam ex sequenti.

12. Est tertia sententia, Christum 32. ætatis suæ anno obiisse, eo quod post baptismum tantum biennio ipsum prædicasse, affirmat, ut senserunt Cyril. Alexandr. in cap. 9. Isaiæ, & Apollinaris Episcopus Leodicenus, ut refert S. Hieronym. in cap. 9. Danielis; Severus etiam Sulpitius lib. 2. historiæ inquit, Christum quatuor annos vixisse sub Herode, cujus jussu innocentes interfecti sunt, novem sub Archelao, & mortuum esse anno 18. Herodis tetrarchæ. In idem venit, quod scribit Orosius lib. 7. cap. 4. nempe Christi mortem anno 17. Tiberii contigisse; cum enim anno 15. fuerit baptizatus, mortuum esse anno post baptismum completo, sic procul dubio sequeretur.

13. Opinionem hanc, sicut & aliam adductam num. 10. non est, cur pluribus falsam esse demonstremus, cum satis sit adversus eam evangelicam narrationem proferre; baptizatum asserimus Christum annorum quasi triginta, ex Luc. 3. inde quadraginta diebus jejunium perfecisse, ex cap. 4. sicut venisse Nazareth, in Capharnaum descendisse, introjisse in domum Simonis, & socrum ejus à febre liberasse, atque à multis immundos spiritus ejecisse, aquam in vinum versam esse in nuptiis, atque alia plurima, quæ Joan. cap. 1. & 2. recensentur. Tunc autem prope erat pascha Judæorum ex Joan. 2. & ascendens Christus Jerosolymam invenit in templo ementes & vendentes, quos & ejecit; erat profecto hoc tempore ætas Christi annorum saltem triginta, & trium mensium, aliter fuisset tantum viginti novem & trium mensium, & sic falsum esset, quod in baptismate fuisset annorum quasi triginta; ab hoc autem paschate usque ad ejus mortem ennumerat Joannes alia tria paschata, ergo dum mortuus est, ipsi saltem concedendi sunt triginta duo anni completi.

14. Est quarta sententia asserens, Christum mortuum esse anno trigesimo quarto jam completo, proinde trigesimo quinto inchoato, etsi pro ista nullus expresse afferatur author, attamen ex Evangelio colligi posse videtur, nam si ponamus, Christum baptizatum esse anno trigesimo ætatis expleto, anno sequenti miraculum in nuptiis effecisse, post miraculum quatuor paschata à Joanne recenseri, jam habentur triginta quatuor anni integri cum aliquot mensibus. Si solo Evangelio res tota dirimenda foret, hæc opinio improbabilis demonstrari non posset, attamen si alia perpendantur, de quibus infra dicemus, omnino improbabilis censenda est.

15. Quinta sententia est, Christi mortem contigisse anno trigesimo tertio ætatis suæ jam perfecto, proinde, dum annum ageret trigesimum quartum. Pro hac fuit Beda in lib. de ratione temporum cap. 45. ubi habet hæc verba. *Habet, ni fallor, Ecclesiæ fides, Dominum in carne paulo plus quam triginta tres annos, usque ad sua tempora passionis, vixisse*, & infra. *Sancta siquidem Romana, & Apostolica Ecclesia hanc se fidem tenere, & ipsis testatur indiculis, quæ suis in cereis annuatim scribere solet, ubi tempus Dominicæ passionis in memoriam populis revocans &c.* Eandem docuit Albertus Magnus in commentario epistolæ Dionysii Areopagitæ, nec non Onuphrius in fastis, & in chronico ecclesiastico, & insuper Marianus Scotus in chronico; hanc sequutus est Cæsar Baron. in Annal. an. 34. qui refert pro se Chrys. Cedr. Nicetam, aliosque plures. Eam certe probabilem affirmo, sicut probabilia sunt principia quibus innititur, nempe, Christum baptizatum esse inchoato anno trigesimo, & post annum miraculum in nuptiis perpatrasse, & postea advenisse quatuor paschata

chata à Joanne recensita; quod & probant computando annos Christi per Olympiades Græcorum; harum siquidem initium in mense Junio sumebatur, Christus natus est anno 3. centesimæ nonagesimæ quartæ Olympiadis, mortuus autem anno 4. ducentesimæ secundæ, vixit sex mensibus tertii anni illius Olympiadis, & præterea annum integrum, quo illa explebatur, deinde vixit octo Olympiades integras, exceptis tribus mensibus, tot enim desunt ad Olympiadem ducentesimam secundam, ergo vixit annos triginta duos, hisce addatur annus cum alio dimidio, & numerus ab hac opinione propugnatus constabit.

16. Ego tamen probabilius existimo, dicendum esse, Christi mortem evenisse anno trigesimo secundo ætatis suæ jam completo, nimirum anno trigesimo tertio inchoato; hoc tradit Epiphan. hæres 78. dicens, *Christus crucifixus est anno trigesimo tertio sui adventus in carne*, quod etiam prius dixerat hæresi 51. atque idem sentiunt omnes, qui asserunt, Christum mortuum esse anno 18. Tiberii Cæsaris: ex recentioribus hanc sententiam defendunt Joan: Lucidus lib. de vero die passionis Christi, Driedo lib.3. de dogmat. tract.3. parte 4. cap.5. Can. lib.11. de locis cap.5. & 6. Perer. lib.11. in Daniel, quæst.7.

§. II.

Probatur postrema Sententia.

17. EAM probaturus incipio à Christi Nativitate, quam contigisse juxta Græcorum computationem anno 3. Olympiadis 194. juxta vero Romanorum computationem anno 42. imperii Augusti, colligitur ex Eusebio lib. 1. hist. cap.5. Epiphanio in Ancorato, & in libro de ponderibus, & mensuris, Beda lib. de sex ætatibus, & expressius Clemente Alexandrino lib. 1. Stromat. Porro ab anno 42. imperii Augusti usque ad 18. imperii Tiberii, quo juxta communem Doctorum sententiam Christus mortuus est, elapsi sunt anni trignta duo cum aliquibus mensibus, ergo quando Christus mortuus est, erat annorum triginta cum duobus expletis.

18. Contra hanc rationem tria opponi possunt. I. quia ab Evangelista Luca refertur, Christum natum esse eo tempore, quo facta est prima descriptio sub Cyrino, hanc autem factam esse anno 49. imperii Augusti, scribit Josephus lib.18. antiquit. cap.13. sed si hoc verum esset, Christus non plures vixisset, quam 26. vel 27. annos, siquidem ad summum Augusti imperium ad annos 58. protractum est, ut vult Tacitus in Dial. de claris oratoribus; ibi certe dicendum est, vel Josephum non esse loquutum de ea descriptione seu tributo, cujus meminit Lucas, sed de aliqua alia posteriori, ut mos erat Romanorum, qui per lustra vectigalia imponebant Judæis; quare dum Evangelista dicit *prima* intellige non absolute, sed sub illo Præside; ita respondet Scholiastes Eusebii, Danæus lib. 1. hist. cap.5. vel Josephum in annorum computatione lapsum esse, ut diserte ostendit Eminentissimus Baronius in suorum Annalium apparatu.

19. Secundum est; ex anno quadragesimo secundo imperii Augusti usque ad 18. Tiberii recte inferri non posse, annos Christi fuisse in numero à nobis designato, etenim omnino incertum est, quot annis regnaverit Augustus. Jam Taciti opinionem adduximus. Josephus vero lib.18. antiquit. usque ad annum quinquagesimum septimum, & sex menses illud protrahit; Isidorus & Beda usque ad annum quinquagesimum sextum, & sex menses; sed si hoc valeret, nulla ex præfatis opinionibus probari posset; deinde, imperium Augusti quinquaginta sex annis completum esse, communior est aliorum Scriptorum assertio ex Dione, Orosio, Svetonio,

tonio, Patreolo, computa modo ab anno 42. usque ad 56. ab hoc usque 18. Tiberii, & quotis ætatis suæ annis mortuus sit Christus, facillime invenies.

20. Tertium est, nos latere, quantum temporis pertransierit inter mortem Augusti, & inter assumptionem Tiberii ad imperium; & præterea, in obscuro esse, cum dicitur Christus natus quadragesimo secundo anno Augusti, & mortuus anno 18. Tiberii an sit intelligendum de utrisque annis vel expletis, vel tantum inchoatis, vel unis expletis, & aliis inchoatis; si enim annus quadragesimus secundus Augusti accipiatur jam expletus, & annus decimus octavus Tiberii tantum inchoatus, efficietur, Christum non nisi triginta duos annos vixisse; si vero quadragesimus secundus Augusti accipiatur tantum inchoatus, & decimus octavus Tiberii expletus, consectarium erit, Christum ad annum trigesimum quartum pervenisse.

21. Verum, contra primum est, in confesso apud omnes esse, proxime post Augusti excessum Tiberium iniisse principatum, erat enim Augusti filius adoptatus. Secundum nobis negotium non facescit, etenim est præter historicorum consuetudinem, & præter rationem, uno modo unum annum accipere & alio modo alium, æque igitur accipiendus est annus quadragesimus secundus Augusti, & decimus octavus Tiberii, itaut uterque fuerit inchoatus, & vulgo dici posset annus currens, & sic concludetur, quod dicimus.

22. Secundum argumentum propono desumptum ex tempore, quo Christus baptizatus est; inquit Lucas, *Et ipse Jesus erat incipiens annorum quasi triginta*. In græca autem versione, latine reddita legitur, *& ipse erat quasi annorum triginta incipiens*, ita ut ly *quasi* non sit referendum ad finem anni vigesimi noni, sed ad initium anni trigesimi. Nihilominus, adeo perplexa & ambigua hujusmodi verborum existimata est explicatio, ut varie opinandi scriptoribus dederit locum. Qua in re tres legi sententias.

23. Una est Epiphanii, qui hæresi 51. tradidit Christum esse natum die sexta Januarii, eodem die post expletum trigesimum annum aquam in vinum convertisse, baptizatum vero esse sexto idus Novembris, agentem decem menses anni trigesimi, atque ideo particulam illam *quasi* non esse referendam ad initium anni trigesimi sed ad finem; atque hæc prorsus rejicienda est; cum constantissima sit traditio, & perpetua observatio Ecclesiæ Catholicæ, Christum natum esse die 25. Decembris, & baptizatum die 6. Januarii.

24. Alia est Bedæ lib. de ratione temporum cap. 5. asserens, Christum triginta annos natum, & jam per aliquot menses attingentem annum trigesimum primum fuisse baptizatum. Hanc sequuti sunt plures ex recentioribus, inter quos eruditissimus Baronius; atque pro ista adducuntur aliqui Patres. Inquit Ignatius in epist. ad Trallianos 5. *expletis tribus annorum decadibus vere baptizatus est à Joanne*. Chrys. hom. 10. in Matth. ait. *Post triginta annos Christum venisse ad baptisma*. Et Bernardus serm. 1. Epiphan. *Cum trigesimum annum exegisset in carne*.

25. Aliqui opinionem hanc ex verbis Lucæ conantur refellere, cum dixerit, *quasi annorum triginta*; videtur enim particulam illam referendam esse ad annorum initium, non quasi ad finem; sed ut verum fatear, nullius momenti est hujusmodi responsio, nam particula *quasi* aliquando aptari potest numero minori, aliquando majori, ut pluribus potest exemplis ostendi; sic c. 12. libri Exodi, Hebræi, qui fuerant egressi de Ægypto, fuisse dicuntur fere sexcenta millia virorum, nec tamen indicatur, aliquot defuisse ad explendum numerum sexcentorum millium, cum potius aliquot fuerint, qui illum excederent, nam ex 1. capite libri numer. recen-

recenseantur sexcenta tria millia cum quingentis & quinquaginta. Rursus Mat.8. legitur, *Erant, qui manducaverant, quasi quatuor millia* & Joan.6. dicuntur manducasse, *quasi quinque millia*. Melius igitur reiici non potest, quam ex illo, quod superius dictum est, nimirum, Christum natum esse anno 42. Augusti, & baptizatum anno 15. Tiberii.

26. Neque vero quidpiam probant illa Patrum testimonia, nam si ostendemus, aliquando annum inceptum, tanquam completum, juxta communem loquendi morem, atque etiam scripturarum significari, satis pro nostra re nos fecisse, judicabimus. Hoc autem ita esse haud difficili negotio possumus declarare. Perpendas quod legitur Lucæ 2. invenies; *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer*, & tamen die octavo circumcisum esse refragabitur nemo, nisi velit, in Christi circumcisione legem Moysis non fuisse servatam; perpendas quod scribit Marcus cap.8. *Post tres dies resurgam*. Et tamen constat, Christum die tertia resurrexisse. Quod igitur dixerunt Patres, nequaquam probat, Christum trigesimum annum, cum ad baptismum venerit, perfecisse, sed satis apte explicari possunt, si illum inchoaverit; Baronius, cujus multum interest, Christum baptizatum esse anno trigesimo primo jam expleto, huic explicationi nostræ, præsertim quantum ad Ignatium, qui proximus fuit ætati Christi, immo qui Christum post resurrectionem se vidisse in carne testatur, nequaquam subscribit, addit propterea, Ignatium ex Hieronymo de script. ecclesiast. cap.16. ad Policarpum scripsisse. *Christus affectus supplicio crucis anno trigesimo tertio, ac mense tertio suæ ætatis*; Nam expleto anno trigesimo esse baptizatum, ac triennio prædicationis evoluto esse crucifixum dicendum ex ejus sententia, ipse concludit. Sed quid in hac re Ignatius scripsit, non nisi ex Hieronymo ipse demonstrat, ex eodem autem Hieronymo contrarium ostendere minime prohibemur, affert enim Tertullianum adversus Judæos, & Julium Africanum libro 5. Annalium, qui oppositum omnino senserunt; lege Hieronym. in cap.9. Danielis. Profecto ex Patribus nihil certi concludere possumus, cum pro utraque parte plura in ipsis legantur.

27. Mihi certe placet, quæ ad intentum meum abs re non est, aliorum sententia, qui dixerunt, Christum baptizatum esse in anni sui trigesimi ingressu, videlicet per dies tredecim inchoati, atque ideo scripsisse Lucam, quod *ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta*. Atque hoc communius acceptum esse ex doctorum scriptis colligimus. Legatur Abulen. Mat.3. Lyran. Luc.3. quibus adhæret S. Th. hic art.3. dicens, Christum anno 30. baptizatum esse, quod autem aliquo anno efficitur, id eo proprie fieri dicitur, licet non sit expletus, immo improprie diceretur, si eo non durante factum esset. Suffragantur vero plurima dicta Sanctorum Patrum. Irenæi lib.2. adversus hæreses cap.39. hæc sunt verba. *Ad baptismum venit, nondum qui triginta annos suppleverat, sed qui inciperet esse tanquam triginta annorum*. Nazianzen. orat.39. inquit. *Trigesimo anno baptizatur*. Hieronym. in Ezech. cap.1. *Triginta annos natus venit ad baptismum, quæ in homine perfecta ætas est*. Et affert exemplum num.4. ubi præcipiuntur Sacerdotes à trigesimo anno ministrare, non requirebatur autem trigesimus annus expletus; qua in re est etiam præclarum testimonium in lege nova in canonibus collectis ex græcis Synodis à Martino Braccarensi Episcopo, ubi canone 2. sic dicitur. *Si quis triginta ætatis suæ non impleverit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etiamsi valde sit dignus, quia & ipse Dominus trigesimo anno baptizatus est, & sic cæpit docere*. Certum autem est, necessarium non

fuisse

fuiſſe integrum annum trigeſimum jam completum. Adde in re noſtra fuiſſe Origenem hom. 1. in Ezechiel. Juſtinum Martyr. in Dial. cum Triphone. Auguſtin. lib. 3. de mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 5. Euſebium lib. 1. hiſt. cap. 10. pluresque alios; afferam tantum verba Juſtini, quæ ſunt iſta. *Chriſtus per annos ferme triginta expectavit, donec Joannes præiret baptiſma prædicando.* Et Euſebii hæc alia; *incipiebat tunc trigeſimum annum*. Præterea Carolum Sigonium in commentariis lib. 2. hiſtoriæ Severi ſulpitii, & Onuphrium in chronico eccleſiaſtico.

Age modo, & cum inveneris ab Evangeliſta Joanne quatuor Paſchata poſt Chriſti baptiſma uſque ad ejus mortem numerari, procul dubio inferes, eum mortuum eſſe anno ætatis ſuæ trigeſimo ſecundo completo, ideſt tertio menſe trigeſimi tertii.

28. Sed dum ita ratiocinium noſtrum progreditur, quidam opponunt à Joanne unum Paſcha prætermiſſum fuiſſe, illud nempe, quod fuit inter baptiſmum, & primum ſignum, quod feciſſe dicitur Chriſtus in nuptiis; Joannes enim primum paſcha poſt nuptias commemorat; conſtat autem nuptias, in quibus aquam in vinum convertit, eo die, & non proinde eo anno, peractas eſſe, in quibus baptiſma recepit; hoc tradiderunt ex Patribus, Maximus, Auguſtinus, Euſebius Emiſſenus in homiliis de Epiphania, nec non Iſidorus agens de eodem feſto; immo & hoc tradit Eccleſia dicens in quadam Epiphaniæ antiphona. *Tribus miraculis ornatum diem Sanctum colimus: hodie Stella Magos duxit ad Præſepium; hodie vinum factum eſt ex aqua; hodie in Jordane à Joanne Chriſtus baptizari voluit*. Hiſce autem tanquam veris acceptis, dicendum eſt, quinque Paſchata à baptiſmate uſque ad mortem fuiſſe, proinde anno trigeſimo tertio jam completo Chriſtum obiiſſe.

29. Res ita eſſet, ſi hæc tanquam vera forent excipienda; ſed exiſtimo, nullius eſſe momenti, quæ oppoſita ſunt; Atque in primis ſi de Patribus loquamur, res adeo incerta eſt, ut ipſi non hæc omnia eo die niſi ſub disjunctione peracta eſſe tradiderint. Ut quod dicimus in aperto appareat, eorum verba liceat proferre. Maximus ſic habet, *In hac, dilectiſſimi, celebritate, ſicut relatu paternæ traditionis inſtruimur multiplici eſt feſtivitate lætandum. Ferunt enim, Chriſtum hodie, vel ſtella duce à gentibus adoratum, vel invitatum ad nuptias aquam vertiſſe in vinum, vel ſuſcepto à Joanne baptiſmate, Joannis fluenta conſecraſſe, ſed quid potiſſimum præſenti hoc factum ſit die, noverit ipſe, qui fecit.* Auguſt. ſerm. 2. de dominica infra octavam Epiphaniæ, qui eſt 27. de tempore, ſic. *Licet de ſolennitate hujus diei, veterum ſit diverſa traditio, una tamen ſanctæ devotionis eſt fides; Nam, quamvis nonnulli Dominum noſtrum, ſtella duce à Magis æſtiment adoratum, alii aſſerant eum aquam in vinum mutaſſe, quidam vero baptizatum eſſe à Joan: confirment, in omnibus tamen Dei filius creditur, in omnibus eſt vera feſtivitas*: Emiſſenus de feſto Epiphaniæ ſic. *Hodie, per documenta certiſſima, Deus in homine declaratus eſt, ſive quod ſtella de cælo ſui nuncium Magis præbuit, ſive quod Joannis aquas ad ſalutem humani generis ſuo baptiſmate conſecravit, ſive hæc eadem illius miraculi dies ſit, qua primum in Chana Galileæ in nuptiali convivio aquas in vinum convertit*. Hiſce ſimilia ſcribit Iſidorus. Neque vero Eccleſiæ ritus in illa antiphona nobis contradicit, etenim licet eodem die ea omnia peracta non ſint, attamen ſapienter ea omnia inſtituit ſimul celebrari, cum incertum eſſet, quonam die quodnam illorum triumvenerit, & ex alia parte in ſingulis ſingularis Chriſti excellentia fuerit declarata; Vel etiam dici poteſt, illud *hodie* non referri ad tempus rei geſtæ, ſed ad tempus commemorationis & celebrationis ejuſdem rei, ideſt, hodie in Eccleſia

clesia recolitur, Christum esse adoratum à Magis, baptizatum &c. etiam in die paschatis canit Ecclesia, *Hodie Christus resurrexit*, & in festo Pentecostes, *Spiritum Sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit*; & tamen raro accidere potest, ut festum Paschatis, vel Pentecostes eodem die celebretur ab Ecclesia, quo Christus resurrexit, vel Spiritus Sanctus super discipulos descendit.

30. Cæterum falsum arbitror, eodem die quo baptizatus est Christus, nuptias factas esse post annum. Constat in baptismate Patris testimonio in Dei filium & hominum doctorem fuisse declaratum per illa verba; *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*, constat etiam, non nisi post nuptias obiisse, uno igitur integro anno prædicandi officium sibi à Patre injunctum omisisset, quod mihi probabile non videtur. Insuper; A tempore baptismi cæpit Jesus habere discipulos, ut narratur Luc 3. & affirmat Sanctus Petrus in actis Apostolorum cap. 1. dicens, *Oportet, ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore, quo intravit, & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens à baptismo Joannis &c:* Nuptias autem factas esse paulo post quam cæperit habere discipulos, narrat Joan. cap. 1. & 2. non igitur à baptismate ad nuptias integer annus pertransiit. Si quis præterea nobis opponeret, non quatuor paschata à Joanne numerari, sed tantum tria, cum verba illa; *Erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus &c.* non sint intelligenda de uno paschate; Hoc plus urget Baronium, & illos, qui sunt in ejus sententia, quam nos, ideo ipsi explicandum relinquimus.

31. Tertium argumentum desumi potest ex græcorum chronologia, quę per olympiadum computationem conficitur. In confesso est, Christum natum esse anno 4. olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ, mortuum autem esse anno 4. olympiadis ducentesimæ secundæ, ratum habeo, atqui inter annum 4. illius, & annum 4. istius non possunt plures, quam triginta tres anni inchoati contineri, ergo. Cur vero illud ratum habeam ex eo colligo, quod Christi mors eo anno contigit, quo magna illa ac mirabilis solis defectio accidit, quam in 4. anno olimpiadis ducentesimæ secundæ accidisse, antiqui probatissimique chronologi tradiderunt. Verba Eusebii recitabo. *Ad Passionem*, inquit, *venit dominus anno Tiberii decimoctavo, quo tempore, & in aliis ethnicorum commentariis, hæc ad verbum scripta reperimus; solis facta defectio, & tenebræ super universam terram: Bithynia terremotu concussa &c. Scripsit vero super his & Phlegon egregius Olympiadum supputator in decimoquarto libro ita dicens. Quarto anno ducentesimæ secundæ Olympiadis magna, & excellens, & super omnes, quæ ante ipsum acciderant, defectio solis facta est: dies, hora sexta, in tenebrarum noctem ita versus est, ut stellæ cæli visæ sint &c.* Hæc Eusebius. numera nunc annum quartum Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ usque ad annum quartum Olympiadis ducentesimæ secundæ, & illos annos habebis, ad quos nos, Christum pervenisse, contendimus.

32. Hanc Phlagontis Olympiadum supputationem sibi objecit Baronius, & inquiit in Eusebio errorem irrepsisse, ita ut quod scripsit anno quarto scribere debuisset anno tertio, sed à tanto viro veniam petens, dico. Hoc prorsus opinioni suæ oppositum esse, nam si Christus mortuus est anno tertio Olympiadis ducentesimæ secundæ, non solum ad annum trigesimum quartum pervenit, ut ipse contendit, sed neque ad trigesimum tertium. Hoc & ipse postea animadvertit, ideo subdit. *Magis placet, Phlegontem, cum non scribat, quo anni mense illa ecclypsis acciderit, sic dixisse anno quarto ejus Olimpiadis contigisse, quod sub prædictis consulibus, eo anno decimoctavo Claudii dictus annus quartus auspicetur; Sic enim consuevisse majores ab anni*

anni exordio ipsum integrum denominare, multis exemplis esset facile demonstrare. Sed hoc etiam gratis asserit; nec ei suffragatur, nam tenet quod superius dictum est, quod si anno quarto non accidisset, nullo pacto annum trigesimum quartum Christus attigisset; nec erat, cur Phlegon anni mensem afferret, cum jam constet, eo mense accidisse, quo mortuus est Christus sub plenilunio Martii.

33. Immo ex tempore, quo hujusmodi ecclipsis tam mirabiliter & præter ordinem apparuit, aliud argumentum astronomicum ad nostram opinionem firmandam proponi potest sic; Christus mortuus est desinente luna 15. primi mensis, & die Veneris, circa plenilunium. Primum constat, quia mortuus est postridie quam comedarat pascha cum discipulis suis, comedit autem desinente luna decimaquarta, sicut lex Moysis præcipiebat. Secundum tenet Ecclesiæ traditio, & perpetua consuetudo, immo & tradunt Luc. cap. 23. Marc. 15. Joan. 19. Tertium affirmat Dionysius Areopagita, ut infra dicemus, sed tantum in anno trigesimo tertio Christi luna decimaquinta fuit in die Veneris, ergo Christus mortuus est, dum annum ageret trigesimum tertium, minorem suadeo, quia supposito, ut ex antiquissima Ecclesiæ traditione, ex communi scriptorum consensu, ex omnium nationum acceptatione supponere debemus, nunc esse annum 1737. à Christi nativitate, anno trigesimo primo Christi luna decimaquinta primi mensis fuit die 27. Martii die Martis; anno trigesimo secundo incidit in diem decimamquintam Aprilis, & diem Martis; anno 34. in 23. Martii die Mercurii; ergo in uno ex hisce annis, de quibus tantum controversia esse potest, Christus mortuus non est, e contra anno 33. sicut nos diximus accidit, ut videri potest in tabulis, & colligi potest ex littera Dominicali. Dixi, de quibus tantum est controversia, etenim me non latet, etiam anno trigesimo septimo, octavo, & quadragesimo septimo post Christum natum lunam decimam quintam primi mensis concurrisse cum die Veneris; sed hoc ad rem nostram non est. Quibus omnibus rite consideratis Christum mortuum esse anno ætatis suæ trigesimo secundo completo, idest in anno trigesimo tertio satis exploratum, aut saltem probabilius merito existimavimus.

§. III.

De prodigiis, quæ in Christi morte peracta sunt.

34. Distinguenda sunt, ut clarius hoc pertractemus, prodigia facta ante quam Christus Dominus emmitteret spiritum ab illis, quæ post animæ à corpore separationem peracta sunt. Inter priora præcipuum illud est, quod, ut affirmant Evangelistæ, tenebræ factæ sunt super universam terram à sexta hora usque ad horam nonam; De hisce tenebris plura inquiri possunt, & primo utrum pro universa terra intelligenda sit Judæa sola, an vero totus mundus; De Judæa sola intelligendam esse opinatus est Origenes tract. 35. in Mat. & cum Origene Erasmus in c. 27. Matt. quorum momenta sunt, hujusmodi prodigium factum esse propter Judæos, proinde non oportebat extra ipsorum confinia fieri, quemadmodum dicimus de terræmotu, ac de petrarum scissione, terminus autem ille, quamvis universalis sit, attamen juxta scripturarum consuetudinem non est adeo stricte accipiendus, ut ad unam solam integram regionem revocari non possit; Hoc etiam sibi vindicat regula astronomica, nam, vel hujusmodi tenebræ factæ sunt per densissimarum nubium interpositionem, quemadmodum in ægypto factas esse legimus, vel per interpositionem lunæ; quidquid autem afferatur, tam universales esse non potuerunt; Quod si fuissent, procul dubio ab aliquo ex scriptoribus gen-

gentilibus, qui vel eo tempore, vel prope floruerunt, ut Strabo, Valerius Maximus, & Plinius, fuisset scripto ad nos demandatum.

35. Vera tamen sententia est, totum mundum ab illis tenebris comprehensum esse, ut, quemadmodum Christus non solius Judææ, sed totius mundi erat dominus, & Redemptor, ita non Judæa sola, sed totus orbis suum dominum ac Redemptorem interire cognosceret; Verba Evangelistarum adeo sunt expressa, atque inter se similia, ut sine temeritatis nota aliter explicari non possint, nec aliter explicarunt Sancti Patres, quorum mentem in scripturarum explicationibus sequi debemus, ut apparet apud Chrisost. hom. 29. in Mat. Theophil. in 27. Mat. & Hieronim. ibidem, Athanasius vero in passione & cruce domini dixit; *Rerum natura suo sole destituta fuit*. Rerum autem natura non in sola Judæa concluditur, sed toto mundo dominatur. Res procul dubio evenit, sicut in Scripturis Sanctis per Prophetarum ora fuerat præsignata; Legimus porro in Isaia cap. 50. *Induam cœlos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum* qua similitudine melius explicari non potest quod interest nostra, ut enim sacco res ita comprehenditur, ut tota inludatur, ita cæli tenebris comprehensi sunt, ut nihil eorum, quo lumen effunderent, relinqueretur; in Amos vero cap. 8. *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis*, quæ verba de Christi morte exposuerunt Hieronym. Cyril. Jerosolymit. cat. 13. Tertul. lib. 4. contra Marcio: Isidorus lib. de passione domini. Hujusce rei plures ex scriptoribus testes fuisse, latere non potest, si quis legerit vel epist. 7. Dionysii Areopagit. ac Polycarpum, quem etsi non recipiat Erasmus, recipiunt tamen omnes viri, qui simul probi sunt, ac eruditi; vel Tertullian. in Apologet. cap. 21., qui illam Solis mirabilem defectionem etiam Romæ visam esse testatur, cum autem eo loci scriberet contra Gentiles, incertam & ipsis ignotam historiam attulisse, credi non potest. Illius autem verba sunt ista. *Eodem momento dies, medium orbem signante Sole, subducta est, deliquium utique putaverunt, qui id quoque super Christum prædicatum non sciverunt. Et tamen eum mundi casum relatum in archiviis vestris habetis*. Ex Græcis autem jam in anteced. Phlegontem produximus ex Eusebio. Ex quibus satis constat, quam vana sint opinionis opposita fundamenta.

36. Quod ut amplius etiam declaretur. Secundo quæritur, quo pacto, & qua causa hujusmodi Solis obscuratio facta fuerit. Factam enim fuisse per densarum nubium interpositionem, ut n. 34. prænotavimus, voluit Origenes, Dionysius vero per eclipsim, seu positionem lunæ inter terram & solem.

Quamvis hoc postremum dici possit cum S. Augustino & S. Thoma, attamen factam fuisse per solam eclipsim mihi probabile non videtur, cum irradiationem Solis in toto orbe sola Luna impedire non possit, quare addendum censeo, id præsertim divina virtute factum esse, ut Sol radios suos non emitteret, ut ante Hieronym. in cap. 27. Matt. Bedam lib. 6. in Luc. cap. 23. judicavit Cyprian. de bono patientiæ dicens. *Sol ne Judæorum facinus aspicere cogatur, & radios, & oculos suos subtrahit &c.* Res igitur ita se habuit, ut quemadmodum ignis in fornace babylonica vim virtutis suæ oblitus est, ne pueris noceret, Deo negante concursum suum, ita Sol in Christi morte vim illuminationis suæ oblitus est, ne, Deo nolente concurrrere, hominibus appareret.

37. E contrario quod Origenes asseruit, tanquam falsum rejiciendum est, cum ex sententia Phlegontis, tunc stellæ cœli visæ sint, quod, si fuisset densarum nubium interpositio, fieri non potuisset, & quia, ut judicavit Augustin. lib. 3. de mirabilibus cap. 12. Solis hæc obscu-

obscuratio ita accidere debuit, ut non aliquo casu, aut naturali causarum cursu provenisse, posset existimari.

38. Post Christi mortem primum prodigium fuit scissio veli, quod erat in templo, dicente Matthæo, *emisit spiritum, & ecce velum templi scissum est*. Duo autem fuisse vela templi habemus ex Origene, teste Jansenio cap. 143. concordiæ, qui licet contrarium opinetur, attamen non esse illi adhærendum existimo, cum alios scriptores pro Origenis sententia nobis liceat afferre; Josephus lib.6. de bello judaico cap.6. totum templum describens, inquit, fuisse interiorem partem ejusdem, ad quam tantummodo Sacerdotibus ingredi licitum erat, separatam ab exteriori per auratam portam habentem fores aureas, & aulæum longitudine pari, idest velum; inde subdit; *Intima vero templi pars discernebatur similiter velo ab exteriori, & Sancta Sanctorum vocabatur*. Verbum illud, *similiter* aliud velum indicare, satis apparet; quod etiam clarius explicavit Cyril. lib.12. in Joan. cap.37. dicens. *Velum templi linteamen quoddam erat de latere ad latus, à superioribus templi in medio pendens, ut ad interius tabernaculum solus Pontifex ingredi posset. In primis januis templi velum erat extensum, intra quod primum tabernaculum erat*. Constat itaque duo fuisse templi vela, interius unum, aliud exterius, nec quidquam refert ab Evangelistis indistincte dictum esse; *& velum templi scissum est*. Nam adhuc servatur veritas propositionis, etenim propositio indefinita æquivalet particulari, ut manifeste patet, nam si aliquod velum templi scissum est, vere dicitur, velum scissum est; juxta hæc Hieronym. ep.150. inquirit, quodnam velum templi scissum est, nulla autem esset quæstio, si tantum unum velum fuisset.

39. Porro quodnam ex hisce velis scissum fuerit, dubia res est apud Sanctos Patres. Origenes tract.45. in Mat. quem sequutus est Hieronym. laudata epist. de solo exteriori id intelligit, atque eo ducitur principio, quo, cum nunc videamus solum per speculum, & in ænigmate, tunc solummodo interius velum disrumpendum erit, quando venerit quod perfectum est, & evacuabitur quod ex parte est, solum enim in cælesti patria Sancta Sanctorum ingrediemur, ibi videntes arcana Dei, quæ nobis, adhuc in hoc sæculo peregrinantibus, remanent secreta, & abscondita. Ex hoc tamen etiam oppositum inferri posset; nam, Sancta Sanctorum cælestis foret symbolum patriæ, ut loquitur Paulus ad Hebr.9. & Christus æterna redemptione inventa introierit in Sancta, nobisque cæleste regnum reseraverit, velum interius in ejus morte scissum esse, merito possumus definire; quare Leo Papa serm.10. de pass. inquit. *Velum, cujus objectum includebantur Sancta Sanctorum, à summo usque ad ima disrumptum est, & sacrum illud, mysticumque secretum, quod solus Summus Pontifex jussus fuerat intrare, reseratum est, ut nihil jam esset discretionis, ubi nihil resederat sanctitatis*. Quod & tradiderunt Isidorus cap.50. in Exod. & Euth. cap.67. in Math.

40. Hujusmodi duplex velum ita affirmat Baronius an.34. Christi, ut eos erroris arguat, qui unicum tantum fuisse, affirmarunt, sed quid per veli scissionem significatum fuerit, fusius explicandum interpretibus reliquit, addit tantummodo ex Ephrem Syro, cujus summam in scribendo fuisse authoritatem Hieronym. de Scriptoribus Ecclesiasticis tradit, tunc, cum velum templi scissum est, columbam etiam e templo egredi visam esse. Nos etiam cum eodem de hac veli scissione plura dicere omittimus, cum plura, atque omnia aptissima dixerint Patres, quos legendi cura cuique inesse debet, nec aliquid subdimus, præter id, quod ait S. Ambrosius lib.10. in Lucam hisce brevibus verbis. *Velum scinditur, quo vel duorum populorum divisio, vel mysteriorum Synagogæ*

gogæ profanatio declaratur. Scinditur ergo velum vetus, ut Ecclesia nova fidei suæ vela suspendat. Synagogæ velamen aufertur ut religionis interna mysteria revelato mentis cernamus obtutu. In hac veli scissione adimpleri cæpit quod legitur Danielis cap.9. *In dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis.*

41. Post veli templi scissionem ab Evangelista Matth. cap. 27. indicatur terræ motus, *terra mota est*. In Christi morte negaverat cœlum splendorem suum, negavit & terra suam immobilitatem; conditoris sui mortem elementa senserunt, quam obdurata hebræorum corda tentarunt; terræ motu lex Mosayca initium accepit, terræ motu habuit & finem, juxta id quod dixit Paulus ad Heb. 12. *Cujus*, idest Moysis, *movit terram tunc, nunc autem repromittit dicens: Adhuc semel, & ego non solum movebo terram, sed & cœlum.* Iram Dei metuere debuisset hæbraicus populus, atque illud in mentem revocare, quod dixit David ps.17. *Commota est, & contremuit terra, fundamenta ejus conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.*

42. Utrum terræ motus iste Judæe tantum, intra Jerosolymæ confinia, partes concusserit, an vero etiam remotiora loca, quantum ad hæc ex evangelica narratione nihil potest concludi; ex Phlegontis vero sententia à nobis adducta, satis ostenditur, in Bithinia, aliisque Civitatibus plurima destructa fuisse ædificia. Non me præterit ex Cornelio Tacito, ex Plinio, ex Paulo Orosio, primo ejusdem lib. 2. Annal. secundo lib.2. hist. cap.84. tertio lib.7. hist. cap.4. tempore Tiberii multas Civitates in Asia terræ motu destructas esse, quem accidisse die passionis Christi plures arbitrati sunt, inter quos etiam S. Augustinus de mirabil. Sac. Script. lib.2. cap.3. attamen, ex Eusebio in Chronico terræ motus iste adscribitur Tiberii anno quinto, proinde contigit tredecim annis prius quam Christus moreretur.

43. Ex hoc terræmotu orta fuit petrarum, immo & montium scissio, non solum Jesosolymis, sed in aliis & in remotioribus partibus. Quod enim hoc Jerosolymis evenerit, narrat Cyril. Jerosolymitanus catech. 13. dicens; *Hactenus Golgotha monstrat, ubi propter Christum petræ scissæ sunt.* Et Hieronymus ex Evangelio Nazaræorum epist. 150. ostendit, etiam superliminare templi; quod ingentis erat molis, divisum fuisse per medium. Alios montes in aliis remotioribus regionibus hoc terræmotu scissos esse ex firma incolarum traditione colligimus, idest, in Hetruria montem Alverniæ dictum, & prope littus Campanum Cajetæ promontorium.

44. Alia prodigia in Christi morte evenisse ex Scriptoribus ecclesiasticis accepimus; Hironym. & Chrisost. in Matt. Eusebius vero in chronico affirmant auditas esse voces in templo clamantium. *Transeamus ex his sedibus*; quamvis Josephus in lib.2. de bello Judaico cap.13. id referat ad tempus Pentecostes paulo ante Jerosolymorum excidium. Plutarchus etiam penes Eusebium lib. 5. de præparat. Evangelii cap.9. refert, cum quidam Romani ex ægypto in Italiam navigassent, circa insulas, quas Echinadas appellant, auditam esse vocem navis gubernatori, qui erat quidam Thramnus, præcipientem; *Quando juxta paludem fueris, annuntia tunc, Pan magnum mortuum esse.* Quod cum fecisset, magnus gemitus, & ululatus ex illa palude auditus est. Cum tamen hæc, & non nulla alia ex evangelica narratione non colligantur, illam eis fidem præstamus, quam suis authoribus.

45. Quod ex Evangelio firme habemus, est, sepulchrorum monumenta aperta esse, & multa corpora Sanctorum à mortuis surrexisse, ac intrasse Jerosolymam, congruum enim erat, aperiri monumenta, ut per ejus mortem mortuis

tuis vita tribueretur; atque, ut ait Cyrill. catech. 13. *Defecit Sol propter justitiæ Solem, petræ scissæ sunt propter spiritualem petram, sepulchra aperta sunt, & mortui surrexerunt propter eum, qui est inter mortuos liber*; Quamvis tamen in Christi morte aperta sint monumenta, attamen corpora surrexisse non nisi resurgente domino existimo, ut tradam in sequenti Sectione.

§. IV.

De die, mense, & hora, quibus Christus crucifixus est.

46. Tria examinanda proponuntur, in duobus facili negotio rem absolvemus, in tertio vero erit diutius immorandum. Christum mortuum esse feria sexta dubitare non possumus, si evangelicam historiam, si ecclesiasticam traditionem, si doctorum dicta perpendamus. Mat. 27. Christus dicitur crucifixus *in die parasceves* Marci 15. additur, *Quod est ante Sabbathum*. Et Luc. 23. *Erat parasceves, & Sabbathum illucescebat*. Ecclesia feriam sextam specialiter veneratur, quia ea die Christus mortuus est, ut scribit S. August. ep. 119. ad Januarium; immo Clemens lib. 5. Constit. cap. ultimo, Ignatius epist. 8. ad Philip. Clemens Alexandr. lib. 8. Strom. aliique testantur, propter hoc ab initio Ecclesiæ observatum esse, ut fideles à carnibus abstinerent; Quare Beda lib. de ratione temporum cap. 45. inquit. *Nulli Catholico dubitare licet, Christum feria sexta fuisse occisum*. Ratio etiam congrua afferri potest, nam decuit, eo die hominem redimi, quo fuit creatus, feria autem sexta creatum esse, Genes. liber declarat.

47. Quantum ad secundum non est dubium de mense lunari, constat enim Christum in primo mense, qui post æquinoctium vernale à Luna conficitur, die 15. mortuum esse; sed de mense solari, nam primus mensis lunaris partim in Martium, partim incidit in Aprilem. Hac de re plures opiniones apud Sanctos Patres, & expositores reperiuntur. Quidam dixerunt, mortuum fuisse in Aprili. Ita Abulens. 2. par. Defensorii cap. 13. & Joan. Lucidus lib. de vero die passionis Christi cap. 9. Hoc deberent dicere quicumque sustinent, mortem Christi contigisse anno ætatis suæ 34. ut nos ostendimus argumento astronomico num. 33. Quidam, in mense Martio, sed in assignando die maxima est mentium divisio. Ab aliquibus statuitur 26. ab aliquibus 30. ab aliis 21. ab aliis 24. Pro prima opinione citantur Epiphan. lib. 4. cap. 10. & Onuphr. in Chronico ann. Christi 34. Pro secunda doctores suppresso nomine afferuntur ab Epiphan. hæresi 50. Pro tertia S. Anselm. cap. 27. in Math. Pro ultima Theophylus Cęsariensis. Quidam stabiliunt die 23. Martii, ut Eusebius Cæsariensis, & Lactant. lib. 4. divinar. institut. cap. 16. quam opinionem Gallicanæ Ecclesiæ olim sequutæ sunt. Nunc vero frequentius receptum est, Christum mortuum esse die 25. Martii juxta August. lib. 4. de Trinit. cap. 5. Chrysostom. serm. de Nativit. Jo. Bapt. Tertull. lib. contra Judæos cap. 8. Bed. de ratione temp. cap. 28. quos sequuti sunt S. Thom. cap. 2. in Joan. Platina, Usuardus &c. Cum tamen hoc pendeat ex humana historia, vel ex tabulis astronomicis, non nisi incerta afferre possumus.

48. Nunc ad punctum, quod ad horam pertinet, devenio, in quo dirimendo plures tam ex antiquioribus, quam recentioribus non mediocriter insudarunt, propter contradictionem, quæ videtur esse inter textum Marci, & Joannis, cum ille dicat, crucifixum esse hora tertia; Iste vero hora fere sexta, immo alii duo Evangelistæ absolute dicant, hora sexta. Singulorum proferam opiniones, non tam studio mortis horæ decernendæ, quam ostendendi nullam in scriptura sacra fuisse contradictionem, non enim me latet, plures hoc uti argumen-

to, ut ostendant, Deum per alios posse mentiri.

49. Tres sententias ennumerat S.Th. hic q. 46. art.9. ad 2. Prima est eorum, qui dixerunt, Joannem, & alios Evangelistas loquutos esse de vera crucifixione, Marcum vero non de ea, quæ reapse facta fuit in Calvariæ loco, sed de ea, quæ facta fuit à Judæis, quantum in ipsis erat, quando clamarunt, *Crucifige, Crucifige eum*. Ita explicavit S. Aug. lib. 3. de consen. Evangelist. cap.13. ubi dicit. *Intelligitur, fuisse hora tertia, cum clamaverunt Judæi, ut Dominus crucifigeretur: & veracissime demonstratur, tunc eos crucifixisse, quando clamaverunt. Ergo, ne quisquam cogitationem tanti criminis aversus à Judæis in milites converteret, erat, inquit, hora tertia, & crucifixerunt eum: ut illi potius crucifixisse inveniantur, qui hora tertia, ut crucifigeretur, clamaverunt.* Huic explicationi adhærent Innoc. lib.5. de mysteriis Missæ c.9. Beda in Joan. & Marcum, S. Th. loco citato.

50. Bona tamen præclarissimi Doctoris venia, hoc potius ingeniose, quam varaciter dictum esse existimo. Atque hoc, præcipue propter duo. Primum est, quod, hac ratione, non solum potuisset, ac debuisset dici Christus mortuus hora tertia, sed summo mane, quando in Concilio dictum fuit, *Reus est mortis*. Secundum est, quia, Marcum ibi loqui de vera crucifixione, palam facit ejusdem contextus; inquit enim. *Milites duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei, plectentes spineam coronam &c. dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit; & crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis*; & addit; *Erat autem hora tertia, & cucifixerunt eum*. Quæ omnem crucifixionem veram innuere, nemo est, qui non intelligat.

51. Aliam etiam ibidem Augustinus profert explicationem, dicens; etsi Christus crucifixus fuerit hora diei tertia, attamen Joannes, & reliqni Evangelistæ hora sexta scribere potuerunt; neque enim intelligenda est hora sexta diei, sed hora sexta parasceves paschæ, inquit enim Joannes. *Erat parasceve paschæ hora quasi sexta*; Porro per pascha intelligendus est ipse Christus, seu immolatio ejus in cruce, quæ, cum præparari incæperit hora noctis nona, rècte dicitur crucifixus hora sexta, tot namque horæ usque ad tertiam horam computantur. Verba Augustini ista sunt. *Non desunt qui parasceven, quam Joannes commemorat, dicens, Erat parasceve hora quasi sexta, horam diei tertiam velint intelligi. Parasceve quippe interpretatur præparatio. Verum autem pascha, quod in passione domini celebratur, incæpit præparari ab hora noctis nona, quando scilicet omnes principes Sacerdotum dixerunt, Reus est mortis; Ab illa ergo noctis hora, usque ad Christi crucifixionem occurrit hora parasceve sexta secundum Joannem, & hora diei tertia secundum Marcum.*

52. Sed neque hæc explicatio à nobis approbari potest, primo quia, quæ dicta sunt juxta textum Marci superius recensitum servari non possunt, & sic sumendo pascha, non sumitur in eo sensu, in quo de ipso loquuti sunt Evangelistæ, loquebantur enim de paschate Judæorum; deinde non recte computantur horæ, & gratis omnino dicitur, præparationem mortis Christi initium sumpsisse ab hora nona, quæ est tertia post dimidium noctis, cum potius deberet dici, incæpisse in dimidio noctis, quando fuit Christus à Judæis comprehensus.

53. Est igitur alia tertia sententia apud S. Thomam ibidem, nimirum, in textu fuisse errorem Scriptoris, cum signum illud, quo Græce scribitur numerus senarius, simillimum illi sit, quo scribitur ternarius, atque ideo Marcum revera scripsisse hora sexta, sed indoctos oscitantes librarios notam senarii in notam ternarii mutasse. Hanc opinionem

præ-

præcæteris sustinet Melch. Canus lib. 2. de locis cap 18. atque eam dicit fuisse Theoph. & Cajetani. Libenter huic egregio certe doctori subscriberem, si alio modo quod Evangelistæ scripserunt in concordiam adduci non posset, aut si satis firma fundamenta contra Canum non militarent. At illud præstari potest, ut infra dicam, istud verò demonstro. Primo, non adeo facile in Scripturis Sacris Librariorum incuria errores irrepsisse asserendum est, aliter, quotiescumque aliqua difficultas occurret in earum explicatione, ad Librariorum oscitantiam impune posemus confugere. Secundo errorem hunc contigise propter similitudinem, quæ reperitur inter notam numeri senarii, ac ternarii, parum suffragatur, neque etiam est tanta similitudo, neque ostendi potest eas notas, seu voces scriptas ese numeralibus signis, & non potius propriis litteris, ac vocibus, ut revera nunc in Codicibus græcis reperitur. Tandem, & hoc valde me movet, quia neque in græcis, neque in latinis Codicibus non est diversa lectio nec in Marco, nec in Joanne, sed in omnibus locus Marci indicat horam tertiam, locus Joannis horam sextam, atque ita fuise in ipso Ecclesiæ exordio ex eo evinci potest, quod plures ex antiquissimis Patribus senserint, revera Christum Crucifixum fuise hora tertia, ut Thelesporus in epist. decretali, quæ habetur in cap. *Nocte Sancta* de consecr. d. 1., & Ambrosius in hymno, qui in Ecclesia Mediolanensi canitur, ubi sunt hæc duo carmina.

Jam surgit hora tertia
Qua Christus ascendit Crucem

Item Cyril. Jerosol. catech. 13. dicit, *Crucifixus hora tertia*. Dicendum igitur foret juxta Canum, omnes istos Patres deceptos fuisse, atque ipsos etiam, in assignanda Christi morti hora tertia, cum librariis errasse.

54. Vere igitur sentio, Christum hora sexta, ut ait Joannes, crucifixum fuisse. Hoc Christianis omnibus persuasum esse, hoc ab Ecclesia tota teneri non dicam, sed ita ex Joannis Evangelio compertum sit, ut si id negaremus, ipsius Evangelium, tanquam fabula, rejiciendum esset, & tamen, qui ista perhibuit, scimus, quia verum est testimonium ejus. An non legimus Pilatum hora fere sexta pro tribunali sedisse? sententia lata est, eductus est Jesus, Crucem bajulavit, angarlatus est Simon Cyrenensis, habita fuit oratio à Christo ad Mulieres, hisce omnibus horæ spatium dandum est; itaque vere hora sexta fuit crucifixus. Hic tamen adnoto cum Baronio ad an. Christi 34. non adeo stricte sumendam esse horam sextam, ut aliquid vel defuerit, vel in aliquo non præterierit; Evangelistæ enim in conscribendis horis (sunt verba ejusdem) horologium non habuerunt præ manibus, ut per sua puncta singulas horas distinguere possent. Audiamus quid dixerit Ignatius martyr in epist. ad Trallian. *Hora tertia sententiam accepit à Pilato, permittente id Patre; hora sexta crucifixus est, nona expiravit; ante solis occasum sepultus est.*

55. Restat itaque dicendum, quo pacto Marcus, qui dixit hora tertia, non discrepet ab aliis, qui dicunt hora sexta Christum, Dominum meum, & omnium, fuisse crucifixum. Hoc haud difficulter fieri potest, si perpendamus, fuisse morem apud Judæos in quatuor partes diem dividendi, quemadmodum noctem in quatuor vigilias. Prima initium habebat à diluculo usque ad horam tertiam, secunda ab hora tertia usque ad sextam, tertia à sexta usque ad nonam, quarta à nona usque ad solis occasum. Hinc fit, quod cum Christus crucifixus fuerit hora tertia nondum completa, sed jam suo termino proxima, recte dicere potuit Marcus, hora tertia fuisse crucifixum, recte Joannes, hora quasi sexta. Hanc divisionem fuisse apud Judæos etiam solitam, habemus in antiquis Patribus, Cypr. lib. de orat. Dominica in fine, Tertul. lib. de jejun. cap. 10.

cap.10. Chrysost. hom.59. ad populum Isidor. lib.1. de offic. ecclesiast. cap.19. & præsertim hujusmodi divisio fiebat per respectum ad res Sacras, unde de Petro & Joan. act.11. legitur *Petrus & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*. Hujus divisionis rationem exponit Jansenius in concord. cap.142. & juxta eam conciliant textus, de quibus præsens est controversia, Nicol. Lyran. Dionys. Carthus. aliique plures.

56. In contrarium tamen plura adducuntur 1. divisionem hanc sine aliquo fundamento fuisse excogitatam, etenim Hebræi diem per duodecim horas explicare consueverunt. Joan.4. *Heri hora septima reliquit eum febris*. Joan.11. *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Mat.20. *Circa undecimam horam exiit &c*: 2. In nullo loco, nec scripturæ nec Patrum, mentio fit horæ primæ, sed solum tertiæ, sextæ, nonæ, & vesperæ; ex quo 3. si hora nona complectitur decimam, undecimam, & duodecimam, nullum tempus relinquitur, quod nomine vesperæ declaretur, nisi fortasse crepusculum noctis; quod tamen dici non debet; Itaque divisio illa admitti non debet.

57. Hæc tamen aliquo pacto refelli posse, non dubitamus; & quantum ad primum, attendenda est particula illa, *etiam* quam posui, & statim, à nobis non negari etiam alio modo diem divisum fuisse, compertum fiet, immo ita dividebatur, quando ad divisionem totius integræ diei, & ad aliquid proprie factum tali determinato tempore exprimendum requirebatur. Ita autem res se habebat in circumstantiis, in quibus scriptura nobis opposita loquebatur, nam in primo textu Regulus conferre voluit tempus verborum Christi cum tempore, quo filius ejus melius se habuerat, & ideo oportebat propriam horam septimam exprimere. In tertio opus erat declarare, operarios, ultimo vocatos, una tantum hora laborasse, & ideo hora undecima exprimenda erat. Eodem modo etiam Petrus act. secundo dixit, *Cum sit hora diei tertia &c.* ibi enim certe loquutus est de hora diei tertia, non juxta divisionem nostram, sed vere de tribus horis diei, ut ostenderet, fieri non posse, ebrios esse discipulos. Solum dicimus, divisionem nostram fuisse etjam usitatam, præcipue cum de rebus sacris peragendis agebatur, atque ideo juxta illam loquutos esse Evangelistas de Christi morte, cum fuerit res maxime sacra, & in ea perageretur omnium maximum sacrificium. Quod si primæ in scripturis & Patribus mentio non sit, dicere possumus, ideo hoc esse, quia ad aliquam rem sacram illa diei pars non fuerit deputata. Ad tertium. nomen vesperæ multifariam in scripturis, & apud Judæos acceptum esse, exploratum habemus, aliquando enim sumitur duobus vel tribus horis post meridiem usque ad solis occasum, ut colligitur ex illo Mat.14. ubi dicitur. *Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes, desertus est locus, & hora jam præteriit, dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas*. Hoc autem dictum est multo ante occasum solis, nam postea factum est miraculum quinque panum, omnes saturati sunt, & dimissi; aliquando sumitur pro ipso solis occasu, seu pro prima parte noctis, unde ibidem subdit Matt. *Dimissa turba ascendit in montem solus orare; vespere autem facto solus erat ibi*. Quamobrem nihil mirum, si in hora nona includebantur etiam vesperæ, vel in vesperis ipsa hora nona, aut si dicamus, vesperas esse in occasu solis, completa jam nona, & prima noctis incipiente vigilia.

58. Sed hic movetur alia difficultas, quo pacto dixerit Lucas cap.23. *Erat autem hora fere sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram, usque in horam nonam*. Cum tamen Joannes dixerit, Pilatum hora quasi sexta sedisse ad judicandum. Sed facile respondere possumus, sub initio horæ sextæ Christum

ſtum fuiſſe Cruci affixum, & ſic loquitur Joannes, in fine vero horæ ſextæ tenebras factas eſſe, & ſic loquitur Lucas; dictum enim fuit, particulas *quaſiſere* aliquando minuere, aliquando addere, aliquando omnem æqualitatem ſervare; jam de primis allata ſunt exempla num.25. de tertio vero, ſatis ſit illud, quod legitur Joan.1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre*.

Ad Evangeliſtas conciliandos, & veritatem ſervandam, hæc mihi dixiſſe ſufficiant; ſi alicui non placent, quærat ipſe faciliorem tutioremque viam, libenter audiam dicentem, vel ſcribentem legam.

SECTIO II.

De Chriſti ſepultura, & deſcenſu ad Inferos.

§. I.

Nonnulla de Chriſti ſepultura.

1 QUI omnia in hac re velit, ſatis eſt, ſi legat S. Th.3. p. qu.51. qui adeo clare, ut ſui moris eſt, cuncta expendit, ut nobis ſuperfluum de hiſce agere videatur; hac de re dixi in titulo, nonnulla à nobis inquiri, quæ fortaſſe dubitationem aliquam vel in re, vel in modo poſſent in fidelium animis excitare.

Corpus Chriſti fuiſſe ſepultum, niſi Evangelicos textus negemus, in dubium revocari non poteſt; atque hoc quidem valde expediens fuit, ſive inſpiciamus ipſum Chriſtum, ſive etiam nos; ſi primum, cum id factum ſit, non niſi ex magna providentia Dei, ſapientique conſilio factum eſſe, judicare debemus, hoc enim commune eſt omnibus iis, quæ à Deo fiunt, ut ſine conſilio, & ſumma convenientia fieri non poſſint; Quamvis vero Chriſti Corpus non indigeret ſepeliri propter corruptionem, cui ceterorum Corpora obnoxia ſunt, cum eſſet hypoſtatice unitum divinæ perſonæ, & mox ſuſcitandum, attamen, ut omni ex parte probaretur, Verbum Divinum humanam carnem noſtræ ſimilem aſſumpſiſſe, quemadmodum mortua fuit, ita & decuit, ſepeliri, atque ita, Calvariæ locus teſtis eſſet mortis, ſepulchrum vero teſtis Reſurrectionis, mortemque noſtram non ſolum in ligno vinceret, ſed etiam in ſepulchro; ex quo infertur quantum fuerit expediens, ſi noſmetipſos inſpiciamus. ut enim dicit. *Mors adverſus mortem, ſepultura adverſus illam in terram reverſionem*. Quamvis namque Chriſtus per ſepulturam nihil nobis meruerit, attamen ex vi præcedentis meriti, & per voluntariam etiam in ſepultura jam prævisa oblationem, potuit illud corpus ab ea nos maledictione liberare, quam in Adamo omnes contraximus, in quo cum omnes peccaverimus, omnibus etiam dictum fuit, *pulvis es, & in pulverem reverteris*.

2. Fuit igitur Joſephus nobilis vir, qui audacter corpus Chriſti petiit, & obtinuit à Pilato, atque illud de Cruce depoſitum involuit in ſyndone munda, & in ſepulchro, in quo nullus unquam fuerat, collocavit, quod ab eo hortatu Virginis Matris, cum adhuc eſſet diſcipulus occultus, multoque timore correptus, factum eſſe, ſcribit Simeon Me-

Metaphrastes in Virginis vita die 15. Augusti. Nicodemus vero emit aromata, atque ejus corpus condivit, & unxit, quem usum hebræos ab aliis esse mutuatos, affirmat Tacitus 21. Annalium. Unde & Joseph Patris sui Jacob corpus aromatibus condiri, præcepit medicis suis Genes. 50. Magnum certe hoc fuit in Nicodemo pietatis ac devotionis officium, quod & à Mulieribus postea factum esse narratur, *Emerunt enim aromata, ut venientes ungerent Jesum*. Sed in hoc ipso, quo pluribus laudibus se dignum exhibuit, se parum firmum in Christi resurrectionis fide demonstravit; unde & Chrysost. hom. 84. in Joan. tam Nicodemum, quam alios imperfectæ fidei reprehendit dicens. *Adhuc de eo, tanquam de puro homine opinabantur, & ea ferunt aromata, quæ maxime corpora servare soleant, quod nihil magnum de Jesu ipsos existimare arguebat, multum tamen amorem præseferunt*.

3. Mihi tamen placet etiam ab infidelitatis, aut modicæ fidei suspicione Nicodemum vindicare; non enim solummodo ad liberanda corpora à corruptione aromatum unctio adhiberi poterat, sed etiam ad ipsis honorem deferendum, & benevolentiæ signum demonstrandum, quod etiam in Defunctorum corporum lotione manifestum est, quod fieri consuevisse apud hebræos legitur act. 9. immo & in Ecclesia sub prioribus sæculis refert Gregorius Magnus lib. 3. Dialog. cap. 17. profecto, si ad præservandum Christi corpus, Nicodemus id fecisset, non solum exteriori unctione contentus fuisset; sed interiorem etiam præstasset, proinde à sacro corpore intestina extraxisset, ut intus & foris illud ungere posset, quod ab omni Ecclesiæ sensu alienissimum est, immo & Evangelicæ narrationi contrarium, cum dicat, fuisse unctum aromatibus, involutum syndone, linteisque ligatum. Id igitur tantum honoris causa peractum est, proinde Resurrectionis ejus integra adhuc fide servata, saltem quantum attinet ad hoc, quod Christi corpus aromatibus unxerit.

4. Præterea inquiri potest, quantum temporis Corpus Christi in sepulchro jacuerit, cum enim constet, sepultum esse ad occasum solis feriæ sextæ, & resurrexerit adveniente die Dominico, manifestum est duabus noctibus; & una die sepultum mansisse, quare Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 6. inquit; *A vespere sepulturæ, usque ad diluculum Resurrectionis, triginta sex horæ sunt, idest, nox tota cum die tota, & nocte tota*. Difficultatem in hac re facit, quod dixit Christus Mat 12. *Sicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita filius hominis erit in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*. Quo dato dicendum foret, aut Christum non esse sepultum adveniente nocte feriæ sextæ, vel die Dominico non surrexisse, utrumque autem falsum est. Hoc sibi proposuit S. Th. 3. p. q. 51. art. 4. & ad 1. sic respondet. *Restat, ut hoc inveniatur, illo scripturarum usitato loquendi modo, quo à parte totum intelligitur, ita scilicet, quod unam noctem, & unam diem accipiamus pro uno die naturali; & sic primus dies computatur ab extrema parte sui, qua Christus sexta feria mortuus est & sepultus, secundus autem dies est integer cum 24. horis nocturnis, & diurnis, nox autem sequens pertinet ad tertium diem*. Videtur hæc responsio satis obscura, sed ex iis quæ dicam, clarior apparebit; inquit autem Angelicus absolute uno integro die, & duabus noctibus fuisse in sepulchro; quia cum mors Christi non fuerit ex peccato proveniens, sed ex charitate suscepta, non habuit rationem noctis, sed diei, ideo per diem integrum significatur, quia vero per ejus mortem à duplici morte animæ scilicet, & corporis liberati sumus, per duas noctes declaratur. Sed quo pacto adhuc veraciter dici possit tribus diebus, & noctibus mansisse in corde terræ, sicut Jonas

in

in ventre Ceti, declarandum suscipimus. Nos non latet, plures multa, atque varia in hoc puncto scripsisse, inter quos etiam aliqui fuerunt, qui penuria temporis, eo usque progressi sunt, ut trium horarum spatium, quo, ecclypsi illa miranda, dies est conversus in tenebras, pro una nocte voluerint usurpare; sed & hoc perperam dictum est, nec aliquid evinceretur, nam illo spatio Christus fuit in Cruce, non autem in sepulchro. Illud, quidquid alii dixerint, à nobis affirmandum esse existimo, quod neque Jonas fuerit in ventre Ceti tribus diebus, & noctibus integris, neque totidem Christus in corde terræ, sed ita ut aliquid attactum fuerit trium dierum, & trium noctium. Hoc est juxta Isidorum Chrysostomi discipulum, qui epist. 114. scribens ad Timoth. Lectorem, hæc habet. *Is, qui se Jonæ typum expressurum receperat, cum eum exacte nosset, quippe qui etiam Jonæ adesset, eum in profundum præceps ageretur, atque e profundo ejiceretur; eum quoque haud dubie explevit, tanto nimirum temporis spatio in sepulchro commoratus, quanto Jonas in Ceti ventre; ea nimirum mensura tres illas dies, ac noctes mensus est, ut sicut ille, non tres integros dies totidemque perfectas noctes, sed ex illis duobus extremis partem permanserit, ut ait, in corde terræ.* Ut hæc omnia habeantur, necesse est, communem usum hebræorum accipiamus, nimirum; à media nocte diem auspicandum esse, ita ut dies duas medias noctes haberet; sic igitur factum est, ut sepulto Domino ad occasum solis diei sextæ, jam una media hujus diei nox habeatur, alia medietas noctis advenienti Sabbatho tribuatur, inde est alia media nox post occasum solis in die Sabbatho; Rursus est alia nox media, quæ tribuitur diei Dominicæ subsequenti, qua surrexit Christus, & sic habemus aliqua parte dierum trium, & aliqua parte trium noctium, Christi Corpus in sepulchro fuisse; atque sic explicandum arbitror, quod ex S. Th. dictum est. Brevius; sumatur dies medius inter duas medias noctes, statim rem totam habemus compositam.

§. II.

Utrum Anima Christi in triduo mortis vere ac proprie descenderit ad Inferos.

5. DUM dico, *descenderit ad Inferos*, statim se exhibet quædam controversia, quid hic Inferorum nomine debeat intelligi, supponimus enim de eo loco sermonem fieri, ubi animæ justorum ante Christi ascensionem detinebantur; hunc locum in scriptura sinum Abrahæ appellari, colligimus, cum Luc. 16. legatur. *Factum est, ut moreretur etiam mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*, qua autem in parte hic Abrahæ sinus positus sit, scriptura non indicat; & si S. Augustini sententiam in ep. 57. amplecteremur, non fuisse aliquam inferni partem, statuendum foret, ratio autem, quam Sanctus Doctor adducit, est, quia hoc inferni nomen pro loco cruciatuum & dolorum sumitur, quod de sinu Abrahæ dici non potest, quippe qui erat quædam sedes quietis, & alicujus beatitudinis, quod & confirmare videtur textus Lucæ, de quo supra. *Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ, mortuus autem est & dives, & sepultus est in Inferno*, ex quo videtur colligi, quod sicut infernus est in partibus terræ inferioribus, ita in istis non sit sinus Abrahæ, aliis terminis dictus limbus Sanctorum Patrum; immo ibidem dicitur magnum chaos esse inter eos, qui erant in sinu Abrahæ, atque illos, qui in inferno. Hac de re fortasse arbitrati sunt alii, esse quemdam locum cœlestem, aut terrestrem paradisum, ut habetur ex eodem Augustino lib. 4. de Virginir. cap. 15.

6. Dicendum tamen est, animam Christi Domini post mortem vere ac proprie descendisse ad inferos, & limbum, in quo justorum animæ detinebantur, fuisse in terræ partibus inferioribus.

Antequam primum declarem, hoc secundum operæ prætium est ostendere. Clarum autem testimonium in hac re exhibet id quod dixit Jacob. Gen.37. *Descendam ad filium meum lugens in infernum*. Non me latet, hæreticos inferni nomine pertinaciter velle significari sepulchrum, inquiunt enim vocem hebræam, *Seol*, quam latinus interpres vertit in infernum, nusquam in sacris litteris proprie, nisi sepulchrum, indicare, ex quo inde inferunt, neque Christi descensum ex iis, quæ nos afferremus, posse probari. Sed, ut solent, tam impudentes sunt, quam mendaces. Primo enim in textu adducto infernus pro sepulchro usurpari non potest, nec *Seol* sepulchrum potest significare, nam dixit Jacob se descensurum ad filium suum, non poterat autem loqui de corpore, sed de anima, & quia secundum corpus non erat sepeliendus in sepulchro filii sui, & quia putabat, eum à fera pessima devoratum esse. Secundo, in quot scripturæ locis non reperitur illa vox *Seol* quæ non sepulchrum, sed infernum significat? Legimus in ps.9. latine, *Convertantur peccatores in infernum*. Hebraice *Seol* quam David Climchi sigaificare ait gehennam, idque indicare litteram hæ, quæ secundam mortem innuit. Legimus in 16. capite libri numer. Dathan, & Abiron vivos descendisse in infernum, quo loco, vox *Seol* sepuluhrum significare non potest. Tandem dum dixit David (quo textu etiam descensum Chrsti probabimus) *Non derelinques animam meam in inferne* qua facie vertent, *non derelinques corpus meum in sepulchro*?

7. Alium etiam præclarum testimonium habetur 1. Reg. 28. ubi Samuelis anima visa est de terra ascendere, quæ & ait; *Quare inquietasti me, ut resuscitarer*? Scio, aliquos Sanctos Patres dubitasse, an revera illa fuerit anima Samuelis, inter quos S. Augustinus lib.2. ad Simplician. q. 3. & lib.8. de quæstionib. ad Dulcitium q. 6. aliquos vero negasse, & dixisse fuisse phantasma, ut Tertullian. lib. de anima cap.57. Justin. quæst. 52. ad Gentes, ipse Augustin. lib. 2. de mirabilib. Sacræ Scripturæ cap. 2. ut etiam habetur in capite, *Nec mirum* 26. qu.5. Hieronym: in cap. 6. Mat. Rupertus aliique. Attamen mihi semper magis placuit illorum opinio, qui dixerunt, revera fuisse animam Samuelis, cum enim scriptura potest commode simpliciter, & proprie intelligi, præsertim dum agitur de historia, sic debet intelligi; Quid autem prohibet, voluisse Deum in Saulis supplicium vere Samuelem apparere, ut ipsum reprehenderet, ac ipsi mortem prędiceret? Additur, Ecclesiastici 46. inter laudes Samuelis poni, quod postquam dormierit, idest post mortem, notum fecerit Regi, & ostenderit illi finem vitæ suæ exaltans vocem suam de terra, qua auctoritate ductus S.Th. 1. p. q.89. art. 9. ad 2. dicit quod si Ecclesiastici testimonium admittatur (admitti autem debet) Samuelis anima vere apparuit Sauli. Ideo S. August. in lib. de cura pro mortuis cap. 15. se retractavit, aut saltem mutavit Sententiam; & idem docuit Justinus dial. cum Triphone qua propter apud plures eruditos viros liber ille quæstionum ipsi non tribuitur, sed falsò adscribitur. Alii vero Patres nihil determinate dixerunt, sed pro utraque parte afferri possunt. Hisce expositis, quin modo rationibus sub initio dubitandi respondeamus.

8. Suadeo quod primo loco dictum est, animam Christi vere ac proprie ad inferos descendisse; idest secundum suam realem præsentiam, ac substantiam. Hanc majorem assertionis explicationem singillatim, ac divisim declarabo. Illud autem in testamento veteri satis

satis habetur expressum. Præter Davidicum testimonium in psal. 15. jam prolatum. *Non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. In quo habetur sermo de anima, & de corpore, quod tantum corrumpi potest, legimus in lib. Ecclesiastici cap. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in domino*, & Zachar. cap. 9. *Tu quoque in Sanguine testamenti educes victos de lacu, in quo non est aqua*. Ex novo autem testamento duo sunt præcipua loca. Unum invenio in actibus Apost. cap. 2. ubi Petrus ait. *Providens loquutus est de Resurrectione Christi, quia nec derelictus est in Inferno, neque caro ejus vidit corruptionem*. si autem non est derelictus in Inferno, plane in Inferno fuit. Aliud lego in epist. Pauli ad Ephes. 4. ubi scribit; *Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit primum quidem in inferiores partes terræ*. Et ad Rom. 10. *Quis ascendit in Cælum? Id est Christum deducere. Aut quis descendit in abyssum? Idest Christum à mortuis revocare*.

9. Ita testimonia hæc intellexerunt concilia, ideo veritas hæc definita, ac tradita fuit in Concilio Lateran. in cap. *Firmiter* de summa Trinit. & in Toletano 4. in fidei confessione, antea vero posita fuit in Symbolo, quod tanquam Apostolicum recipitur, & recitatur, nec non in eo, quod Athanasio tribuitur. De ea vero satis loquuntur Patres ex græcis Cyril. Jerosolym. catech. 4. Epiphan. hæresi 44. Damasc. lib. 3. de fide cap. ultimo. Orig. hom. 15. in Genes. ex latinis Cyprian. lib. 2. adversus Judæos cap. 24. Leo Papa epist. 91. Ambros. in lib. de mysterio Pasch. cap. 4. August. epist. 57. aliique plures; Immo etiam historici, Euseb. lib. 1. hist. cap. ultimo Niceph. cap. 31.

10. Dixi, majorem illam assertionis explicationem singillatim ac divisim fore declarandam, contra quam ex Doctoribus scholasticis unicum adinvenio. Durandum opinatum esse, qui licet admitteret locum quemdem subterraneum qui infernus appellatur, attamen descensum Christi non nisi secundum virtutem, & efficaciam affirmavit in 3. dist. 22. q. 3. Hoc tamen nullo pacto possum approbare, & scripturas illas in sensu metaphorico, idest per operationem explicare, est alias fidei veritates facillime posse destruere, quemadmodum enim dicit Apostolus, Christum ascendisse in Cœlum, ita & asserit Christum ad inferiores partes terræ descendisse; Poterit igitur dici, Christum ascendisse tantum secundum virtutem, & efficaciam, quod perperam diceretur, & Petrus post adducta verba addit hæc alia. *Juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*, videlicet Christum ab Inferno, impossibile autem non erat ibi Christum semper operari; Eadem etiam ratione affirmari posset, nunc Christum in terram descendere, & in purgatorium, cum in utroque loco aliquid operetur.

11. Plura autem opinionem suam probaturus profert Durandus. 1. rationem, quia existimat res spirituales esse non posse in loco nisi per operationem transeuntem ad corpora, res autem spiritualis erat anima Christi. 2. quia, anima Christi descendit ad inferos, ut Sanctorum Patrum animas consolaretur, ac eriperet, ad hoc autem necessaria non erat realis, ac substantialis præsentia. 3. quia in textu Ecclesias: 24. laudato dicitur: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ*. Et tamen quantum ad infernum, & Purgatorium sustinet S.Th. solam præsentiam virtutis, ac operationis. Tandem, dictum fuit, *Hodie mecum eris in Paradiso* nec tamen realiter fuit in Paradiso, sed solum in latronis anima beatitudinem sua virtute operabatur.

12. Hæc tamen parvi facienda sunt. Primum quam falsum sit in principiis meis, & Scoticis non est cur ostendam,

& quanvis verum esset, substantias spirituales esse in loco per operationem, attamen realem præsentiam non excluderet, sed inferretur tantum ibi necessario aliquo modo operari, ubi re ipsa sunt; Quod si hoc absolute verum esset, jam nec beati essent in Cœlo empireo, tamquam in loco, nec Dæmones in Inferno. Secundum probat solum, non fuisse necessarium descensum Christi ad animas Patrum consolandas, & accipiendas. Hoc concedimus, sed aliud est, rem aliquam non fuisse necessariam, aliud absolute non fuisse. Tertium infra pertractabitur. Ultimum vero satis explicatur vel ex eo quod Christus animam latronis etiam extra Paradisum beatam reddiderit, ut explicant SS. PP. præsertim S. August. epis. 57. vel id intelligendum esse de jure inamissibili ad Paradisum brevi explendo; Neque vero est eadem ratio de Paradiso promisso latroni, quæ de Christi animę descensu ad Inferos. Cum pro eo nec habeamus scripturas, nec definitiones, sicut pro isto.

13. Duo modo nobis supersunt. Primum, ut refellamus, quæ dicta sunt sub initio præsentis paragraphi, pro quo dicimus sinum Abrahæ ab inferno distingui, si inferni nomine significetur gehenna, in qua anima divitis sepulta dicitur. Augustinus, nondum veritatem satis edoctus, aliquando dubitavit, in aliis tamen locis tradidit quod nos probavimus, præsertim 20. de Civit. cap. 15. & in illa verba ps. 85. *Eduxisti animam meam ex Inferno inferiori* qui apud Job. dicitur etiam profundissimus, non respectu gehennę, sed Cœli, & Terrę. Quod alii arbitrati sunt; perperam arbitrati sunt, & sinus Abrahæ non erat sine aliqua pœna, non quidem sensus, sed damni.

14. Secundum est, hæreticos nostrorum temporum negare Christum ad inferos descendisse, eo quod existiment, nullum esse locum subterraneum, qui Infernus nuncupetur, sed à nobis Theologis Scholasticis esse confictum, ideo quando legimus huiusmodi descensum, intelligendum esse, vel quia Christus passus est pœnas damnatorum, vel quia mortuus est, & sepultus, Inferni namque nomine mors, vel sepultura significatur. Juxta illud Job. 17. *Si sustinuero Infernus domus mea est* ps. 87. *Vita mea inferno appropinquavit* ps. 114. *Pericula inferni invenerunt me*. Ps. 149. *Dissipata sunt ossa nostra secus Infernum*.

Sed quomodo hoc à nobis confictum non sit, supra declaravimus; Christum Inferni dolores passum non fuisse suo loco demonstravimus; Infernum non posse semper intelligi pro morte, & Sepultura, indicavimus, & quando sic intellegeretur, hoc in sensu analogo intelligeretur, & quia ante Christi mortem omnes animæ deducebantur ad inferos, ideo mors, & sepultura dici poterant infernus, idest via proxima, & necessaria ad infernum.

§. III.

An Christus descenderit etiam ad Infernum damnatorum, & ibi animas liberaverit. Quid etiam sentiendum de animabus in Purgatorio.

15. IN primo quod in titulo inquiritur, communis est Theologorum Sententia cum S. Th. hic art. 2. Bonavent. in 3. dist. 22. Richar. Gab. Plaud. Marsil. &c. &c. Christum ad Infernum, qui damnatorum pœnis deputatus est, nequaquam descendisse, omnes isti ea adducuntur ratione, qua arbitrantur Christum ad inferos descendisse non nisi, ut Sanctorum Patrum animas visitaret, ac consolaretur, ut illas ex illo carcere educeret. cujus confirmationi additur S. Augustinus, qui in epis. 99. ait. *Nulla causa occurrit cur illo venisse credatur Salvator, nisi ut ab ejus doloribus salvos faceret*; Si igitur, concludit S. Th. in corpore de Christi descensu secundum effectum loquamur, *etiam ad damnatorum infernum descendit, quia eos de sua incredulitate & malitia confutavit, si autem per suam*

suam essentiam, *hoc modo anima Christi descendit solum ad locum inferni*, *in quo justi detinebantur*, *ut quos ipse per gratiam inferius visitabat secundum divinitatem*, *eos etiam secundum animam visitaret*, *& loco*, & merito quidem, nam de inferno damnatorum dicitur Job. 10. *Antequam vadam*, *& non revertar ad terram tenebrosam*, *& opertam mortis caligine*, *ubi nullus ordo*, *sed sempiternus horror inhabitat*. Nulla insuper est conventio lucis ad tenebras, ut ait Apost. 2. ad Corint. 6. Christus igitur qui lux erat, ad illum damnatorum infernum non descendit.

16. Nihilo tamen minus Eminentissimus Bellarmin. lib. 4. de Christi anima cap. 16. contrarium docuit, & quidem si de scriptura sit sermo, occurrit textus ille Ecclesiast. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ*, qui si expliceturr solummodo quo ad effectum ut fit à S. Th. eadem ratione dici poterit, solum quoad effectum etiam ad limbum Patrum Christum descendisse, quod tamen negat Angelicus, & cum eo cæteri Theologi. Si autem de Sanctorum Patrum mente loqui velimus, non deest S. Augustinus epist. 99. dicens Christum descendisse ad locum doloris, quo peccatores torquebantur, cui adhæret Fulgentius lib. 3. ad Thrasimundum cap. 30. & Gregor. Nyssen. 1. de Resurrect. aperte docuit, cor terræ, quo Christus descendit, *esse sedem illius magnæ mentis quæ dicitur Diabolus*. Ratio autem illa esse potest; quæ est apud Cyril. lib. 12. in Joan. cap. 36. nempe, Christum descendisse ad inferiores partes terræ, ut se vivorum, & mortuorum dominum demonstraret, atqui ad dominium Christi non solum pertinet limbus Sanctorum Patrum, sed etiam Infernus damnatorum, ergo.

17. Hæc posterior sententia satis probabilis, & plausibilis est, attamen quia prior ab omnibus celebrioribus doctoribus traditur, præhebenda videtur; atque fundamentis jam præjactis, ad notandum est Christi animam non solum ad inferos descendisse propter alios sed etiam propter se juxta ordinem divinæ providentiæ. Debuit enim illa anima alicubi collocari, donec suum corpus assumeret, & uullus locus aptior erat, quam limbus Sanctorum Patrum, qui juxta divinam providentiam statutus erat pro animabus justis usque ad consummatam hominum redemptionem & Christi resurrectionem. Ex alia parte momenta adducta à Bellarmino haud difficile solvi possunt. Illa scriptura aut potest sine aliqua explicatione concedi, neque perinde sequeretur sententia Durandi, etenim nos descensum realem animæ Christi ad inferos non ex illa sola probamus, vel etiam potest ejus veritas servari per hoc quod Christus ad inferos descenderit penetrando omnes terræ partes, quin tamen ad omnes ejus sinus se contulerit, eo pacto quo dixit Job. cap. 17. *in profundissimum Infernum descendet anima mea*, nec tamen, teste Gregorio lib. 18. cap. 17. Job. descensurus erat usque ad infimam partem inferni, alloquin fuisset damnandus. Neque Sanctorum Patrum dicta movere nos debent, nam omittendo interpretationes aliorum Doctorum, dici potest, eos loquutos esse de loco accepto secundum omnes sui partes, & respectus, fatemur autem in eodem loco ita sumpto, etiam torqueri dæmones, & damnatos, sicut diximus, ubi secundo nostro libro de parvulorum pœnis erat sermo, Hanc autem explicationem adhibeo propter auctoritatem Nysseni, quæ adeo clara est, ut non videam, quo pacto aliter explicari possit. Ratio tandem adducta ex Cyrillo nihil probat. Est Christus dominus vivorum, ac mortuorum, atque ut dominum coacte agnoverunt etiam dæmones, & damnati, sed ut talem agnoscerent, non infertur, ad illum locum Christi animam re ipsa descendisse, satis enim erat se ipsis manifestari, non est vero necessaria loci propinquitas, ut spiritus spiritui manifestetur, per quam doctrinam refello id, quod

quod opponitur ex 1. Petri 3. ubi dicitur *Christus his qui in carcere conclusi erant Spiritu veniens prædicavit, qui increduli fuerunt*. Constat autem, incredulos fuisse damnatos. Manifestum fieri potest quod dicimus, etiam apud Reges terræ, qui, ut se dominos alicujus Regni demonstrent, & possessionem accipiant, non per omnia ejus loca etiam vilia se conferunt; sed in ea civitate, quæ est regni caput, ac metropolis.

18. Hisce expositis, quæ pertinent ad primam tituli partem, declaranda est ac statuenda secunda, in qua non defuerunt, qui dixerint, per Christi descensum etiam damnatos ab inferni pœnis fuisse solutos, atque hoc præsertim tribuitur Armenis. Potest autem hæc opinio, quam errorem esse infra dicemus; pluribus argumentis confirmari.

Primo ex scripturis; Zachariæ 9. dicitur de Christo: *Tu quoque in Sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua*, per lacum indicatur infernus, per defectum aquæ, denotatur defectus cujuscumque refrigerii & consolationis. Act. 2. de Christo scribitur. *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*. Quid autem sunt dolores inferni, quam damnatorum pœnę? Si igitur solvit inferni dolores, solutæ fuerunt etiam damnatorum pœnę, proinde damnati erepti 1. Petri 3. de Christo habetur *in quo & his, qui in carcere erant spiritu veniens prædicavit, qui increduli fuerunt aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe*. cap. 4. *Ideo, & mortuis prædicatum est Evangelium, ut judicentur quidem secundum hominem in carne*: Potuerunt itaque illi increduli Christi credere prædicationi, igitur & potuerunt à damnatione liberari.

19. Secundo afferri possunt aliqui Patres, ut Gregor. Nazian. lib. 2. de Pasch. orat. 42. Clemens Alexand. lib. 6. Stromat. August. epist. 99. ad Evod. immo Nicetas in comment. ad orationem prædict. Nazianzeni refert, quod, cum quidam Christianus Platonem probris, & convitiis insectaretur, ei per quietem Plato apparuit dicens. *Ego quidem me peccatorum esse non inficior, verum cum Christus in infernum descendit, nemo ante me ad fidem accessit*.

20. Dicendum tamen est, per animæ Christi descensum nullum ex damnatis salvum factum esse.

Hoc primum ex scripturis suadeo. Isaiæ 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Job. 10. *Umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Proverb. 11. *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes, & expectatio sollicitorum peribit*. Est igitur in Inferno sempiternus ardor, inextinguibilis ignis, æternus horror, nec ulla spes superest, sed hæc vera non essent, si per Christi descensum damnati fuissent erepti, ergo. Quod in testamento veteri dictum fuit, etiam in novo legimus confirmatum. Mat. 25. *ite in ignem æternum*. Ad Tessal. 1. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas*. Apocal. 14. *Fumus Tormentorum eorum ascendet in Secula Seculorum, nec habent requiem die, ac nocte, qui adoraverunt bestiam, & imaginem ejus*.

21. Secundo ex Patrum Ecclesiæ sententiis. S. Epiphan. hæresi 42. inquit, Marcionem docuisse, Christum ad inferos descendisse, ut salvos faceret Cain, Datan, Abiron, Esau, & alios qui Judæorum Deum non noverunt, Orig. hom. 15. in Gen. *Quod dicit ad latronem Hodie mecum eris in Paradiso, non hoc illi soli dictum est, sed etiam omnibus Sanctis, pro quibus in infernum descenderat*. Vide quomodo ad sanctos limitetur descensus. Atque in hunc sensum August. & Gregor., interpetrantur illud Oseæ 13. *O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne*. Nimirum Christum passione sua mortem interemisse, vitam omni

omnibus, qui vivere voluerint, obtinendo, infernum vero solummodo momordisse, quia tantum aliquam ei partem eripuerit, nimirum animas justas, quæ in illo detinebantur. Rem nostram prosequitur S. Augustinus, qui in lib. de hæresibus cap. 79. hæreticos illos appellat, qui dicunt, impios in inferno fuisse conversos, ac salvatos, quod & tradit Philastr. lib. de hæres. cap. de descensu Christi ad inferos. Pro Ecclesiæ verò definitione sufficiant Conc. Tolet. 4. cap. 1. in explicatione Symboli, & Synodus quinta damnans Origenem, qui reproborum pœnas non esse ęternas asserebat.

22. Opposita nunc rejiciamus. Primus textus ad prædestinatos referendus est; attendantur illa duo verba *vinctos tuos* reprobi & damnati sunt vincti diaboli, non Christi, cujus vincti sunt electi & justi, in quo sensu dicebat Paulus ad Eph. 3. *Se vinctum Christi* & 4. se appellabat *vinctum in Domino*. Secundus textus jam explicatus est, dum dictum fuit etiam in sinu Abrahę fuisse quemdam dolorem inferni, positum in carentia Dei. Tertius textus, qui obscurior est, pluribus fuit interpretationibus explanatus. August. in epist. 99. arbitratur, Petrum non loqui de Christi descensu ad inferos aut de prædicatione Christi facta per animam assumptam, sed de prædicatione facta ab ipso Deo per Spiritum suum in diebus Noe; prædicavit autem Deus per spiritum internis inspirationibus, & quidem jis, qui erant in carcere, hoc est animabus, quæ in mortali corpore, tanquam in carcere erant inclusæ.

23. Si autem intelligendus sit de descensu ad inferos, & de prædicatione à Christo facta secundum animam; sicuti intelligendum esse arbitramur, nihil in nos concludi potest, cum prædicatio illa referatur ad animas justas, quæ licet, dum tempore Noe fabricaretur arca, credere noluerint, attamen dum aquis proxime mergerentur, resipuerunt & crediderunt, ideo additur illa particula, *aliquando*. Optime autem addidit cap. 4. *Ideo & mortuis prædicatum est Evangelium, ut judicentur, & quidem secundum hominem in carne, vivent autem secundum Deum in spiritu*, ut innueret, esse quidem aquis diluvii castigatos in corpore, vivificatos tamen in spiritu; qua ratione in toto illo capite fideles consolatur, & ad patiendum pro Christo roborat, quia licet mortificentur in carne & affligantur in corpore, attamen per Christum vitam habent in spiritu, atque ita verum sit quod dixit Christus, non esse timendos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

24. Quantum ad Sanctos Patres. Clem Alexandrinus Marcionis fabulis deceptus fuit. Augustinus fortasse potest explicari de animabus purgatorii loquutum esse. Nazianzenus non affirmando, sed inquirendo illa posuit; quod de Platone narratur, tanquam fabula rejicitur; & ibi Nicetas docet aliud contradictorium, quod est verum, nimirum juxta Chrysostomum à Christo illos solos liberatos esse, qui æterna digni salute inventi sunt.

25. Superest resolvendum tertium dubium pertinens ad animas, quæ tunc erant in purgatorio.

Videtur sentiendum, omnes à Christo eductas fuisse; nam, ut dictum fuit, Eccl. 24. *Penetrabo omnes partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*. Atqui animæ, quæ erant in purgatorio, erant sperantes in Domino, ergo: Secundo Augustinus serm. 137. de tempore hæc habet; *De electis suis nullum apud inferos reliquit: omnia abstulit, utique electa, illos rapuit, quos suos fide, & actibus agnovit*. Quod tradit etiam Gregor. lib. 13. Moral. cap. 20. Anselmus item in Elucidario ait, *Omnes absolvit, & in gloriam duxit Rex gloriæ*, juxta illud Isaiæ 49. *Dicere his qui vincti sunt, exite & his, qui in tenebris sunt, revelamini*. Porro per illos, qui in tenebris erant, ii intelliguntur, qui erant

in

in sinu Abrahæ, per vinctos vero ii, qui erant in purgatorio. Ratio etiam congrua afferri potest, quia etiam apud homines in die triumphali concedi solet illis venia, qui rei mortis non sunt.

26. Probabiliorem tamen existimo sententiam, quam docet S. Thom. hic art.8. nam, ut ipse inquit, descensus Christi nulli contulit aliquid, nisi quod meruit passione sua, passio autem Christi semper æqualiter efficax fuit, cum non habeat effectum temporaneum, sed æternum, sicut ergo modo non liberantur à purgatorio, nisi quibus specialiter, applicatur, & qui sunt plene dispositi, ita & in ipsius descensu; & certe, si tunc animæ fuissent statim liberatæ, fuissent melioris conditionis, qui tempore legis veteris in gratia decedebant cum aliquo pœnæ reatu, quam qui in lege evangelica ita decedunt, quod tamen videtur incongruum; statuit divina justitia hanc legem generalem, ut qui in hac vita non satisfaciunt; in alia satispatiantur, contigisse autem hujusce legis dispensationem, dum Christus ad inferos descendit, nullo fundamento firmo vel scripturæ, vel Patrum potest affirmari. Illas igitur animas secum rapuit, quæ jam tempus expleverant purgationis, in quo sensu explicandi sunt Sancti Patres superius relati, aut ita, ut non statim omnes ad gloriam perduxerit, sed omnibus contulerit, ne statim ac inventæ fuerint absque aliquo pœnæ reatu, amplius detinerentur in limbo expectantes beatitudinem, ut prius expctare debuissent. Prior scriptura optime servatur, non enim negamus animas purgatorii esse inter dormientes sperantes in Domino, atque fuisse illuminatas, immo & proximæ beatitudinis non ultra per clausam cœli januam impeditæ multa consolatione affectas, sed hoc non probat fuisse statim liberatas, atque hoc satis fuit Christo ad explicandam triumphi sui gloriam, aliter deberemus dicere, quod sicut in humanis etiam qui reatu mortis premuntur, interdum aliquo triumphali die recurrente liberantur, ita & Christus damnatorum animas eripuisset.



S E-

SECTIO III.

De Christi Resurrectione, & Ascensione.

1. IN hac Sectione plura à nobis prætereunda sunt, de quibus agit S. Th. quæst.53. cum vel certa supponantur, nec aliqua indigeant expositione, vel potius ad philosophicas disputationes pertinere videantur. Hujusmodi sunt, an quod resurgit habere debeat eandem materiam, & animam; sint necessaria eadem accidentia, & idem sexus, resurrectio sit mutatio instantanea, sit possibilis naturaliter, vel solum divina extraordinaria virtute. Quare ad alia, quæ magis ad Theologum, & ecclesiasticam historiam revocantur, sermonem nostrum instituamus.

§. I.

Qua die, & qua hora Christus resurrexerit.

2. DIem exploraturis, qua Dominus resurrexit, nobis parum laborandum est, cum satis colligatur ex iis, quæ diximus num.4. præcedentis quæstionis. Nihilominus rem magis declaraturi hic ex instituto id proferemus. Sciendum namque est, non unam fuisse scriptorum sententiam; Armeni, ut narrant Alphonsus de Castro verbo *Resurrectio* hæresi 4. & Patreolus verbo *Armeni* num.22. existimarunt, Christum surrexisse die Sabbathi. Alcuinus lib. de divinis officiis cap. de Cœna Domini, deinde quidam Paulus Forosempronienfis in 2. parte Paulinæ lib.2. & 2. apud Marcellum lib. de horis canonicis cap.50. ducuerunt, Christum surrexisse feria secunda in fine, aut sub initio tertiæ, atque hoc, ut stricte servarent, Christum fuisse tribus diebus, ac tribus noctibus in corde terræ; ad quod magis confirmandum inquiunt, tot horis Christi corpus in sepulchro jacuisse, quot satis erat ad probandum vere fuisse mortuum, nec ullum dubium superesset, ad hoc autem necessariæ sunt plusquam septuagintæ horæ, cum interdum contingat, aliquos, qui mortui apparebant, post horas septuaginta signa vitæ dedisse.

3. Si de prima sententia loquamur, ita manifestum est, illam esse falsam atque erroneam, sicut constat, Christum esse mortuum feria sexta, de quo in antecedentibus dictum est; cum enim Christus dixerit, se resurrecturum die tertia, plane diem designavit, quo resurrecturus erat, proinde non antea resurrexit, unde & Judæi à Pilato petierunt, ut juberet usque ad diem tertium custodiri sepulchrum; sed ut hoc declaretur, satis est legere Evangelistas. Neque minus falsitatis arguenda est secunda sententia, cujus quidem confirmatio futilis est existimanda; quamvis enim transmitteremus, tot dies necessarios esse ad mortis veritatem agnoscendam, quod tamen est falsum, alioquin nonnisi post tres integros dies quilibet mortuus esset sepeliendus, aut apud ejus corpus in sepulcho esset vigilandum, attamen in Christo, qui tot sustinuerat tormenta, & tot vulnera in se receperat, quorum quodlibet ad inferendam necem satis esse poterat, præsertim illud lanceæ, quo ejus latus apertum est, hoc locum habere non poterat. Quare absolute.

4. Dicendum. Christum die Domini-

minica surrexisse. Hoc aperte colligitur ex Mat. ultimo, ubi dicitur Christus surrexisse *prima Sabbathi* vel enim per primam Sabbathi intelligitur prima dies hebdomadæ, & sic fuisse Dominicam, dubitare non possumus, vel intelligitur prima dies post Sabbathum, ut moris erat apud hebræos, qui à die Sabbathi tanquam à solenniori, cæteros dies hebdomadæ appellabant, & ita pariter fuisse Dominicam compertum habetur. Sed si perpetuam Ecclesię traditionem consideremus, hoc amplius constabit, semper autem Dominicam diem propter Christi resurrectionem venerata est, ideo tali nomine nuncupata, quia est dies Domini propter ejus resurrectionem, quæ appellatio à tempore Apostolorum sumpsit exordium, unde Apoc. 1. legitur, *Fui in spiritu in Dominica die*. Apertum habemus testimonium in Sancto Augustino serm. 251. de tempore, ubi inquit. *Dominicum diem Apostoli, & Apostolici viri ideo religiosa solennitate habendum sanxerunt, quia in eodem redemptor noster à mortuis resurrexit. Quippe ideo Dominicus appellatur, ut in eo tantum divinis cultibus serviamus, dantes diei huic honorem, & reverentiam propter spem resurrectionis, quam habemus in illa*. Et Leo Papa epist. 81. ad Dioscor. ait. *In hac die mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem Christi, & mors interitum, & vita accepit initium*. Id tradiderunt Ignatius epist. 5. ad Trallianos, Hieronym. in ep. ad Galat. cap. 4. Ambros. in ps. 47. Gregor. lib. 11. epist. 3. Beda de ratione tempor. cap. 45.

5. Contra hoc, prætermissis aliis levioris momentis, gravis movetur difficultas, quia si Christus surrexit die Dominica, inter diem resurrectionis ejus & diem Pentecostes non potuerunt eo anno esse quinquaginta dies, neque utrumque mysterium die Dominica potuit accidere; hoc autem non est dicendum, nisi ecclesiastica traditio destruatur. Illud autem demonstro, quia Spiritus Sanctus illamet die, qua Judæi Pentecostes festum celebrabant, super Apostolos descendit, necesse autem fuit, eo anno illam diem incidere in die Sabbathi, quia Levitici 23. statutum erat, ut Judæi secundo die azimorum offerrent manipulum novarum spicarum, & ab illa die numerarent quinquaginta dies, & in quinquagesima Pentecostem, seu festum hebdomadarum celebrarent. Si ergo eo anno secunda dies azimorum fuit dies Sabbathi, ut nos dicimus, plane sequitur, diem Pentecostem non in die Dominica, sed Sabbathi accidisse.

6. Ut huic occurrerent varia Doctores excogitaverunt, Baronius ad an. Christi 34. quem sequitur Bellarminus, ait, quod cum hoc anno secunda dies azimorum acciderit in die Sabbathi, ab ea die non erant numerandi quinquaginta dies, sed à posteriori, eo quia hebręis metere non licebat, nec ea etiam parare, quæ ad cibum pertinebant, in die Sabbathi, atque ideo, spicarum manipulus hoc anno die Dominica oblatus est, & sic servatur in die Dominica fuisse festum Pentecostes, & hæc juxta Epiphan. her. 51. Juxta hanc responsionem facile resolvitur quod oppositum est, sed hoc sine sufficienti ratione dictum esse videtur; nam licet die Sabbathi prohibitum esset Judæis in aliquo opere servili se exercere, attamen; unum manipulum metere ad offerendum, non erat opus servile, sed religionis; & rursus, eo die debebant quidem offerre, non tamen necesse erat ut eodem die meterent, quo offerebant; poterant ergo priori die metere, & consueto die azimorum offerre; quod si dicas, Judæos superstitiosa quadam observantia retinuisse cæremonias suas, & præsertim in observatione die Sabbathi; hujusmodi consuetudinem aliunde probare deberes, quod tamen non præstabis.

7. Hac de re dixerunt alii, ita accipiendos esse quinquaginta dies à se-

cun-

cunda die azimorum usque ad Pentecostem, ut tamen vel excludi debeat dies azimorum, vel dies Pentecostes, & ideo numerandi erant à secunda die azimorum exclusive, vel si ab hac inclusive, dies Pentecostes sumenda foret exclusive, quo admisso procul dubio habetur, Christum die Dominico resurrexisse, & pariter die Dominico fuisse festum hebdomadarum, seu Pentecostem. Excludendam esse diem ipsam Pentecostem à quinquaginta diebus, non ita facile assentior, cum Levitici 23. habeantur hæc verba. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, idest quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium novum Domino.* Ex quibus satis apparet diem Pentecostes fore in quinquaginta diebus includendum; atque hoc etiam indicavit Joseph Hebræus lib. 3. cap. 10. dicens. *Post paschale sacrum elapsis septem septimanis, hoc est quadraginta novem diebus, quinquagesima offerunt Deo panem &c.* Excludendum vero esse secundum diem azimorum, si tantum scripturæ, vel Josephi verba perpenderemus, sine aliqua repugnantia dici posset, at contrarium est, quod frequenter dicunt Sancti Patres, nimirum, quinquaginta dies numerandos esse ab illa die, qua mactabatur agnus, idest à prima azimorum, etenim, ut ipsi inquiunt, festum Pentecostes illa die celebrabatur, qua lex vetus in monte Sinai data est, est autem data post quinquaginta dies à die egressionis populi Israelitici de Egypto, quæ fuit dies immolationis agni. Sic loquuntur Cypr. serm. de Spiritu Sancto, Hieronym. epist. 127. ad Fabiolam, aliique plures, & fundamentum habetur in adductis verbis Josephi. *Post paschale sacrum &c.* Paschatis enim nomine indicatur immolatio agni.

8. Hisce animadversis aliam evadendi viam excogitarunt quidam, dicentes act. 2. dictum esse Spiritum Sanctum super Discipulos descendisse, *Cum complerentur dies Pentecostes &c.* non juxta ritum judaicum, sed Christianum, numerando videlicet quinquaginta dies resurrectionis, ut exponit Beda act. 2. cum enim Lucas scripsit acta Apostolorum, jam apud Christianos usu receptum erat, ut tempus illud paschale Pentecostes vocaretur, ut notavit Tertul. lib. de Idolat. cap. 14. & de corona Milit. cap. 3. Verum, voluisse Lucam indicare festum Judæorum, ex eo satis colligitur, quo dicit, eo die fuisse congregatos Judæos ex omni natione; & certe tunc Pentecostes nomine nihil, præter Judæorum festum, significabatur.

9. Fuit igitur aliorum explicatio cum Chrysostomo hom. 4. in acta, illa verba. *Cum complerentur dies Pentecostes &c.* non esse accipienda pro eadem Pentecostes die, sed statim ac completi sunt dies Pentecostes, quod etiam dicitur juxta communem loquendi modum, quod enim fit vix vix completa die, dici potest, fieri, dum completur illa dies. Hoc ultimum maxime placet recentioribus; nec id audeo reprobare. Primum tamen, quod ex Baronio, & Bellarmino dictum est, mihi satis arridet; atque non esse numerandam secundam diem azimorum, si in Sabbathum incideret, evinco ex adductis verbis Levit. 23. nimirum, *numerabitis ab altero die Sabbathi* quibus verbis Sabbatum excipiendum esse, videtur inferri.

10. Hæc de Christi resurrectionis die dicta sunt; nunc ad statuendam horam progrediamur. Certum autem esse debet, Christum ante mediam noctem Sabbathi non resurrexisse, alioquin resurrectio non fuisset facta tertia die, sicut factam esse tenet Ecclesia, & nos superius adnotavimus.

Hanc horam, quænam fuerit post mediam noctem, statui non posse, nec quidpiam de ea affirmari, fuit plurium opinio; etenim Evangelistæ referunt qui-

quidem, mulieres ad sepulchrum pervenientes vidisse revolutum lapidem, & vidisse Angelos, qui ipsis dixerunt, Christum resurrexisse, qua autem hora surrexit, neque Angeli nuntiarunt, neque Evangelistæ scripserunt; ita tradit Dionys. Alexand. in epist. ad Basilidem; & clarius Hieronym. epist. 150. ad Hedibiam, ubi ait. *Surrexit Dominus, qua hora voluit, quæ nulli mortalium cognita est.* Existimo tamen, Patres istos loquutos esse de tali determinata hora, & de puncto, ut ita dicam indivisibili, resurrectionis, quod nullus ibit inficias, nam si aliter dicatur, contrarium infra ostendetur.

11. Alii vero arbitrati sunt, Christum resurrexisse prima hora post dimidium noctis, idest hora septima, seu initio tertiæ vigiliæ; juxta antiquam divisionem; atque hæc sententia satis communis fuit apud Sanctos Patres, tam græcos quam latinos. Ex Græcis citatur Athanas. lib. de Virginit. Nyss. orat. 1. de resurrect. Cyril. Alexandr. Euthym. cap. 68. in Matt. qui hoc dicit: *Omnes unanimiter Sancti Patres, & Doctores tempus resurrectionis ejus fuisse dicunt circa primum gallicinium, quia jam Dominici diei lucem præferebat, ideo quoque post sextam noctis horam virtutis sectatores soluto jejunio lætitiam auspiciantur.* Hac de re Theodorus in 6. syndone cap. 90. hæc habet. *Qui sunt religiosiores toto Sabbatho, usque ad horam sextam noctis in Ecclesia assident, & hora sexta divinis Sacramentis communicantes, panem & aquam gustant, fortasse autem & modicum vini; septima autem hora psalmodias audientes quando etiam Christus resurrexisse dicitur, domum suam revertuntur, magni Dominici sacrorum celebrationem expectantes.* Ex latinis citatur Hieronym. in ep. ad Hedibiam superius adducta, Ambros. lib. 10. in Luc. Rupert. lib. 1. de divinis officiis cap. 8. qui Christum resurgentem comparat Sansoni, qui obsessus portas media nocte confregit.

12. Hisce tamen non obstantibus Catholicæ Romanæ Ecclesiæ sensus est, Christum resurrexisse die Dominico prope auroram; quod quidem acceptum habemus prqter Scholasticos in 3. dist. 21. & 22. à Sanctis Patribus. Si Græcos postulas. Ignatius in ep. 5. ad Trallian. inquit. *Illucescente Dominico die resurrexit ex mortuis.* Cyril. Jerosol. cat. 14. exponit illa verba ps. 29. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Idest, *mane in die resurrectionis.* Si latinos cupis, Ambros. in illa verba ps. 45. *Adjuvabit eam Deus mane diluculo.* ait. *Quia resurrectio matutina adjumentorum nobis cœlestium subsidia confert. Vespere passus est Christus, mane surrexit.* August. in illa psal. 129. *A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.* inquit. *Vigilia matutina surrexit à mortuis, ut hoc speremus in nobis futurum, quod præcessit in Domino.* Et Prosper ejus discipulus in 203. sententiam; *Vespere Dominus in Cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione.* Hinc Sedulius lib. 4. Carminum.

Cœperat interea, post tristia Sabbatha, felix
Irridiare dies, culmen qui numinis alti
A Domino dominante trahit, primusque videre
Promeruit nasci mundum, atque resurgere Christum.

Ecclesia vero in hymno paschalis temporis canit.

Aurora cœlum purpurat,
Æther resultat laudibus,
Mundus triumphans jubilat,
Horrens avernus infremit,
Rex ille dum fortissimus &c.

13. Tota autem controversia orta est ex diverso modo, quo Evangelistæ scripserunt. Etenim Marcus 16. ennarans iter mulierum ad sepulchrum, sic dicit. *Cum transisset Sabbathum, Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes unge-*

ungerent Jesum, & valde mane veniunt ad monumentum orto jam sole. Atque hoc innuunt etiam Luc. c.24. & Jo.20. Matthæus autem cap.28. contrarium affirmare videtur dicens. *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi venit Maria Magdalena; & altera Maria videre sepulchrum; & ecce terræmotus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de cælo &c.*

14. Si Dionysii Alexandrini in ep. ad Basilidem, Augustini de consens. Evangelist. lib.3. immo & sextæ Syn. can.90. sententia servari posset, qui per vesperam Sabbathi intelligunt tempus post mediam noctem; aut placeret doctrina Hieronymi in Matt.asserentis, mulieres illas sedulo visitationis officio cucurrisse, & rediisse, tota lis foret composita, sed, bona venia, Matthæi textus per hujusmodi interpretationes nimium & per vim detorqueri videtur, nam subdit, *Et ecce terræmotus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens revoluit lapidem, & sedebat super eum, erat autem aspectus ejus sicut fulgur, vestimentum ejus sicut nix &c. Respondens dixit mulieribus, nolite timere, scio enim, quod Jesum quæritis, non est hic, surrexit enim, sicut dixit, venite, & videte locum, ubi positus erat Dominus*. Hæc autem omnia demonstrant non esse facta aut vespere præcedente, vel post summam noctem, sed mane, & tunc quando mulieres venerunt, non quando redierunt, quapropter verba illa, Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, *alia explicatione debent exponi*.

15. Aliam expositionem profert Cornel. Jansen. de consen. Evang. cap. 145. idest per vesperam Sabbathi significari tempus vespertinum, quod est à solis occasu in fine diei Sabbathi, & si dicas hujusmodi vesperam non lucescere in sequenti die, sed tenebrescit potius in nocte proxime sequenti, respondet, per verbum lucescere, non significari ibi initium diei artificialis, sed initium diei legalis, qui per respectum ad festivitates à vespera ad vesperam computabatur; sensus itaque iste est, *vespere autem sabbathi*, idest, quando festivitas Sabbathi finem habebat, *quæ lucescit in prima Sabbathi* idest incipiebat dies post Sabbathum, *venit Maria Magdalena &c.* posse autem verbum *lucesco* sumi pro verbo *incipio* constat ex illo Luc. 23. *Dies erat parasceve, & Sabbathum illucescebat*. Idest finis erat diei parasceves, & erat initium Sabbathi.

16. Sed etiam hujusmodi expositio, quam amplectitur Marcell. cap.88. de horis canonicis, propter superius dicta non placet, non enim verisimile est, Mulieres ivisse ad sepulchrum in occasu solis diei Sabbathi, & ea contigisse quæ in textu Matthæi nos adduximus. Respondet tamen Jansenius, non esse sic intelligendum, ut illo vespere venerint ad Sepulchrum, sed emerint aromata, & reliqua necessaria paraverint ut inde opportuno tempore se ad sepulchrum conferrent; atque hoc pacto obscure dixit Matth. quod clarius dixit Marcus. *Cum transisset Sabbathum emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum, & valde mane una Sabbathorum veniunt ad monumentum orto jam sole*. Satis quidem ingeniose hæc dicta sunt; sed ut verum fatear, si quod dixit Matthæus, *Venit Maria Magdalene, & altera Maria &c.* idem significat, quod paravit se ad veniendum, eadem ratione, omnia, quæ actu fiunt, vel facta sunt, poterunt in dubium revocari, & dici poterit, aliquem esse paratum ad faciendum, & ita Davidem à Saule captum esse, quia se paraverat ad illum capiendum, & Christum prius occisum esse, quia Judæi prius cogitaverant illum occidere.

17. Non deest tamen alia expositio, quæ probabilior videri potest, Vesperam Sabbathi appellari à Matthæo noctem illam, quæ est inter dies artificiales Sabbathi, & Dominicæ, & sic ab utro-

utroque extremo nomen suum obtinere; etenim à præcedente die appellatur *vespera Sabbathi*; à die vero sequente dicitur, *quæ lucescit in prima Sabbathi*. Non est autem novum in scriptura sacra, totam noctem vesperæ appellatione significari, unde Gen. 29. legitur. *Vespere Liam filiam suam introduxit ad eum*. Tunc autem lucescit nox quando tenebræ expelli incipiunt, & sic nox, seu vespera Sabbathi, tunc luscescere incipit, quando dies dominica incipit advenire. Dicit ergo Matthæus hac vespera mulieres venisse ad monumentum, sed in qua parte ipsius noctis venerint, haud quaquam declarat. Quidquid autem aliqua parte noctis fit, dici potest absolute ea nocte fieri, sive fiat initio, sive medio, sive in ejusdem fine.

18. Hæc dicta sunt, ut intelligas Matthæi textum nostræ positæ sententiæ oppositum minime esse. Si autem clariora velis, & faciliora; afferam quod sentit Hieronymus in eadem epist. ad Hedibiam ubi inter alia hæc scribit. *Mihi quidem videtur, Evangelistam Matthæum, qui Evangelium hebraico sermone conscripsit, non tam vespere dixisse, quam sero & eum, qui verba interpretatus est, verbi ambiguitate deceptum non sero interpretatum esse, sed vespere: sicque quod supertus ait: vespere Sabbathi, sero intelligendum esse, hoc est appropinquante jam luce sequentis diei*. Hæc Hieronymus. Si autem Plinium lib. 2. cap. 8. Higinum lib. 2. sequamur, hoc dicere possumus, quod Matthæus, dum dixit, *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit &c.* Vesperam, quæ est ultima diei pars, nequaquam voluit indicare, sed stellam, quæ tali nomine nuncupatur, & ante solem oritur, ab iisdem *Lucifer* dicta, à Plauto vero, & Varrone Vesperago, quæ si accipiamus, omnis quæstio, ac controversia conquiescit.

19. Superest dubium unum, quomodo dicatur, & valde mane una Sabbathorum veniunt ad monumentum, orto jam sole; si valde mane, quomodo orto jam sole? Si orto jam sole, quomodo valde mane? Hoc autem dupliciter intelligi potest, vel cum Dionysio Alexandrino, ut mulieres summo mane, cum adhuc tenebræ essent, exierint, & ad monumentum pervenerint orto jam sole, scilicet, cum ipsum corpus solare jam supra Horizontem ascenderet, vel cum Augustino, Theoph., & Euthimio, cum inciperet illuminari terra, tunc enim proprie dicitur sol oriri, & revera græce legitur, *oriente jam sole* Petrus Chrysologus serm. 82. inquit, quod sicut sol in morte Christi abscesserat claritate, ita in Resurrectione Christi ante tempus occurrerit, sed hujusmodi sunt Rethorum phrases, non historicorum verba.

20. Ex dictis pro sententia nostra facile resolvuntur ea, quæ pro secunda sententia possent afferri. Illud vero, quod dictum fuit de jejunio, quod usque ad mediam noctem in sabbatho sancto servari consueverat, indicat solummodo totam illam diem fuisse tristitiæ, quia Christus nondum resurrexerat, solvebatur vero media nocte, non quia illa hora resurrexerit, sed quia paulo post intra naturalem diem resurrexit, qua ratione etiam illa nox sabbathi sancti tot præconiis ab Ecclesia attollitur. In antiquo autem rituali Romano, ut refert Baronius, hæc habentur. *In vigilia Resurrectionis Domini ante mediam noctem populus non est dimittendus de Ecclesia, juxta Canonum Sanctiones. In ipsa nocte, matutina luce rumpente tenebras, surgentes in Ecclesiam veniant, & mutua charitate se invicem osculantes dicant: Surrexit Dominus de sepulchro*.

§. II.

§. II.

Quibus mulieribus, & quomodo Christus post Resurrectinem apparuerit.

21. DE mulieribus præsertim sermonem instituo, nam etiam Apostolis apparuisse, constat ex Matt. 28. signanter vero Petro, ut fatetur Paulus. *Resurrexit tertia die secundum scripturas, & visus est Cephæ.* Ratio autem dubitandi sumitur ex verbis Marci asserentis, primo apparuisse Mariæ Magdalenæ, & ex verbis Matt. cap.ultimo dicentis Christum occurrisse omnibus, quæ cum Maria Magdalena sepulchrum adierant; *Et ecce Jesus occurrit illis dicens. Avete, Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Et præterea movetur difficultas, quomodo cum Magdalena audierit ab Angelo, Christum resurrexisse,staret ad monumentum foris plorans, & ipsum ab aliquo sublatum esse dubitaverit.

22. Sed antequam ad hæc explicanda progrediamur, operæ prætium existimo inquirere, an Christus ita primo apparuerit Mariæ Magdalenæ, ut hoc etiam per respectum ad Beatissimam Virginem, ejus genitricem, sit intelligendum. Equidem, si textui Evangelico adhæremus, ita dicendum esse videtur; nec aliqua ratio etiam congrua in oppositum potest produci; ea siquidem præcipua foret, qua, cum Beata Virgo ejus matris dignitate præfulgeret, sit excipienda, quæ tamen non probat, alioquin etiam Petrus & Joannes propter singulares eorum prærogativas excipiendi fuissent; aut deberet dici, primo apparuisse Mariæ Magdalenæ inter mulieres, non autem inter viros, quod tamen nemo asserit. Immo videtur magis congruum, si dicamus, nequaquam Mariæ Matri se videndum præbuisse; ideo enim Magdalenæ ac aliis mulieribus apparuit, ut eas in fide resurrectionis firmaret, erant enim adhuc parum firmæ, ac quodammodo nutantes. Beatissima autem Virgo erat in fide perfectissima. Præterea; sicuti ex quo fuerit mater Dei, non infertur, ipsam primo vidisse divinitatem, nam hoc Sanctus Augustinus primo videtur tribuere Moysi, & in Evangelio ante tres discipulos Christus dicitur transfiguratus, ita ex hoc capite, primo ipsam vidisse ejus humanitatem post resurrectionem, non potest argumentum deduci.

23. Fateor, ex Evangelico textu nihil in hac re colligi posse, plura tamen, quæ ad Beatissimam Virginem spectant, etiam fide tenemus. quæ tamen in Evangeliis scripta non reperimus; quare Baronius inquit vetere traditione per manus majorum, ac per subsequentia sæcula ad posteros dilapsa acceptum esse, eumdem Dominum nostrum apparuisse primum omnium Sanctissimæ Genitrici Mariæ, quod, inde affirmat, à nemine pio negatum iri. Unde vero hæc vetus traditio descenderit, ipse non dicit; antiqui Patres id certe non exposuerunt, nec miror, cur ipsi tantummodo, quod Evangelistæ narraverunt, declarandum susceperint; attamen S. Ambros. in principio lib.3. de Virginibus id expresse significavit, dicens. *Vidit Maria resurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit; vidit & Maria Magdalena, quamvis adhuc ista nutaret.* Anselmus vero de excellentia Virginis cap. 6. quærit, cur Evangelistæ non ennarraverint, Christum primo apparuisse matri suæ, & respondet, quia hoc videbatur superfluum, & quia aliter cœli terræque regina, cæteris, quibus apparuit, æqualis effecta fuisset; sed præ omnibus expresse loquitur Rupert. lib.7. de divinis officiis cap.25. ubi, & hanc antiquam esse traditionem ostendit, & deinde plura dicit, inter quæ sunt ista, quæ subdo. *Gestit christiana devotio perpendere, quantus torrens gaudii repente inundans animam ejus doloris ferro confossam inebria-*

briavit, cum redivivus filius illi ante omnes fortasse mortales materno Virginem defraudavit honore, victoriam suam annuntiavit.

24. Neque vero movere nos debent, quæ num.22. adducta; quod nempe hujusce apparitionis nullam mentionem fecerint Evangelistæ; non latet, plura alia à Christo facta esse, quæ tamen sacris litteris commissa non sunt, illa ipsi scripserunt, quæ ad fidei mysteria referenda, & confirmanda sufficiebant, atque illas apparitiones recensuerunt, quæ iis factæ sunt, qui resurrectionis ejus testes esse debebant, juxta illud act.10. *Dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo.* Et qui in fide erant stabiliendi; nihil autem ex iis Mariæ conveniebat, non prlmum, quia, utpote mater, aliquid pro attollenda excellentia filii fingere potuisset existimari; non secundum, quia nunquam in resurrectionis fide nutavit; quare non alio titulo apparuit, nisi illo à Patribus superius adducto, neque ex aliis, de quibus ignoramus, an facta sint, possumus inferre hoc fuisse nou factum; qua de re non est, cur aliis respondeamus.

25. Deveniendum modo ad id, quod sub initio quærebatur, in quo puncto plura distinguenda sunt, ut quantum fieri potest, si tamen id assequemur, in rebus adeo obscuris claritatis nostræ non obliviscamur.

Primo, si duas Marias Magdalenas, unam scilicet distinctam à Sorore Lazari admitteremus tota difficultas foret resoluta. Cum omnia argumenta, quæ contra dicenda afferemus, nihil probarent. Porro plures ex Patribus duas Magdalenas distinguunt, unam dicunt peccatricem, aliam Sororem Lazari. Ita sentiunt Clemens Rom. lib.3. Constit. cap.6. Origen. homil.1. in Cantica, Chrysost. hom.61. in Joan. Hieronym. in 26. Matt. aliique.

Dicendum tamen est, unam solam fuisse Mariam Magdalenam, de qua loquuntur Evangelistæ in apparitionibus resurrectionis, atque istam fuisse Sororem Lazari. Hæc est communis opinio omnium, qui in Evangelia scripserunt. Hieronym. in Marcum, & ep.148. Gregor. hom.33. in Evangel. Bedæ lib.3. in Luc. cap.7. præter Theoph. Tertul. Ambros. Euth. &c.

26. Si hoc juxta scholasticam methodum ostendero, rem gratam illis, qui in publicis disceptationibus suas proponunt difficultates, me facturum existimo, quamvis aliquibus, qui historica tantum narratione delectantur, fortasse fastidium ingeram. Sed nimium falluntur, qui scholasticum ratiocinium evitant, in quo omnia, quæ plerumque confuse historia per plura commemorat, dilucide ac breviter continentur. Sic igitur probo. Si omnia, quæ ab Evangelistis narrantur ad unam solam Magdalenam referuntur, una sola fuit Magdalena, sed omnia, quæ ab Evangelistis narrantur ad unam solam Magdalenam referuntur, ergo. Pr. mi. omnia, quæ ab Evangelistis narrantur ad unam solam Magdalenam referuntur, si referuntur ad Magdalenam peccatricem & Magdalenam Sororem Lazari, sed ita est, ergo. Pr. mi. omnia, quæ ab Evangelistis ennarrantur referuntur ad illam Magdelenam, quæ unxit pedes Domini, & capillis suis tersit, sed Magdalena, quæ unxit pedes Domini, & capillis suis tersit, erat Soror Lazari, quæ fuerat peccatrix, ergo. Pr. min. Joan. II. leguntur hæc verba. *Erat quidam languens à Bethania de castello Mariæ, & Marthæ Sororis ejus, Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur.* Hæc igitur erat Soror Lazari; Hanc vero eandem fuisse peccatricem, refert Lucas cap.7. dicens, *Et ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset in domo pharisæi, attulit alabastrum unguenti, & stans retro secus pedes ejus &c. Videns autem Pharisæus,*

ſeus, qui vocaverat eam, ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. Joannem autem loquutum eſſe de illa unctione facta in domo Phariſæi, notavit S. Auguſt. lib. 2. de conſenſ. Evangeliſt. c. 79. & idem ratio ſuadet: Joannes non loquitur de illa unctione, quæ refertur facta cap. 12. etenim iſta facta fuit poſt Lazarum jam ſuſcitatum, ut apparet ex verbis, *Jeſus ergo ante ſex dies paſchæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitavit Jeſus*. Illa autem facta recenſetur, antequam Lazarus mortuus eſſet; ergo eſt illa unctio, de qua Luc. cap. 7.

27. Quidam, ut huic argumento occurrerent, dixerunt, Joan. cap. 11. loquutum eſſe per anticipationem de illa unctione, de qua ſermo eſt cap. 12. loqui autem de illa, ut præterita reſpectu temporis, in quo ſcribebat, non vero reſpectu temporis, in quo res peracta eſt, eo pacto quo alii Evangeliſtæ loquentes de Juda, addunt, *qui tradidit eum* quamvis revera nondum tradidiſſet, ſed erat traditurus. Verum hujuſmodi reſponſio non ſervat ea, quæ ſervantur ab aliis, qui accurate Joannem expoſuerunt, dicentes, ab ipſo ſemper obſervatam eſſe ſeriem hiſtoriæ, & nunquam narraſſe tanquam præterita, quæ poſtea geſta ſunt, unde quamvis alii Evangeliſtæ dixerint de Juda, *qui tradidit eum* licet eſſet tantummodo traditurus, Joannes tamen ſemper dicit, *qui erat cum traditurus*. Secundo; ut optime advertit Cajetanus, nulla erat cauſa hiſtoriam anticipandi, nam ſatis manifeſtum erat de qua Maria ſermonem haberet, nimirum de Sorore Marthæ, & Lazari; Tertio ex ipſis verbis haud obſcure indicatur, voluiſſe Joannem attingere hiſtoriam, quam Lucas cap. 7. fuſe retulerat, ſed quia a Luca non erat expreſſum nomen illius mulieris, hoc ipſum Joannes addere voluit. Denique ſententiæ noſtræ ſuffragatur conſenſus Eccleſiæ, quæ in quodam hymno ſic olim canebat.

Maria Soror Lazari
Quæ tot commiſit crimina
Ab ipſa fauce Tartari
Venit ad vitæ limina
AEgra currit ad medicum
Vas ferens aromaticum.

Hiſce necte antiquam hiſtoriam traditione majorum receptam apud Maſſilienſes, apud quos Maria Soror Lazari cum fratribus ſuis uſque ad mortem vixiſſe fertur, cujus ſepulchri hanc ferunt fuiſſe inſcriptionem. *Hic mulier illa peccatrix, quæ poſtea ſedit plorans ad ſepulchrum Domini*; ut refert Sigibertus iu lib. de una Magdalena.

28. Plura contra aſſertionem poſitam opponi ſolent, quæ à nobis prætereunda non ſunt. Primo credi non poteſt, Mariam Sororem Lazari fœminam nobilem, ac divitem fuiſſe in Civitate peccatricem. Secundo; Maria Magdalena, de qua fit mentio Luc. 7. erat Galilæa, ut colligitur ex illis verbis Mat. 27. & Marci 15. *Erant autem ibi mulieres, quæ ſequutæ erant Jeſum à Galilæa, miniſtrantes ei, inter quas erat Maria Magdalena &c.* Maria autem Soror Lazari erat ex Bethania prope Jeruſalem, unde nunquam in Evangelio vocatur *Magdalena*, ſed tantum *Maria*, alia vero ex Galilæa appellatur Magdalena à Magdalo, ſeu Magda Civitate Galileæ. Tertio Maria Soror Lazari unxit Chriſtum in Domo ſua, ut infertur ex eo, quod Martha miniſtrabat, & alia mulier unxit Chriſtum in Domo Simonis. Denique, ut omittamus quædam levioris momenti; veroſimile non eſt, Chriſtum publicam peccatricem ad tantum amicitiæ, ac familiaritatis admiſiſſe.

29. Quanquam, ut verum fatear, etiam expoſita leviſſimi momenti ſunt; primum etiam in ſententia oppoſita locum haberet, nam etiam illam Mariam Magdalenam fuiſſe nobilem ac divitem, non negent adverſarii; ſed nun-

nunquid novum & inusitatum est, mulieres nobiles ac divites impudicas fuisse, ac peccatrices; plures historias afferre possumus, quamvis hisce nostris temporibus matronarum modestia contrarium ostendat. Si autem velis benignius te gerere, pro peccatrice ne intelligas publicum scortum, sed mulierem vanam, deliciis deditam, ac multis scandalum, ita ut in tota Civitate peccatrix haberetur.

Secundo argumento pluribus possumus respondere. Pr. Mariam Magdalenam fuisse quidem in Bethania ortam, attamen etiam in Galilæam divertisse, ut plerumque contingit etiam in nostrorum temporum fœminis, quæ relictis domesticis curis, quibus vacare deberent, ad alias comigrant Civitates, inde à Galilæa meliorem effectam Christum sequutam esse. Secundo ex Jansen. cap.55. concord. & Joanne Suarez tract.97. in Lucam. Magdalenam nupsisse in Galilæa viro, cujus erat castellum nomine *Magdalum* & inde fuisse sic appellatam, postea vero facto divortio, in eadem Provincia vixisse liberius, donec à Christo fuit sanata, quem postea in Judæam sequuta fratribus suis reddidit familiarem, atque hæc idem Suarez refert se legisse in Betlehem in quadam historia, quam religiosi ibi commorantes, veram esse ex majorum traditione asserebant. Sed revera textus ille non probat, Mariam Magdalenam dicendam esse mulierem Galilæam, sed tantum inter mulieres Galilæas, quæ sequutæ erant Christum à Galilæa, inventam fuisse etiam Mariam Magdalenam. Quod si talem denominationem accepit à Magdalo, sed Magda, quid prohibet, Mariam à Bethania fuisse etiam Dominam castelli in Galilæa, quod vocaretur Magdalo? nunquid unus, qui in aliqua Provincia natus est, & commoratur, etiam non est Dominus alicujus terræ, quæ in alia Provincia sita est? hoc experimento discimus; quot enim Romani in exteris etiam Provinciis possident, & tanquam feudatarii, ut nos dicimus, dominantur? ad tertium nihil probatur, si plures unctiones admittamus; quanvis plures dicant, unicam tantum fuisse unctionem, cum fere eædem notentur circumstantiæ. Quod vero attinet ad Domum Simonis, in primis dici potest, eandem fuisse etiam Lazari, præsertim si cum Nicephoro lib.1. cap.27. asseramus; Simonem hunc fuisse Lazari Patrem; deinde, esto fuerit Domus distincta, Simon tamen potuit esse amicus, & consanguineus Marthæ, & Mariæ, ut in ipsa Martha ministraret, atque ut omnia resolvantur, potuit unus Evangelista aliquid referre, quin tamen alia negaret, alius vero singillatim omnia ennarrare. Ultimum non opponeretur, si menti occurreret, quod dixit Christus, *non veni vocare justos, sed peccatores*. Etiam Pharisæi increpabant Christum, quod tam familiariter se gereret cum publicanis; sed qui cum peccatoribus familiariter vivebat, Sanctos de peccatoribus faciebat.

30. Majorem difficultatem excitat id, quod sub initio dictum fuit, quo pacto Christus surgens mane apparuerit primo Magdalenæ. Unicam tantum fuisse Christi apparitionem factam Magdalenæ, ac aliis mulieribus, videtur colligi ex textu Matt. cap. ultimo. Etenim ibi describitur adventus mulierum ad sepulchrum, terræmotus, descensus Angeli, ejusdemque loquutio, & rursus occursus Jesus; *& ecce Jesus occurrit illis*. Et quamvis apud Joannem reperiatur tantum nomen Magdalenæ, non tamen excluduntur aliæ, nec enim poterant abesse à monumento, quia post apparitionem illam simul omnes redibant. Atque hoc affirmat Augustinus lib.3. de consensu Evangelist. c.24. & Hieronym. q.5. ad Hedibiam affirmans, Christum primum apparuisse Magdalenæ, subdit hanc esse apparitionem illam, quam narrat Matth. non enim sic excluduntur aliæ, sed subintelli-

telliguntur, cum frequenter soleant omitti personæ minus notæ, & per insigniorem denotari. Atque hinc fit, unicam tantum fuisse apparitionem mulieribus factam. Augetur etiam argumentum, si ita dicamus. Vel illa apparitio, quam narrat Matt. fuit prior, vel illa, quam narrat Joannes; si illa, quam narrat Matt. quomodo Maria stabat ad monumentum foris plorans, & quærens, quis sustulerit Dominum? si illa, quam narrat Joannes, quomodo postea ibat cum aliis mulieribus?

31. Dicendum tamen absolute est, duas apparitiones factas fuisse mulieribus, & primam Magdalenæ soli, secundam vero etiam aliis mulieribus in via. Res adeo clara est, ut nisi negetur Evangelium Marci, & Joannis, non possit in dubium revocari. *Surgens autem mane prima Sabbathi, apparuit primo Mariæ Magdalenæ* inquit Marc. c. 16 *Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes. Dicunt ei illi. Mulier quod ploras? Dicit eis, quia tulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eum; hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, & vidit Jesum stantem, & non sciebat, quia Jesus esset; dicit ei Jesus, mulier quid ploras? quem quæris? Illa existimans, quia hortulanus esset &c. Dicit ei Jesus, Maria. Conversa illa dicit ei, Rabboni. Dicit ei Jesus, noli me tangere &c.* Hæc omnia verba protuli, ut ex illis evinceretur quam diversa fuerit hæc apparitio facta Magdalenæ, ab illa facta mulieribus in via. In hac enim permissum fuit mulieribus Christum tangere, quia, *tenuerunt pedes ejus*. In illa vero fuit prohibitum; ergo non est una apparitio confundenda cum alia, ut omnium Evangelistarum textus teneamus.

32. Explicanda igitur est series historiæ, ut omnes habeamus concordes; plures quidem fuerunt expositiones; quidam enim dixerunt, Christum apparuisse Magdalenæ, sed una simul cum aliis mulieribus, quin tamen ab istis videretur; sed hæc, quamvis desumatur à Sancto Augustino, non videtur satis apta, nisi miracula multiplicemus; etsi enim corpus gloriosum non videatur nisi ab illis, à quibus vult videri, attamen mulieres illæ vidissent saltem exteriorem gestum, quo Magdalena procidit ante pedes Christi, ut illos complecteretur, quando ei dictum fuit, *noli me tangere*. Præterea; ex Joannis contextu palam evincitur, tunc Magdalenam fuisse solam, dixerunt enim Angeli, *Mulier quid ploras?* quod & dixit Christus, ipsa autem respondit, *tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum*. Non dixit *nostrum*, *nescimus*. Alii ex recentioribus asserunt, Magdalenam viso lapide sublato, reversam esse ante visionem Angeli solam ad Apostolos, alias vero juxta sepulchrum mansisse, & interim viso Angelo timore perculsas exiisse de monumento, quo tempore ad illud pervenerunt una simul cum Magdalena Petrus, & Joannes, & acciderunt ea, quæ Joannes scribit. Hæc expositio, licet Evangelico textui non repugnet, attamen nullum est fundamentum dicendi, solam Magdalenam ad Apostolos reversam esse, si enim est aliquod, præsertim quia in Joanne solius Magdalenæ, quæ reversa sit ad Apostolos, fit mentio, & ibidem etiam sola Magdalena, quæ sepulchrum adiret, commemoratur, nec tamen adiit sola.

33. Ego vero existimo, facillime rem totam conciliari posse, præsertim sequendo Marci & Joannis narrationem. Res ita se habuit. Maria Magdalena cum reliquis mulieribus ivit ad monumentum, invenit revolutum lapidem, audivit loquentes Angelos, vel Angelum (parum enim refert, sive fuerint duo, sive unus Angelus) rediit ad Apostolos nuntiatura quæ viderat, & iterum cum Apostolis ad monumentum venit;

tunc ingressi sunt monumentum Petrus & Joannes, deinde reversi sunt ad semetipsos, ut Joannes dicit, remanserunt mulieres, *quæ exeuntes de monumento, fugerunt, invaserat enim eas tremor & pavor*. Maria autem, timorem amore vincens, juxta sepulchrum remanere perseveravit, & tunc contigit, ut videret Angelos, qui dixerunt illi, *Mulier quid ploras?* & conversa videret Jesum, qui dixit ei *Maria*, & sic se ipsi manifestavit; hæc cum facta essent, iterum reversæ sunt mulieres, quibus deinde Jesus apparuit in via, dicens illis. *Avete*. Quod vero hoc ordine res ab Evangelistis non referatur, non obstat; ipsi enim factum, non vero seriem & omnes circumstantias facti narraverunt.

34. Contra hunc nostrum explicandi modum duæ sunt difficultates. Una, quomodo cum Angeli dixerint mulieribus, & per consequens etiam Magdalenæ, Christum resurrexisse, Magdalena staret foris plorans, & quæreret, si quis eum sustulerit. Secunda est, quomodo Christus in apparitione facta Magdalenæ se non permiserit tangi, permiserit vero tangi ab aliis mulieribus, dum eis occurrit in via. Addi potest & tertia, quia si Christus apparuisset modo à nobis dicto Magdalenæ, cur Magdalena id neque mulieribus dixit, neque Apost.

Primam difficultatem solvit Hieronymus dicens: *Magdalenam obstupefactam in tantum torpuisse, ut ne Angelorum quidem præsentium sentiret aspectum, cumque videret Angelos, etiam quos videbat, ignorabat*; sed dici etiam potest, Angelis firmam fidem non præstitisse, atque ideo dixisse, *tulerunt Dominum meum*. Etenim. *Res est anc'pitis plena timoris amor*. Secundam difficultatem expendant Sacræ Scripturæ expositores, hoc enim ad historiam non pertinet, cum utrumque verum sit; Non me latent plura, quæ in hoc puncto dicta sunt. S. Augustinus serm. 155. de tempore, & aliis in locis, S. Hieronym. qu. 5. ad Hedibiam, S. Ambros. in cap. ultimum Lucæ, aliique Patres dicunt, Christum non permisisse tangi se à Magdalena afferendo rationem illam: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*, non quia loqueretur de ascensione sua in Cœlum, sed de spirituali ascensione in cor Magdalenæ, quæ nondum perfecte crediderat, & ideo illam repulit increpans tanquam incredulam, atque hoc pacto in fide perficiens, postea vero cum aliis, quas fortasse Maria Magdalena, enarrans ea, quæ sibi evenerant, in fide solidaverat, permissa est Christi pedes tenere. S. Joannes Chrysost. homil. 85. in Joan. quem sequuntur Theoph & Euthym. & prius Justin. Martyr. qu. 48. ad Orthodoxos, inquiunt, Magdalenam arbitratam esse, Christum ad eam vitæ conditionem rediisse, quam prius habébat, sicut revera contigerat in Lazaro fratre suo ad vitam revocato, atque ideo, ut eam doceret ad altiorem vitæ gradum surrexisse, eam prohibuit dicens: *noli me tangere, nondum enim &c.* De tertio, nihil affirmare, nihil negare possumus; Verosimilius est, id à Magdalena narratum esse, & quamvis in Evangelistis scriptum non reperiatur, non inde oppositum concludere possumus.

§. III.

Utrum futura sit generalis omnium hominum resurrectio.

35. Christus resurgens ex mortuis, non amplius moriturus, fuit etiam causa & exemplar resurrectionis nostræ, quam præfinito à Deo tempore expectabimus. Dum igitur de Christi resurrectione sermonem habemus, etiam de omnium hominum generali resurrectione aliqua dicamus, incongruum non videatur. Hanc resurrectionem possibilem esse, negarunt omnes antiqui Philosophi, ut colligitur ex Tertulliano lib. de præscript. hæretic. cap. 7. dicente: *Ut carnis restitutio negetur, de una omnium*

nium Philosophorum Schola sumitur. In hoc errore fuisse etiam Sadducæos, habetur ex Matt. 22. ex Marci 12. & in act. Apost. cap. 5. 23. 25. ubi Festus insanire Paulum existimavit, dicens: *Quid incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?* Tempore autem Apostolorum idem docuisse Simonem Magum, Cerdonem, Marcionem, Basilidem, Valentinum, refert Irenæus lib. 1. cap. 23., nec non Epiphanius hæresi 44. Phyletus vero, & Hymenæus, ut testatur Paulus 2. ad Timot. 2., dixerunt, resurrectionem jam factam esse, quorum falsam opinionem diversimode plures exposuerunt. S. Thomas locum illum Pauli exponens, existimat, eos cum aliis hæreticis negasse corporum resurrectionem, & illam animæ credidisse, animæ autem resurrectionem appellabant remunerationem, seu ejusdem glorificationem, atque ideo dicebant jam factam, qua ratione dicti sunt hæretici *Partiarii* admittentes nimirum unius dumtaxat partis resurrectionem. Theodoretus, Ambrosius ibidem, & Epiphan. hæresi 40. arbitrati sunt, eos dixisse resurrectionem jam factam, quia resurrectionis nomine aliud non intelligebant, quam filiorum procreationem, juxta quam Patres dicuntur in filiis resurgere. Utcumque autem dixerint.

Dicendum est, futuram esse generalem mortuorum hominum resurrectionem quantum ad corpora, est articulus fidei, ut constat ex Symbolo.

36. Veritas hæc prius demonstranda est juxta Scripturas veteris Testamenti, in quibus nequaquam obscure indicatur. Porro pluribus umbris ac figuris mortuorum resurrectionem significatam fuisse facile comperiemus, si perpendamus, sanguinem Abel ad Dominum de terra clamasse, Enoch translatum fuisse, ne mortem videret; Jacob & Joseph propriorum ossium curam commendasse; Aaronis virgam jam siccam germinasse, fructusque produxisse, atque virgam Moysis juxta Dei nutum animari, ac serpentem fieri; Omittendo tamen plura, summopere ad rem est visio illa Ezechielis 37. in medio campi ossibus pleni, quæ juncturis suis adhærentia spiritum vitæ receperunt, subjunxit autem Deus. *Vaticinare, & dicas ad eos. Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, & scietis, quia ego Dominus, cum aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris.*

37. In hisce verbis mortuorum resurrectionem indicatam esse, affirmarunt Justinus apol. 2. pro Christianis, Cyprian. lib. 3. ad Quirinum cap. 58., Cyril. Jerosolymit. cat. 18., & fuse explicavit Tertull. lib. de resurrect. carnis cap. 29., Aliqui tamen illa exposuerunt de populo Israelitico in varias regiones disperso, quem iterum Deus in terram promissionis congregabit, quam expositionem approbavit Hieronymus super Ezechielem, & Augustin. lib. 10. Genes. ad lit. cap. 5. Ita sit; Hanc tamen esse allegoricam, nostram vero litteralem, refragabitur nemo, & illa admissa cum Hieronymo & Augustino, nostram etiam cum iisdem admittendam esse contendimus, ait enim ibidem Ambrosius, *nunquam poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio, quia nemo de rebus non stantibus incerta confirmat*; quod etiam Theodoretus tradit, cum in eundem Prophetam scribat; Hæc quæ Ezechiel vidit, non solum revocationis in pristinum statum Judæorum, sed etiam resurrectionis omnium hominum fuisse figuram.

38. Alia duo testimonia satis expressa leguntur. Unum Daniel. 12., ubi legitur: *Multi de iis, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in viam æternam, & alii in opprobrium.* In Scripturis autem Sanctis per multos significari omnes, plura & clarissima sunt exempla, quæ à nobis in propriis locis allа-

allata sunt. Alterum est Isaiæ cap. 66. *Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra, quasi herba, germinabunt.* Jam vero dixerat: *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent, expergiscimini, & laudate qui habitatis in pulvere.* Prætereo, quæ dixit Job cap. 19. *Scio, quod Redempter meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum.* Quodve legitur secundo Machab. cap. 7. *Potius est morti datos spem expectare à Deo, iterum ab ipso resuscitandos.* Quare & Judas Machabæus argentum pro defunctis offerri jussit, sancte de resurrectione cogitans.

39. Est & alius textus Ex. 3. quem postremo loco ex testamento veteri adducendum existimavi, eum Christus Dominus Matt. 22. ex illo resurrectionem probaverit. Ibi autem dicitur: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob.* Ex hoc inquiit Christus. *De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo dicente vobis; Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob? non est Deus mortuorum, sed vivorum.* Videtur tamen ex hoc Christi argumento à nobis, quod intenditur non satis probari, nam præcise per hoc, quod illorum Patrum animæ viverent, ac in Cœlis regnarent, ut vivunt, & regnant, sufficienter dici poterat non Deus mortuorum, sed vivorum, nec erat necesse, ut eorum corpora essent aliquando resurrectura. At perpendendum est, contra quos tunc servator noster loqueretur, loquebatur certe contra Sadducæos, qui ideo negabant corporum resurrectionem, quia existimabant, animam esse mortalem, atque ideo ostendendo, Deum esse Deum Abraham, Isaac, & Jacob, utique adhuc secundum animas viventium, satis contra ipsos corporum resurrectionem demonstrabat. Quo pacto autem ex animarum immortalitate colligatur corporum resurrectio definire non audeo; fortasse haberi poterunt argumenta aliqua moralia, non tamen physica. Quod enim dicatur, animam sine suo corpore perfecte beatam esse non posse, hoc imprudenter non negaretur, cum potius anima aggravetur à corpore, & si dicatur corpus reddi impassibile & incorruptibile, hoc non ratione probatur, sed fide tenetur; Quod insuper dicatur, corpus in via fuisse instrumentum animæ ad operandum, proinde etiam justum esse, ut sit cum anima particeps ejusdem gloriæ, potius probaret, pro eodem instanti, quo anima beata est, corpus etiam futurum esse beatum. Quare attendenda est Divina dispositio, quam hujusmodi esse, non ratione aliqua, sed tantum revelatione innotescit.

40. Hoc igitur etiam ex testamento novo probaturus, illud video summe convincens, quod Christus Joannis 5. & prædixit, & promisit dicens: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Hoc dici de corporibus, negari non potest, nisi dicamus animas in monumentis esse, quod esset alia hæresis, de qua modo nec disputare possumus, nec debemus.

41. Si vero ad Apostoli Pauli doctrinam exponendam progrederemur, satis esset profecto ea recensere, quæ leguntur Act. 24. ubi contra Judæos, qui apud Felicem illum accusaverant, se defendit, proponitque mysterium resurrectionis. Præter hæc tamen alios textus ejusdem adducunt Doctores, de quibus, quia plures sunt expositiones, & obscura continentur, à me, qui brevitati consulo, & claritatem sequor, nihil dicendum existimo. Hujusmodi est ille 1. ad Corinth. 15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro illis?* Duos eligam, quorum primus est 2. ad Cor. 5. ubi dicit: *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Secundus est 1. ad

ad Corint. 15. ubi ait: *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*. Quare sicuti per Adam introducta est mors non solum spiritualis animæ, sed etiam corporis, ita per Christum non solum resurrectio spiritualis animæ, sed etiam corporis, & quamvis hæc ratio videatur tantum probare de resurrectione justorum, attamen etiam extendi ad resurrectionem omnium, infra declarabo.

42. Sed quia præcipuum fundamentum eorum, qui resurrectionem negabant, desumptum erat ex quo impossibilis judicaretur, resurrectionis possibilitatem breviter demonstrabimus, quanvis nec opus esset, cum fidei nostræ articuli satis firmi sint, quanvis demonstrari ratione non possint. Id autem præstabimus afferendo duo dicta Sanctorum Patrum, in quibus etiam ratio naturalis continetur. Clarissima est sententia Augustini serm. 19. de verbis Apost. ubi hæc habet: *Te appello, quicumque infideli animo de resurrectione dubitas, & putas, non posse mortuos resuscitari. Quid est amplius, ex nihilo homines facere, qui vivant, an eos, qui facti sunt, & vixerunt, reparare post mortem? Utique plus est facere quod nunquam fuit, quam reparare quod fuerit. Quomodo ergo impossibile esse dicis, ut Deus, qui hominem formavit ex nihilo, reformet? Quomodo nos suscitare non potest conversos in pulverem, qui etiamsi in nihilum rediremus facere poterat, ut essemus, sicut & fecit nos esse, cum antea nunquam fuissemus?* Hoc eodem argumento utitur Gregor. hom. 26. in Evang. ubi inquit: *Longe minus est Deo reparare, quod fuit, quam creasse quod non fuit. Aut quid mirum, si hominem ex pulvere refecit, qui simul omnia ex nihilo creavit?* Quamobrem censeo, eos, qui negant possibilem corporum resurrectionem, inficiari etiam debere, Deum fuisse rerum Creatorem.

§. IV.

An quæ dicta sunt, intelligenda sint tam de electis, quam de reprobis.

43. Excipiendos esse ab hac lege illos, qui ob singularia privilegia ante universalem resurrectionem excitati sunt, ut de Beatissima Virgine tenet Ecclesia, & de iis, qui cum Christo surrexerunt, narrant Evangelia, nulla esse potest ratio dubitandi; Controversia solummodo quantum ad justos de iis fieri potest, qui vivent in die judicii, & prope horam resurrectionis.

Videtur, istos non esse resurrecturos, quia probabile non est omnes tunc simul esse morituros, resurrectio autem mortem supponit, ut ait Athanas. lib. de Incarnat. Verbi dicens: *Mortem, resurrectionem antevertere oportet, siquidem resurrectio oriri non potest, nisi mors præcedat*. Ita autem dicendum esse, plura testimonia Scripturæ Sanctæ declarant, præsertim vero S. Pauli, qui 1. ad Corint. 15. juxta versionem Græcam inquit: *Ecce mysterium vobis dico. Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur*. Ubi sensus est, omnes justos morituros non esse, omnes tamen esse immutandos, idest ad statum gloriæ transferendos, quod & Apostolus confirmat ad Thessal. 4. dicens: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus, in adventu Domini non præveniemus eos, qui dormierunt*. In quibus verbis loquitur in illorum persona, qui tunc vivent, cum de se ipso loqui non posset; atque Paulum in hac fuisse sententia, affirmant Chrysost. homil. 42. in 1. ad Corinth. Theod., Theoph. illa verba expendentes, Origen. sub initio lib. 5. contra Celsum. Hieronym. in ep. 152. ad Minerium, August. qu. 3. ad Dulcit. Ambrosius vero 1. ad Corint. 15. sic exponit:

nit: *Omnes resurgemus, qui in adventu Christi mortui invenientur, sed non omnes immutabuntur, qui in corpore sint reperti, quia soli Sancti beatitudinis gloriam consequentur*. Denique in Symbolo dicitur, venturus Christus ad judicandos vivos, & mortuos, juxta illud Act. 10. *Ipse est, qui constitutus est Judex vivorum, & mortuorum*, quod melius juxta litteram explicari non potest, quam dicendo, Christum judicaturum & illos, quos vivos reperiet, & eos, qui mortui jam fuerant.

44. Contrariam tamen sententiam tenent omnes Doctores Scholastici in 4. dist. 44. & S. Th. 1. 2. qu. 81. art. 3. ad 1. *Quis est homo*, inquit David psal. 88. *qui vivet, & non videbit mortem?* Hujus autem rationem optime insinuavit Paulus ad Rom. 5. dicens: *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, ita & in omnes homines mors pertransiit*. Adinveniatur ergo qui non peccaverit inter illos, qui in fine mundi victuri sunt; & iste fortasse non morietur, proinde neque resurget, sed si omnes peccaverunt, omnes etiam morientur, proinde omnes resurgent; Quo pacto etiam servabitur aliud Pauli ad Hebr. 9. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium?* Porro hæc est lex generalis, à qua nemo, nisi privilegium constet, excipiendus est, multo minus tanta hominum multitudo, quæ erit sub mundi fine.

45. Neque vero multum urgent opposita, etenim quantum ad primum textum, vulgata nostra, Ecclesiæ auctoritate recepta, legit: *Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*. Idest, omnes morientur, non tamen omnes transferentur ad gloriam, quod significat immutari, quam sententiam ita legerunt & intellexerunt August. 20. de Civit. cap. 20. & epist. 146. ad Consentium. Fulgent. de Fide ad Petrum cap. 3. Ambros. in 1. epist. ad Corint. &c. Quod si etiam admitteremus lectionem Græcam, nihil contrarii inferretur, si Æcumenici expositioni adhæreamus, idest, non omnes dormiemus diuturna dormitione ita ut opus sit sepulchro, aut contingat solutio ad corruptionem, sed aliqui post mortem tam cito excitabuntur, ut vix mortui dici poterint. In secundo textu quamvis Paulus asserat, illos rapiendos esse in aera, non tamen negat esse morituros, sed quia modicissimum tempus erit inter ipsorum mortem & resurrectionem, ideo de illis tanquam de viventibus loquitur, ut eos ab illis distinguat, qui jam dudum mortui sunt. Id, quod in Symbolo dicitur a pluribus explicatur de vivis & mortuis, idest de bonis & malis; ego tamen existimo, judicaturum vivos & mortuos, idest animas, quæ semper vixerunt, & corpora, quæ licet tunc vivent, attamen morti fuerunt obnoxia; brevius tamen dici potest; illa verba respicere tempus, quo quis fidem profitetur, aut profiteri potest, & illud, quo jam quis professus est, aut profiteri potuit, & jam moriendo præcessit.

46. Quantum vero ad reprobos, miror, apud aliquos rem ita peractam esse, ut ipsos resurrecturos fore, dubitaverint, existimo autem, aliquibus Scripturæ textibus perductos fuisse; Hujusmodi sunt, ps. 1. *Non resurgent impii in judicio*. Daniel. 12. *Multi de iis, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt*. Ubi perpendunt particulam illam, *Multi*; 2. Mach. 7. de Antiocho dicitur: *Tibi enim resurrectio ad vitam non erit*. Si autem rationem fas esset inquirere, dicere fortasse possunt, resurrectionem esse quoddam bonum, quod proinde reprobis negandum videtur, atque ideo illa promittitur iis, qui vivunt in Christo, juxta illud ad Rom. 6. *Si complantati sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus*.

47. Miror inquam, cum textus à nobis adducti, ubi de generali corporum resurrectione agebamus, adeo clari sint, ut idem sit de reproborum resurrectione ambigere, quod illos negare; per-

perpendatur textus Joan. 5. num. 40. à nobis relatus. Atque cum in eo duplex resurrectio commemoretur, una, resurrectio vitæ, alia resurrectio judicii, jam satis compertum habetur, quo pacto intelligendi sunt quicumque textus, in quibus negari videtur resurrectio impiorum; nimirum resurrectio vitæ, ut etiam innuitur in loco Machabæorum producto de Antiocho; neque est, cur de Danielis textu quidpiam dicamus, cum jam, quid plerumque in Scripturis significetur per multos, satis dictum sit. Si autem quod ex psal. 1. relatum est, nobis amplius explicare placeret, quid diceremus non deesset. Non resurgent impii in judicio, ut judicent, resurgent tamen, ut judicentur; omnes enim justi, quamvis ad sui laudem judicandi sint, attamen aliquo modo sunt etiam judicaturi, juxta id, quod ait Christus Mat. 12. *Regina Sabba surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam*. Hæc est expositio S. Thomæ. Non resurgent impii in judicio, si de infidelibus agatur, etiam ut judicentur, nam Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus est*, si autem de peccatoribus, qui crediderunt, non resurgent, ut sint *in consilio justorum*, ut David prosequitur. Ita Hilar. Euthym. aliique Patres. Tandem, ut litteram sequamur, non resurgent, idest frontem non attollent, concident, desperatione afficientur; *in ignem* enim *dejicies eos, in miseriis non subsistent*, ps. 139. Hinc resurrectio & est quoddam bonum & est quoddam malum, sicut alia est ad præmium, alia ad pœnam; Quod si resurrectio malorum alicubi negetur, mirari non debes; resurgere enim est iterum vitam habere, at peccatores resurgent, ut etiam corpore vivant, sed hæc vita deterior est morte, ut optime ait August. lib. 6. de Civit. cap. 12. dicens: *Vita gehennæ potius mors est dicenda, quam vita, nulla quippe major, & pejor mors est, quam ubi non moritur mors*. Ad confirmandum quod a nobis dictum est, omittendo definitionem Concilii Lateran. in cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, afferatur, quod dicit Athanas. in Symbolo. *Ad cujus adventum omnes resurgere habent cum corporibus suis &c. & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternam*.

48. Hæc dicta sunt de iis, qui propriis actibus vel æterna gloria digni effecti sunt, vel æternis suppliciis se obstrinxerunt. Sed quid dicendum de infantibus, qui priusquam ad rationis usum pervenerint, mortui sunt, vel etiam de abortivis fœtibus jam anima præditis?

Quamvis hoc in Scripturis non habeatur expressum; attamen infantes illos resurrecturos fore, tanquam certum existimo. Justinus Martyr quæst. 13. ad Gentes hanc quæstionem attingens, dicit: *decens esse, credere infantium resurrectionem*, & adducit exemplum in innocentibus; S. Augustinus, etsi 22. de Civit. cap. 13. neque affirmare, neque negare audeat, attamen in Enchir. c. 84. ait: *Resurrecturam carnem omnium, quicumque nati sunt hominum, atque nascentur, & mortui sunt, atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus*. De abortivis vero jam anima præditis cap. 85. hæc habet. *Ex quo incipiat homo vivere, ex illo utique jam mori potest: mortuus vero, ubicumque illi potuit mors evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat, reperire nequeo*. Fundamentum autem desumi potest ex jam præjactis Scripturis, præsertim ex illa Pauli, quod sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur, atqui etiam infantes illi, qui vel post nativitatem, vel in utero matrum mortui sunt, in Adamo mortui sunt, ergo omnes per Christum resurrecturi sunt.

49. Ut aliquibus, interdum curiosa magis, quam utilia inquirentibus satis fiat, duo dubia hic apponuntur.

Quærunt primo. Utrum omnes resurgent cum iisdem deformitatibus, quas habuerunt, dum viverent.

Ut huic quæsito respondeam, adnoto, trifariam posse contingere deformitatem in corpore. Primo ex defectu alicujus convenientis, & hoc pacto dicimus deformes mutilatos defectu alicujus membri, & nanos, defectu debitæ quantitatis. Secundo ex appositione alicujus disconvenientis, & hoc pacto deformes dicimus sex digitos habentes. Tertio ex indebita dispositione membrorum, & sunt claudi &c. Si de prima deformitate fiat sermo, resurgent omnes cum membrorum integritate, & quantitate sibi debita, vel quam habuerunt in ætate consistente, vel habuissent, si ad eam datum esset pervenire; ratio est, quia ex una parte effectus deficit ab integritate sibi debita, vel propter debilitatem virtutis activæ, vel propter indispositionem materiæ, ex alia resurrectio fiet virtute Divina, apud quam nulla infirmitas est in agendo, nec ulla materiæ indispositio. Dixi, in quantitate sibi debita, quam habuerunt, vel habuissent in ætatis consistentia, ne inferres omnes in quantitate æquales futuros fuisse. Plures quidem in hac re eo textu utuntur, quem habet Apost. ad Ephes. 4. ubi dicit: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Ex quo inferunt, omnes resurrecturos esse in illa ætate, qua Christus mortuus est, & ideo in illa corporis quantitate, quam quis tunc habuit, vel habuisset; ego tamen arbitror, ex illa auctoritate colligi non posse argumentum, nisi pro electis; ibi enim ista sunt Pauli verba. *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam &c.* & subjungitur, *ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Atqui non omnes habuerunt fidem, nec omnes fuerunt Sancti, ergo.

50. Si autem de deformitatibus aliis modis contingentibus fiat sermo, procul dubio ab electis removebuntur omnes, *resurgent* enim, inquit Augustinus in Enchir. cap. 31. *Sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione*; Quid autem de reprobis dicendum sit, perpendendo rationem superius expositam, idem de ipsis concludendum videtur. Respondeamus tamen cum Augustino in Enchir. cap. 92. ubi sic dicit: *Quicumque ab illa perditionis massa, quæ per Adam facta est, non liberantur per Christum, resurgent quidem etiam ipsi, unusquisque cum carne sua, sed ut cum diabolo, ejusque Angelis puniantur. Utrum vero cum vitiis, & deformitatibus suorum corporum resurgant, quæcumque in eis gestarunt, inquirendo laborare quid opus est: Non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa, & sempiterna damnatio*.

51. Quærunt 2. qua hora resurrectio continget.

Plures dixerunt media nocte complendam esse. Argumentum desumunt ex variis Scripturæ testimoniis. Luc. 17. *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit* quem locum de futura resurrectione explicant Hieronym. in 25. Mat. Chrysost. hom. 79. in Mat. August. lib. 83. quæst. quæst. 57. Ita etiam Cassiodor. exponit verba psal. 108. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*. Huc etiam pertinet egressio filiorum Israel de Ægypto, quæ media nocte facta est, ut quemadmodum tunc Israelitæ à servitutis jugo liberati sunt, & Ægyptii demersi, ita in resurrectione justi ad æterna gaudia perducentur, peccatores vero in tartarum demergentur. Omnes tandem, qui dicunt Christum media nocte resurrexisse, inquiunt etiam, hominum resurrectionem media nocte futuram. Illi econtra, qui docent, Christum resurrexisse summo diluculo, ut nos ostendimus, docent etiam, summo diluculo futuram esse resurrectionem, cum resurrectionis nostræ resurrectio Christi fuerit exemplar; immo Anselmus in Elucidar.

cidar. in die Pafchatis futuram effe. Hanc fententiam communiter docent Theologi in 4. dif.43. Quapropter per mediam noctem potius indicari poteft tempus mortis eorum, qui tunc vivent, quod fatis indicavit Paulus ad Theffal.5. *Dies Domini, ficut fur in nocte, ita veniet, cum enim dixerint pax, & fecuritas, tunc repentinus eis fuperveniet interitus.*

§. V.

Plura de Chrifti Afcenfione.

52. OMnes hæretici, qui negarunt corpus Chrifti effe verum, negarunt etiam Chriftum ad Cœlos afcendiffe. Aliqui vero, etiamfi conceflerint, fuiffe affumptum verum corpus, & non phantafticum, feu apparens, adhuc dixerunt, vel illud non à Virgine fumptum, fed ab elementis, in folis orbe fuiffe depofitum, juxta illud pf.18. *In fole pofuit tabernaculum fuum*, qua ratione inquit Auguftinus, à Manichæis fuiffe folem adoratum intelligentibus de Chrifto illud Joan. 8. *Ego fum lux mundi*. Vel certe ufque ad Cœlum non fuiffe perductum, cum prius de Cœlo non defcenderit, juxta illud Joan. 3. *Non afcendit in Cœlum, nifi qui defcendit de Cœlo, filius hominis, qui eft in Cœlo.*

53. Hæretici autem noftrorum temporum Chrifti afcenfionem fecundum humanitatem inficiati funt, quia exiftimarunt, Chrifti humanitatem fuiffe ubique, quod autem ubique eft de loco ad locum moveri non poteft, quare fi dicitur afcendiffe, hoc folum per metaphoram intelligendam eft, ficut per metaphoram intelligitur defcenfus de Cœlo, ideft per occultationem fuæ gloriæ in affumpta humanitate, & quemadmodum figurate dicitur federe ad dexteram Patris, ita figurate dicitur ad Cœlum confcendiffe.

54. Veritas tamen Catholica eft, Chriftum vere ac proprie in Cœlum afcendiffe.

Hanc in teftamento veteri pluribus in locis David prædixit, nobifque fignificavit. Præfertim vero in pfal. 67. ubi dicitur: *Cantate Deo, pfalmum dicite nomini ejus, iter facite ei, qui afcendit fuper occafum, Dominus nomen illi.* Et rurfus: *Afcendifti in altum, cœpifti captivitatem, accepifti dona in hominibus*. Quæ verba commemorat Paulus in epif. ad Ephef. 4. & quamvis in pfal. legatur: *Accepifti dona in hominibus*. Apoftolus vero dicat, *dedit dona hominibus*, quæ duo videntur effe contraria, attamen idem fignificant, etenim Chriftus, accipiens dona à Deo homo factus, dedit poftea ea dona hominibus, cum de plenitudine ejus omnes accepérimus. Sed id,quod afferuimus, magis ex Evangelica narratione compertum fit; Chriftus jam refurrexerat, & tamen Joan.20. inquiit Magdalenæ: *Noli me tangere, nondum enim afcendi ad Patrem meum*. Lucas vero tam in Apoftolorum actibus, quam in fuo Evangelio, id fic expreffit, ut nullo pacto ad metaphoricam fignificationem confugere poffimus; Act.fiquidem 1. dicit: *Videntibus illis elevatus eft, & nubes fufcepit eum ab oculis eorum*, cap. vero 24. Evangelii; *Elevatis manibus benedixit eis, & factum eft, dum benediceret illis, receffit ab eis, & ferebatur in Cœlum*. Si autem quod ferebatur in Cœlum metaphorice intelligere velis, metaphorice etiam intelligas, quod dictus fit manducare, bibere, ambulare, pati, ac miracula facere, in quo totam incarnati Verbi œconomiam ac hiftoriam deftrues, ac negabis.

55. Tunc igitur dictum eft, quod in pf.23. legitur. *Attollite portas principes veftras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. Tunc omnes feliciffimi patriæ cæleftis incolæ obviam euntes dixerunt, quod Ifaias dixerat cap.63. *Quis eft ifte, qui venit de Edon, tinctis veftibus de Bofra?* quæ verba Cyril. in Exagefi ad Achatium fic

sic exposuit. *Unigenitus Dei, una cum carne sibi unita rediit, eratque novum hoc in cælis spectaculum. Obstupuit enim Sanctorum Angelorum multitudo, cum Regem gloriæ, exercituumque Dominum in forma humana cerneret. Sciebat enim, Quis est iste, qui venit de Edon, idest ex terra?* Augustinus vero serm. 5. de Resurrect. ait: *Viderant cælites cuncti speciosum vulneribus Christum, spolia e castris tyrannicis reportantem, & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis, deducuntque lætantes, quis est iste Rex gloriæ?* Itarem intellexerunt, atque explicarunt reliqui Sancti Patres. Dionys. cap. 7. cælest. Hierarch. Justin. in Dialogo cum Triphone, Orig. in Joan. Ambr. lib. de Institut. Virg. cap. 5. Hieronym. in Isaiam, Cyrill. Alexandr. 12. in Joann. cap. 57. &c.

56. Ex hisce constat, Christum ita cœlum conscendisse, ut non in aliqua cælesti sphera suam sedem collocaverit; sed supremum cœlum, quod empyreum vocant, penetraverit, & supra ejus superficiem statuerit. *Habemus Pontificem, qui penetravit cælos* inquit Paulus ad Heb. 4. *excelsior cælis factus* ad Hebr. 7. quæ & alia hujusmodi testimonia juxta sensum nostrum explicantur à Patribus. *Ascendit*, ait Chrysost. hom. 11. in epist. ad Ephes. *Super omnes cælos, ultra quos nihil est aliud, hoc videlicet est potentiæ, ac dominationis ipsius*. Et Anselm. in laudata verba. *Ascendit non solum super omnes cælos materiales, & sed & super omnes cælestium virtutum ordines, superans loco, & dignitate omnem creaturam*. Magnam in spem erigamur, ibi aliquando & nos ejusdem meritis futuri, ubi ipse est. *Ubi sum ego, ibi & minister meus erit*, est ipsius promissio Joan. 12. iter ipse nobis fecit, atque explanavit, primus ascendens locum nobis paraturus; *Vado parare vobis locum, & iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, & vos sitis*. Joan. 14.

57. Patet igitur, quantum desipuerint, & erraverint illi, quorum deliramenta adduximus sub initio paragraphi; nec quidpiam arbitror dicendum, quam illud Io. 3. *Nemo ascendit in cælum &c.* clarius declarare, quanquam opus non esset, si legissent S. August. de agone christiano cap. 25. ubi docet, ascensionem non pertinere ad naturam, sed ad personam, quare in nostra re eadem fuit persona, quæ descendit, & quæ ascendit, sed descendit corpus non habens. ascendit vero corpus habens; quod aunem dicitur, metaphorice tantum descendisse, perperam omnino dicitur, nam vere & proprie, etsi locum non dereliquerit, quia est immensa, terminavit humanitatem, quam assumpsit. Neque tenet ultimum, nam etsi, dum dicitur sedere ad dexteram Patris, proprie non usurpetur, cum proprie dexteram Pater non habeat, attamen de corpore vere ac proprie affirmari potest ascensio; scriptura, ubi inconveniens sequatur, mystice intelligi debet, ubi nullum, juxta litteram debet considerari, præsertim dum res historice enarrantur, ut faciunt Evangelistæ.

58. Sic Christus à Discipulorum oculis elevatus, fuit in nube susceptus; præclarum tamen ascensionis suæ non tantum Apostolis, sed etiam posteris monumentum reliquit, nimirum suorum Sacrorum pedum impressa terræ vestigia, quod jam prædixerat Zacharias Propheta cap. 14. dicens: *Stabunt pedes ejus supra Montem Oliveti, qui est contra sepulchrum, ad Orientem?* De hisce Dominicis impressis vestigiis plures Doctores Sancti scripserunt; non prohiberemur afferre Paulinum Nolarum epist. 11. ad Sulpitium Severum lib. 2. historiæ. Bedam de locis sanctis cap. 7. sed nobis sufficiet Hieronymus, qui de locis Hebr. act. Apstol. hæc habet. *Mons Oliveti ad Orientem Hierosolymæ, torrente Cedron interfluente, ubi ultima vestigia Domini humi impressa hodieque monstrantur. Cumque*

terra

terra eadem quotidie accedentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem Sancta vestigia pristinum statum continuo recipiunt. Denique cum Ecclesia, in cujus medio sunt, rotundo schemate, & pulcherrimo opere conderetur, summum tantum cacumen, ut perhibent, propter Dominici corporis meatum nullo modo contegi, & concumerari potuit; sed transitus ejus à terra ad Cælum usque patet apertum. Lapidem istum, qui Christi Domini retinebat impressa vestigia, christianæ religionis hostium invidia ac rabie sublatum esse, in porta orientali ejus Ecclesiæ ab eis clausa positum esse, scribit Bruccard. p.1. cap.7. quem sequuntur alii recentiores.

59. Sed revertendum, unde discesseram; post ascensionem suam Christum dici sedere ad dexteram Patris, est dogma fidei etiam satis in Scripturis Sanctis expressum. *Assumptus est in Cælum, & sedet a dextris Dei*; inquit Marcus cap. ultimo. *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera Sedis magnitudinis in excelsis*, ait Paulus ad Hebr.8. & cap.10. *Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.* Quod alibi etiam repetit, ac docet; hoc autem dictum esse non de Christi divinitate, sed humanitate, tanquam certum habendum est, cum de illo affirmetur sessio ad dexteram Patris, de quo affirmatur ascensio juxta illud ad Eph.1. *Secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus.* Sed Christus fuit suscitatus secundum humanitatem, ergo etiam secundum humanitatem fuit ad dexteram constitutus.

60. Quærendum igitur est, quid sit sedere ad dexteram Patris. Equidem, si dubium hoc proponeretur Augustino, responderet, sicut jam respondit in libro de Fide, & Symbolo cap.6. dicens: *Credimus in cælum ascendisse: sed ubi, & quomodo sit in Cælo corpus Dominicum, curiosissimum, & supervacaneum est quærere; tantummodo in Cælo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ Cælorum secreta discutere; sed est nostræ Fidei de Dominici corporis dignitate sublimia, & honesta sapere.* Attamen rem propositam aggrediamur, ut quantum Deus dederit nostram ab aliis acceptam sententiam proferamus, ut plurium fortasse non curiositati satisfaciamus, sed errorem propellamus, non enim defuerunt, qui dicerent, Deum esse corporeum, atque ideo sedere ad dexteram Patris intellexerint de corporali Christi sessione ad unam Dei partem, quæ dextera appellatur.

61. Corpoream sessionem convenire posse corpori Christi, inficiabitur nemo, nam, si act.7. visus est à Stephano stans, *Ecce video Cælos apertos & Jesum stantem à dexteris virtutis Dei*; cur etiam non poterit dici sedens, itaut pro sui voluntate & sedeat, & surgat, & stet? Nihilominus tamen id de corporali sessione non esse intelligendum, sed de dignitatis excellentia, ac certo majestatis signo, ex omnibus Patribus, Catholicisque Doctoribus consentientibus, nobis datur colligere. Sedere nihil aliud significat, quam in gloria cœlesti habitare, seu esse; quemadmodum Levit.8. dictum fuit, *Ad ostium tabernaculi testimonii sedebitis septem diebus die ac nocte* quod certe aliud non indicat, quam præsentiam & commorationem; ita exponit S. Augustinus in lib. de Fide, & Symb. cap.7. necnon Ioan. Chrysost. hom.1. de Symb. quæ autem sessio de Christo affirmatur non est utcumque habitatio in cœlesti gloria, sed adinstar Regis & omnium capitis, ita ut, quemadmodum propter unionem hypostaticam ejus humanitas eadem adoratione colitur, qua Divinitas, ita in eadem sit Divinitatis solio collocata, certe novum in scriptura non est per sessionem regnum ac dominium supremum significari; sic Reg.3. cap.1. dicitur. *Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sede-*

sedebit in Solio meo; & quod David ps.109. dixit, *sede a dextris meis*, *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, explicavit Paulus per verbum regnare 1. ad Corint.15. *oportet illum regnare*, *donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*. Unde etiam quod ad Eph.2. scripserat, *nos consessuros cum Christo in cælestibus*, scripsit ad Timot.2. cap.2. per conregnare *si sustinebimus*, *& conregnabimus*. Dicitur autem sedere à dextris, ut ejus gloria ac majestas supra quascumque creaturas intelligatur; *Ad quem Angelorum* ait Paulus ad Heb.1. *dixit aliquando sede à dexteris meis?* Per dexteram etiam significatur stabilitas ac perpetuitas, tum etiam peculiaris administratio ac gubernatio regni, quod de Christo dici potest respectu Ecclesiæ; nam quamvis non sit dignior persona, quam sit persona Patris, sed æquali fulgeat dignitate & honore secundum Divinitatem, secundum vero humanitatem sit inferior; attamen de illo dictum est. *Pater non judicat quemquam*, *sed omne judicium dedit Filio*. Sedeat igitur humanitas Christi ad dexteram Patris, *& à dextris sit mihi ne commovear* ut inquit David ps.15. ut possim cum eodem dicere. *Confitebor Domino nimis in ore meo & in medio multorum laudabo eum*, *quia astitit à dextris pauperis*, *ut salvam faceret à persequentibus animam meam* ps.108.

S E C T I O IV.

De Judicio Finali.

1. OCcurrit modo exponendum, quod in alio articulo proponitur in Symbolo. *Inde venturus est judicare vivos*, *& mortuos*. Et quia plura sunt, quæ fient ante hoc judicium, plura, quæ in ipso judicio, & plura, quæ post; ideo ut de omnibus singillatim, distincteque dicamus. Primo de illis agendum esse arbitramur.

C A P U T P R I M U M.

De Antichristo.

TOT sunt, quæ de Antichristo etiam inter rudiores fœminas, igne se cum puerulis calefacientes de Antichristo narrantur, & circumferuntur, ut si omnia vellemus expendere, plurimas fabulas, quod virum Theologum dedecet, aut proferre, aut confutare debemus. Ea dumtaxat à nobis producenda erunt, quæ ex Scripturis Sanctis à Patribus intellectis, atque explicatis, colligi possunt; atque hæc reducentur ad tria, videlicet. Primo; Quis, & qualis futurus sit Antichristus. Secundo; Quænam futura sit ejus persecutio; & quisnam finis ejus. Tertio; quinam adversus Antichristum venturi sint. Quarto loco addentur nonnulla alia, quæ diem judicii præcedent.

§. I.

Quis, & qualis futurus sit Antichristus.

2. PRimo exponendum occurrit, quid per Antichristi nomen significetur; si vocis hujus notionem perpendamus, est nomen commune, quod de omnibus dicitur, qui Christo se contrarios demonstrant. Unde Joan. in prima sui epist. cap. 2. inquit, *nunc Antichristi facti sunt multi*. Atque Apostoli eorumque discipuli quemcumque, qui negabat Dominum nostrum Jesum Christum aut esse verum Deum, aut esse verum hominem, aut Messiam à Deo promissum, Antichristum appellare consueverant; & ideo idem Joan. cap. 4. ait: *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse ex Deo est; & omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus*.

3. Hæc de re fuit quorumdam opinio existimantium, Antichristum non futurum fuisse quamdam certam determinatam personam, sed significare quemcumque hominem, qui fuerit Christo contrarius, ut Nero, Julianus Apostata, Arius, Lutherus, & cæteri hujusmodi, aut qui Christi Fidem ac religionem conabitur evellere. Alii vero, etiamsi futurum determinatam personam concesserint, attamen dixerunt, futurum esse Neronem, qui in fine mundi venturus est; ut qui Ecclesiam Christi, in ejus exordio, primus crudeliter persecutus est, etiam sub mundi finem illam crudelissime persequatur. Ita adnotavit S. Hieronym. in commentariis super caput Danielis undecimum, idque memorat etiam Severus Sulpitius in Libro Historiæ Sacræ secundo, qui de Nerone sic scribit. *Nero creditur, etiamsi se ipse gladio transfixerit, curato vulnere ejus, servatus, secundum illud, quod de eo scriptum est* in Apocalypsi cap. 3. *& plaga mortis ejus curata est: idemque creditur sub finem sæculi mittendus, ut mysterium iniquitatis exerceat*. Opinionis hujus mentionem fecit etiam S. Augustinus in c. 19. libri 20. de Civitate Dei, qui perpendens illa verba obscurissima, quæ habet Apost. in 2. ad Thessalon. cap. 2. ex quibus illa desumi videtur, idest, *Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in tempore suo, jam enim mysterium operatur iniquitatis. Tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat*. Inquit: *Ego prorsus quid his verbis dixerit Paulus, me fateor ignorare, suspiciones tamen hominum, quas vel audire, vel legere de hac re potui, non tacebo. Quidam putant, hoc de Imperio dictum esse Romano &c. ut hoc quod dixit, jam enim mysterium iniquitatis operatur, Neronem voluerit intelligi, cujus jam facta, velut Antichristi videbantur. Unde nonnulli ipsum resurrecturum, & futurum Antichristum suspiciantur. Alii vero, nec eum occisum putant. Sed subtractum potius, ut putaretur occisus, & occultari in vigore ejus ætatis, in qua fuit, cum crederetur extinctus, donec suo tempore reveletur, & restituatur in regnum*. Sic Augustinus, qui postea concludit. *Sed mihi multum mira est hæc opinantium tanta præsumptio*. Et profecto nullum aptum adduci potest momentum. Neronem enim mortuum non esse, sed usque ad finem sæculi vitam producturum esse, aut si mortuum, ante generalem resurrectionem esse ad vitam revocandum, christianus animus refugit sibi persuadere, quodve non sine magno Divinæ Omnipotentiæ miraculo fieri posset, quod pro homine flagitiosissimo, qualis futurus est Antichristus, Deum non operari, certissime est existimandum. Additur etiam, ut probabimus, Antichristum futurum esse ex Hebræorum semine, quod ad Neronem pertinere non potest.

4. Alii insuper arbitrati sunt, Antichristum futurum determinatam personam, non tamen hominem, sed Dæmo-

monem in humana specie phantastica apparentem; hoc docuit Hipolytus in in lib. de consummatione mundi, cujus verba sunt ista. *Diabolus ex impura muliere prodibit super terram, sed falsò nascetur; nam Christus veram carnem, & præter peccatum, nostræ per omnia similem assumpsit, Diabolus carnem secundum visionem tantum, & opinionem assumet, & phantastica carnis substantia, organi vice, utetur.* Error tamen hic maximus est, quem satis confutarunt Hieronymus, & Damascenus. Primus quidem exponens verba Danielis cap.7. *Et ecce oculi, quasi oculi hominis, erant in cornu isto.* Ait: *Hoc præterea dictum est, ne putemus, juxta quorumdam opinionem, Diabolum esse futurum, sed unum de hominibus, in quo totus Sathanas habitaturus est corporaliter.* Secundus vero lib.4. de Fide cap 27. inquit. *Non Diabolus fiet homo, instar humanationis, absit enim, sed nascetur homo ex fornicatione, & suscipiet omnem operationem Sathanæ, unde Paulus dixit, adventum ejus futurum secundum operationem Sathanæ, nam præsciens Deus irrationabilitatem futuræ ejus voluntatis, permittet, ut illum inhabitet Diabolus.*

5. Quod autem dixit Hieronymus, totum Diabolum in ipso habitaturum esse corporaliter, viam aliis aperuit suspicandi, Diabolum ita conjugendum esse Antichristo, ut unio facienda sit personalis, aut penitus ipsius animæ sit illapsurus. Hoc prę aliis judicavit Theodoret. lib.5. Divin. Decret. cap. de Antichristo dicens. *Ante adventum Domini veniet, humanam naturam subiens, hominibus perniciosus, Deique adversarius Dæmon, & sicut hoc nomen Deus, olim suffuratus id sibi imposuit, ita, Christi Domini appellatione usurpata, omnes decipiet.* Pro hac opinione adduci etiam solent Ambros. in 2. ad Thess. cap.2. Beda in cap.13. Apocalyp. quare autem ex Hieronymi dicto id evinci possit, existimo, ex illis particulis, *in quo totus Sathanas habitaturus est corporaliter*, quemadmodum, ex eo, quod habet Paulus ad Coloss.2. *In quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter.* deducunt Catholici, Verbum Divinum hypostatice humanitati fuisse conjunctum.

6. Hoc autem nullo pacto dici posse, constat ex iis, quæ à nobis dicta sunt, ubi inquirebatur, an aliqua persona creata possit aliam naturam creatam personaliter assumere, ubi & sententia negativa probabilior posita fuit, & explicatum, quo pacto, Antichristum incarnatum Dęmonem esse, accipiendum sit; quapropter, revera futurum esse determinatum hominem, nullus ambigendi locus relinquitur, quod clare indicavit Paul.2. ad Thessal.2. ubi ait: *Nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, & filius perditionis &c.* ubi appellatur homo, sed utique peccati, quia futurus est maximus inter homines peccator, in peccata gravissima plurimos inducturus, & dicitur filius, sed utique perditionis, quia inter omnes perditissimus, quam plurimos perdet; atque si dicitur, adventum ejus futurum secundum omnem operationem Sathanæ, satis eum à Sathana diversum fore, significatur; quod tamen postremum argumentum, quanvis ab aliquibus afferatur, firmum non est, nam etiam Christus dicebatur operari secundum Deum, & tamen revera erat Deus, sed in hisce rebus non singula singillatim accipienda sunt, tanquam probantia, sed omnia simul. Hoc autem, quod intendimus, amplius confirmavit Christus Dominus, dicens Joan.5. *Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me, si alius veniet in nomine suo, illum accipietis* per quas particulas *alius* & *illum* alius homo denotari, conspicitur.

7. Contra hoc esse videtur, quod legitur Apocalyp.19. ubi de bestia, & ejus pseudopropheta dicitur. *Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis*, ex quo infertur, Antichristum non esse mori-

moriturum; sed contra hoc jam dixit Paul.2. *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui*. Qua de re vivi dicuntur in infernum detrudendi ad explicandam majorem pœnæ acerbitatem, non vero quia morituri non sint, ut cum Beda, & Anselmo explicat illum Apocalypsis locum Angelicus Doctor, vel ita dictum est, quia vivos illos absorbebit terra, & intra ipsam interficientur, antequam ad stagnum ignis ardentis perveniant, quemadmodum de Dathan, & Abiron dicitur num.16. & interpretatur Abul. q.20. hæc tamen omnia magis ex dicendis comperta fient.

8. Atque ut hoc, priusquam ad alia progrediamur, à nobis fiat; tenendum est juxta Irenæum, Cyrillum, & Hieronym.in cap.11. Danielis, Augustinum quæst. 22. in librum Josue, Prosperum in lib. de promission. & prædictionibus Dei, Gregor. in lib.31. Moral. cap. 10. Bedam in cap. 49. Genes. & Rupertum lib. 9. cap. 2. de Trinit. Antichristum è gente Hebræorum, & ex Tribu Dan esse nasciturum in Babylone. Fateor rem hanc non posse ex Scripturis expresse ostendi, & magis nos movere debet auctoritas Patrum ita Scripturas exponentium, quam ipsæ Scripturæ. Porro nasciturum ex tribu Dan, primo colligitur ex illis Jeremiæ verbis, quæ sunt in capite octavo. *Ex Dan fremitus equorum ejus, & à voce pugnatorum ejus commovebitur omnis terra.* Secundo ex Jacobæo vaticinio Genes.49. quod sic habet. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro*. Hæc omnia verba placet exponere. De Dan scriptum est in numerorum libro cap.2. ad aquilonis partem posuisse castra, Babylon autem, in qua etiam sedit Antiochus Epiphanes, qui insigniter præfiguravit Antichristum, comparatione Judeæ aquilonaris est; dicitur coluber in via, cerastes in semita, quia dupliciter homines perdet, quos enim inveniet per amplam viam mundanarum felicitatum mordebit ut coluber, quos autem invenerit per angustam semitam virtutis, & justitiæ incedentes mordebit, seu adorietur ut cerastes; Porro morsus potissimum continget in peccatoribus, qui in equo ambitiosi fastus animali denotantur, erit autem in equi ungula, quæ est postrema pars equi, quia mordebit in fine mundi, qui etiam per equum significatur; cadet autem ascensor ejus retro, quia peccatores, qui mundi deliciis insident, & præsident, retro cadunt, cum non videant, ubi cadunt, quia ut ait Salomon, *impii ambulant in tenebris, et nesciunt ubi corruant*. Quia ex tribu Dan nasciturus est Antichristus, inquiunt superius laudati Patres, Joannem in Apocalypsi cap.7. omnes tribus Israel numerasse, in odium vero Antichristi tribum Dan omisisse; prǽteriit quidem etiam tribum Ephraim, attamen pro ea posuit tribum Joseph, quæ postea propter duos filios Joseph divisa fuit in tribum Manasse, & tribum Ephraim. Ipsum denique nasciturum ex fornicatione testantur omnes, utrum autem ex concubitu hominis, vel Dæmonis incubi per virile semen delatum, res est prorsus incerta.

9. Nascetur igitur iniquus iste, nec erit aut Dæmon in apparenti, vel in vera carne, sed verus homo. Ipsius initium erit vile & abjectum nullius nominis, nullius potentiæ, ideo Danielis 7. ut exponunt Theodoretus, & Hieronymus, appellatus fuit *cornu modicum*. Et Joan. in Apocalyp. de ipso loquens inquit, se vidisse bestiam de terra ascendentem; solent enim Latini, ad alicujus ignobilitatem explicandam, hoc uti loquendi modo; *Homo, qui venit de terra, seu de pulvere*. Paulatim tamen tantas acquiret vires ac potentiam, ut omnes alios Reges suo sit subditurus imperio, quod indicavit Daniel cap. 7. dicens de illo cornu modico; *Cornua decem, decem Reges erunt, & alter consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit*. Et cap. 11. *Faciet juxta vo-*

voluntatem suam Rex. Et loquens de Antiocho Epiphane, quem Antichristi typum gessisse, omnes fatentur, dixit: *Stabit in loco suo despectus, & non tribuetur ei honor regius, & veniet clam, & obtinebit Regnum in fraudolentia*. Unde Damasc. cap. 17. inquit: *Ex fornicatione itaque nascetur, & clam educabitur, & repente insurget, caputque attollet, atque imperio potietur*. Quo pacto autem ad tantam imperii sublimitatem deventurus sit, explicemus oportet; Instruetur Antichristus, ut ait Cyrill. Jerosolymit. cat. 15. à quodam homine Mago veneficiis & incantationibus, malisque actibus instructissimo, & infra de illo loquens, dicit: *Talis futurus est, ut omnes, qui ante illum improbi, & impii fuerint, excellat malitia, mentemque habeat homicidiariam, perfractam, immisericordem, & variam*. Profecto variam; sex enim modos colligere licet ex Patribus, quibus innumeros sui Sectatores efficiet. Primo hypocrisi simulata castitatis, abstinentiæ, & pietatis eos, qui virtutem ac religionem colunt, circumveniet; eum sic describit Hippolytus. *In primordiis suis Antichristus clemens erit, quietus, religiosus, odio habens injustitiam, detestans munera, idololatriam non admittens, amans Scripturas, observans Sacerdotes, honorans senes, scortationes & adulteria repudians &c.* Secundo. Scientia, qua tam rerum naturalium, quam reconditarum erit præditissimus, homines sciendi cupidos ac curiosos post se perducet, de quo sub Antiochi figura dixit Daniel cap. 8. *Et erit intelligens propositiones*, seu ut alii vertunt, *ænigmata* 3. Judæos sibi maxime adjunget, quippe qui se Messiam mentietur, se facturum omnia promittens ipsis, quæ de vero Messia scripta sunt in Prophetis, atque ipsis summopere erit acceptus, quia se acerrimum Christi, ac Christianorum hostem profitebitur, quapropter ipsum recipient ut Messiam, juxta id quod dixit Christus Joan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, alius veniet in nomine suo, & illum recipietis*. Et Daniel cap. 11. *simulabit se ducem fœderis*. 4. Quos viderit terrenorum bonorum cupiditatibus incensos, ut maxima pars mortalium solet, magnorum largitione munerum alliciet ampliora etiam promittens, juxta illud Danielis ibidem. *Multiplicabit gloriam illis, dabit potestatem multis, & terram gratuito dividet*. Ipsum enim futurum esse auro, argentoque ditissimum, significavit aliis sequentibus verbis. *Dominabitur thesaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretiosis*. 5. Quos muneribus & honoribus pertrahere non poterit, minis terroribusque concussos, atque terrefactos ad sui obedientiam detorquebit, quod Daniel cap. 7. prænuntiavit dicens, *& prævalebit adversus sanctos* Et Joan. in Apocalyp. cap. 13. illis verbis, *datum est ei bellum gerere cum sanctis, & eos vincere*. Ultimus modus omnium efficacissimus in signis & miraculis, quæ ab ipso Antichristo, & ab aliis in ejus nomine fient; illa vero præcipue operabitur, quæ vere à Messia & Christo Jesu facta esse leguntur, leprosos mundabit, paralyticos sanabit, Dæmones expellet, longinqua non aliter quam præsentia denuntiabit, mortuos suscitabit, montes transferet, pedibus supra Mare gradietur, ignem de Cœlo deducet, solem circumaget quocumque libuerit, atque omnia elementa sibi obtemperare demonstrabit, quæ omnia fuse describit Hippolyt. de consumat. Mundi, nec non Lactant. lib. 7. cap. 17. atque jam fuerunt à Christo Domino prædicta Mat. 24. *Tunc surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ & facient signa, & prodigia magna, ita ut si fieri potest, inducantur in errorem etiam electi*. Et Apocal. 13. legitur. *Admirata est universa terra, & adoraverunt bestiam dicentes, qui similis bestiæ?* Et infra. *Fecit signa magna, ut etiam ignem faceret descendere è Cœlo in Terram in conspectu hominum*. Hic tamen advertendum est, omnia

omnia hæc tam admiranda miracula nequaquam vera futura esse, sed apparentia, ac phantastica, qua de re inquit Paulus 2. ad Thessal. 2. *Cujus est adventus secundum operationem Sathanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis*. Idest, ut in hæc verba notat Chrysost. quemadmodum Christus vera edidit miracula, ut veritatem confirmaret, ita iste in mendacii confirmationem mendacia miracula proferet, Christus in virtute Dei, qui est prima veritas, Antichristus in virtute Sathanæ, qui est prima falsitas; Qua propter res, quæ apparebunt, vel non erunt veræ, sicut si mortuus suscitabitur, vel prius non erit mortuus, vel revera non inde vivet, ut dixit Athanas. q.20. ad Ant. vel si erunt veræ, non erunt nisi res naturales extraordinariæ, idest per occultam rerum naturalium applicationem; etenim plura, quæ hominibus, licet naturalia, recondita sunt, Dæmonum scientiæ, vi cujus operabitur Antichristus, comperta erunt.

16. Rebus tot talibusque modis dispositis Regnum suum Antichristus incipiet, & ut legitur Danielis 11. *Abundantes, & uberes urbes ingredietur; & faciet, quæ non fecerunt Patres ejus, & Patres Patrum ejus*. Jam ex Hebræorum gente ipsum nasciturum esse, superius diximus. Nullus autem ex Hebræis nasciturus est, ut Regnum habeat, cum omnes sint per orbem dispersi, atque abjectissimi; Quod igitur nullus ex suis prædecessoribus fecit, faciet ipse, quia regnabit, superaturus prius Regem Babylonis, in qua urbe primum solium occupabit, deinde alios duos Reges, idest Africæ, ac Æthiopiæ subjugabit, quibus devictis, septem alii Reges fasces ei, & colla submittent; Sciendum namque est, tunc Romanum vetus imperium in decem Reges futurum esse divisum, quæ divisio significata fuit in quarta bestia, quam cap.7. vidit Daniel habentem cornua decem, & in qua exorto in medio eorum cornu parvulo, tria de cornibus primis evulsa sunt. Juxta hæc, quæ quidem ab omnibus Patribus traduntur, dixit Chrysost. in 2. cap. secundæ epis. ad Thessalon. *Quemadmodum Monarchiam Assyriorum destruxerunt Medi, & Medorum Persæ, & Persarum Macedones, seu Græci, denique Græcorum Romani, ita Romanorum Monarchiam evertet Antichristus*.

11. Ubi tamen prima ejus Regni sedes, ibi non ultima, sed solium suum ad Jerosolymam transferet, ut enim dicit Apostolus 2. ad Thessal. 2. *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus*. Fateor tamen ex hoc textu satis hoc evinci non posse, nam quid templi Dei nomine intelligatur, concors non est Sanctorum Patrum sententia. Irenæus, Hippolytus, & Cyrillus Jerosolymit. id explicarunt de Iudæorum templo, quod putant in gratiam ipsorum renovatum iri ab Antichristo; quam opinionem nec reprobat Chrysost. in 2. ad Thessal. nec Hieronym. in epis. ad Aglasiam, nec August. lib.20. de Civit. cap.10. E' contrario Theodoret. Damascen. aliique intelligendum esse de Christianorum templis arbitrantur, etenim hæc tantum dici possunt templum Dei, cum illud Iudæorum post mortem Domini nostri profanum, impurum, & impium evaserit, nec fore pro omni reliquo tempore reparandum dixerit Daniel cap. 9. illis verbis. *Usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio*. Quapropter ad indicandum, Jerosolymis postremo Antichristum regnaturum esse, aptius existimo testimonium Danielis c. 11. *Et figet tabernaculum suum in Apadno, inter duo maria super montem inclytum, & Sanctum*. Vox illa *Apadno*, ut notavit Hieronymus, componitur ex verbo *Apad* quod significat thronum, seu palatium, & *no* quod significat sui, Civitas autem inter duo maria est Jerusalem, cum ab Oriente habeat mare mortuum, ab Occidente vero mediterraneum. Mons vero Sanctus &in-

& inclytus vel est Mons Syon, in quo erat templum, vel Mons Oliveti, ex quo Dominus ascendit in Cœlum, in quo etiam periturum esse Antichristum plures senserunt, ut dicemus.

§. II.

Quænam futura sit Antichristi persequutio.

12. AD excelsum adeo potentiæ fastigium Antichristo evecto, tanta erit, quæ in homines & Ecclesiam fiet persecutio, ut Christus dixerit Mat. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modo, neque fiet.* Et Ioan. Apocalyp. 20. illam describens dicit: *Cum consummati fuerint mille anni* (intellige cum veniet mundi finis) *solvetur Sathanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium; cujus numerus est, sicut arena maris, & ascenderunt supra latitudinem terræ, & circuierunt castra Sanctorum, & civitatem dilectam.* Idest ex August. 20. de Civit. cap. 11. Sanctam Ecclesiam, quod jam prius viderat Daniel cap. 7. *Et ecce cornu illud faciebat bellum adversus Sanctos, & prævalebat eis.* Et infra. *Sanctos altissimi conteret, & putabit, quod possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu ejus &c.* Quid porro significetur per Gog, & Magog non est præsentis nostri instituti declarare, qui plenariam voluerit notitiam assequi, adeat Eminentissimum Bellarm. lib. 3. de Rom. Pont. cap. 17.

13. Erit profecto hujusmodi persecutio in iis, quæ ad bona temporanea spectant, atque in iis potissimum, quæ pertinent ad spiritualia. Quidquid tormentorum aut excogitatum, aut opere completum fuerit præcedentibus temporibus, sive bonis fortunæ, sive commodis vitæ obnoxium, parum erit, si tribulationi illius temporis comparetur. Satis quidem dixissem, si, quæ superius dicta sunt, perpenderentur, nimirum, solvendum esse Sathanam de carcere suo, atque exiturum, ut persecutionem excitet, atque commoveat; si tam atrociter persequitur Dæmon ligatus, quid faciet Dæmon solutus? Attamen hæc liceat distinctius explicare. Passa est Ecclesia ab ortu & infantia sua persecutionem à Judæis, nascentis Christianæ Religionis primordia opprimere, atque extinguere conantibus; passa est à gentilibus sub decem Romanis Imperatoribus, à Nerone videlicet, usque ad Constantinum Magnum; passa est ab hæreticis veritatem, ac sinceritatem Catholicæ fidei impugnantibus, ac deturpantibus; passa est à schismaticis, unitatem Ecclesiæ discerpentibus, & obedientiam unius capitis, atque pastoris abjicientibus; passa tandem est à malis Christianis disciplinæ integritatem, morum probitatem dissolventibus, atque labefactantibus; at omnia persecutionum genera, quæ diversis fuerunt divisa temporibus, illo tempore invenientur collecta, atque unius Antichristi, suorumque adjutorum, persecutionis magnitudo, atque atrocitas superabit.

14. Parvi tamen hæc pendenda forent, si tantummodo in rerum direptione, in corporum nece posita essent, non enim pertimescenda essent, admonente Domino, non esse timendos eos, qui corpus occidunt, animam tamen non possunt occidere, & si hominibus sacra relinquerentur, iis, qui Christo addicti sunt, contenti forent; sed contra animam, resque sacras præcipuum prælium, immaniora facinora. Id ego quidem aliquo pacto describere contenderem, si prius non descripsisset Hippolytus de consum. sæculi dicens: *Tollet de medio Antichristus omnes sacras imagines, prohibebit omnes cantus, præcationes, et officia Ecclesiastica, templa omnia funditus evertet, aut in usum tabernarum, et stabulorum convertet. Comburet omnes libros sacros, quoscumque invenire poterit.*

Et

Et ut ait Lactan. lib.7. cap. 17. *vivos justos libris prophetarum obvolutos cremabit*; *Vetabit administrationem*, *usumque Sacramentorum*, *præcipue vero baptismi*, *ac eucharistiæ*, quæ sunt in nostra religione præcipua. Hoc autem postremum jam prædixit Daniel cap. 12. dicens: *Cum ablatum fuerit juge sacrificium*; atque ideo honorem soli Deo debitum sibi usurpabit iniquus iste, & cum in omnibus locis per se ipsum non erit, impios Ministros suos habebit, qui illius imaginem adorandam exhibebunt, & qui scelus hoc perpatrare noluerint, morte crudelissima damnabuntur; Quare Ioan. in Apocal. cap. 13. se bestiam aliam vidisse testatur, quæ, *dicit habitantibus in terra*, *ut faciant imaginem bestiæ*, *quæ habet plagam gladii*, *et vixit*. . . . *et faciet*, *ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ*, *occidantur*. Sed quemadmodum signum Crucis est illud, quo homines se Christi servos protestantur, atque ideo publice illud vel in fronte deferunt, aut illo frequenter se muniunt, ita tunc etiam hoc penitus deleri præcipiet, & ejus loco alius character, qui dicitur bestiæ, perferetur, atque ita necessario, ut qui secus fecerit, sibi vetitum esse quodcumque commercium percipiet, non enim poterit, prosequitur Ioannes, *emere*, *aut vendere*, *nisi qui habet characterem*, *aut nomen bestiæ*, *aut numerum nominis ejus*. In quo autem consistet character iste, certo à nobis definiri non potest, cum varia diversi tradiderint; certum tamen est, per illud negandum esse vel baptisma, vel Christum, aut utrumque simul; Plura non dicam de hujuscemodi persecutionis nunquam, aut visa, aut audita atrocitate; satis dictum est à Christo, dum dixit, talem futuram esse, ut in errorem inducantur etiam electi, si fieri potest; & Luc. 18. *Cum venerit filius hominis*, *putas ne inveniet fidem in terra*?

15. Christus tamen ita Ecclesiam suam non deseret, ut quanvis dictum fuerit Apocal. 13. *Est datum illi bellum facere cum sanctis*, *et vincere eos*. Attamen ipsa permanebit, nam portæ inferi non prævalebunt adversus eam, *et propter electos breviabuntur dies illi* Mat. 24. Plures tunc & eximii Martyres erunt, qui bestiam non adoraturi sanguinem pro Christi fide constantissime dabunt & capita; Plures confessores qui in montibus, speluncis, & cavernis se colligent, atque ibi Sacramenta servabunt, eorumdemque virtute se munient, non enim permittet Deus, omnia loca no a fieri persecutoribus, atque uxta hac intelligendi sunt Patres, si qui dixerint, tunc fidem defecturam in mundo; etenim, *adoraverunt bestiam omnes*, *qui inhabitant terram*, *quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ*.

16. Breviabuntur inquam propter electos dies illi. Peccant impii, atque eos occultis suis, sed æquissimis judiciis vivere permittit Deus; statuto tamen tempore ira Dei super illos descendit; Hoc Antichristo ejusdemque ministris continget, & quidem de illo satis aperte loquuntur scripturæ veteris, novique testamenti. Isaias enim cap. 25. ait: *Præcipitabit Dominus in Monte Sancto faciem dominatoris tenebrarum super omnes gentes*, *et eum*, *qui dominatur cunctis populis*, *et unctionem*, *quæ uncta est*, *contra universas nationes*. Daniel vero cap. 11. post plura recensita concludit, *et nemo auxiliabitur ei*, ubi Theodoretus legit, *et nemo erit*, *qui liberet eum*, Sptuaginta vero, *et veniet hora consummationis ejus*. Paulus in 2. ad Thessal. cap. 2. *Quem Dominus Jesus Christus interficiet spiritu oris sui*. Res autem hoc pacto peragetur. Antichristus ad extremam impietatem ac superbiam provectus simulabit se mori, & iterum ad vitam redire, quod indicatur in Apocalyp. cap. 13. per illa verba. *Vidi unum de capitibus bestiæ*, *quasi occisum in morte*, *et plaga mortis ejus curata est*. Ipso ad vitam simulate redeunte obstupebunt omnes, atque bestiam adorabunt; unde sequitur. *Et admirata est universa terra*

post

post bestiam, et adoraverunt eam, dicentes, quis similis bestiæ, et quis poterit pugnare cum ea? Hac de re diem Sabbathi, & diem Dominicam ab omnibus solenni ritu observari præcipiet, quod exprimit Gregorius Magnus in lib. 11. epistol. ex Registro indict. 6. cap. 3. hisce verbis. *Veniens in mundum Antichristus, diem Sabbathi, et diem Dominicum ab omni jubebit opere custodiri, nam, quia simulaturus est mori se, ac resurgere, ideo diem Dominicum in veneratione haberi præcipiet; quia vero judaizare populum compellet, ut ritus Mosaycæ legis revocet, et Judæorum sibi subdat perfidiam, diem Sabbathi observari coget.*

17. Ita ejus ficta plaga curata, & sequente infinita hominum turba, se ad Montem Oliveti conferet, unde Dominus in Cœlum assumptus est, & ipse etiam se ad Cœlum, unde ad homines se venisse gloriabitur, ascendere velle simulabit; à Dæmonibus in Angelorum cœlestium specie cunctis admirantibus, atque ejus divinitati plaudentibus evehetur, sed tunc fiet, spiritu oris Jesu fore interficiendum. Quo pacto autem interficiendus sit, non aliter existimo quam Christi imperio. Hic tamen legere non pigeat, quid aliqui senserunt; Author Scholasticæ Historiæ inquit, ascendente per aera Antichristo audietur vox Christi de Cœlo missa, *Morere*, & confestim fulmine percussus interibit. Secus rem futuram ennarrat Lactantius lib. 6. Divinarum Institut. cap. 47. & 18. hisce verbis. *Justi, & Sectatores veritatis segregabunt se à malis, & fugient in solitudines. Huc impius Rex, inflammatus ira, veniet cum exercitu magno, & admotis omnibus copiis, circumdabit montem, in quo justi morabuntur, ut eos comprehendat; illi vero, ubi se clausos undique, atque obsessos viderint, exclamabunt ad Deum voce magna, & auxilium cæleste implorabunt. Quorum ancipiti periculo, & miseranda comploratione commotus Deus, mittet protinus liberatorem. Tunc aperietur Cælum medium intempesta nocte, & tenebrosa, ut in orbe toto lumen descendentis Dei, tanquam fulgur appareat; qui priusquam descendat, hoc signum dabit, cadet repente gladius de Cælo, ut sciant justi, Ducem Sanctæ Militiæ descensurum, & descendet ille comitantibus Angelis in medium terræ. Virtus autem Angelorum tradet in manus justorum multitudinem illam, qui montem circumsederit, & concidetur ab hora tertia usque ad vesperum, & fluet sanguis more torrentis, deletisque omnibus copiis, impius solus effugiet, & peribit ab eo virtus sua, tandem debellatus et captus scelerum suorum luet pœnas.*

18. Quidquid dixerint isti, quidquid dixerint alii; neque de loco, neque de modo, quo interimendus sit Antichristus, quidpiam certi possumus definire; peribit impius ille, peribunt illius Sectatores, ac Ministri; hoc certum est; atque de istis dictum est Apocalyp. 20. *Descendit ignis à Deo de Cælo, et devoravit eos.* Quanto vero temporis spatio duraturum sit Antichristi regnum, à nemine, quem legerim, traditur, nec ulli mortalium opinor fuisse compertum. Secus vero, si de ejus regno, in quo atrociter Christi fideles persequatur, fiat sermo, loquendum est, cum id & in prophetia Danielis, & in Apocal. Joannis satis compertum habeamus. Daniel cap. 7. inquit, *A tempore, quo ablatum fuerit juge Sacrificium* (idest atrocissima Antichristi persecutio cæpta fuerit) *transibunt dies mille ducenti nonaginta.* Similia Joannes cap. 11. *Calcabunt gentes Civitatem Sanctam per menses quadraginta duos.* Cap. 12. *Mulier*, (videlicet Ecclesia Christi) fugiet in solitudinem, & abscondet se à facie serpentis, *per tempus, et tempora, et dimidium temporis.* Tempus significat unum annum, tempora duos, dimidium tempus dimidium anni, juxta id quod dictum fuit Nabucco, *septem tempora mutabuntur super te.* Cap. 13. *Data est illi potestas facere, et bel-*

bellum gerere cum Sanctis, et vincere eos per menses quadraginta duos.

§. III.

De bonis præcursoribus ante mundi finem.

19. QUO tempore tam atrociter & fraudolenter, ut dictum fuit, Ecclesiam Christi perditissimus ille vir persequetur, Ecclesiæ suæ Christus non deerit, sed secundi adventus sui Præcursores mittet, sicut Præcursorem misit, qui primum sui adventum & prædicaret, & ostenderet. Hoc indicavit Joannes in Apocal. cap.11. dicens, *Et dabo duobus testibus meis, et prophetabant diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.* Quinam autem isti futuri sint, communis Christianorum sensus est, futuros esse Eliam; & Enoch. Quantum ad Eliam, hoc idem Joannes sequentibus verbis significavit: *Ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum.* Et prius Ecclesiastici 48. dictum erat. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius, quasi facula, ardebat, continuit Cælum, & dejecit à se ignem terræ* Malachias vero extremis Prophetiæ suæ verbis ita de Elia vaticinatus est. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniet dies Domini magnus, et horribilis.*

20. Non me latet, ab aliquibus, etiam ex Sanctis Patribus, intellectos esse adductos textus non de Elia in persona, sed in spiritu, ita ut, hoc de Joanne Baptista dictum sit; quod quidem ab ipso Christo prænuntiatum esse, colligi videtur; dixit enim Matt.11. de Joan. *Ipse est Elias, qui venturus est.* Et c.17. dum interrogarent Discipuli; *quid ergo dicunt, quod Eliam oportet primum venire?* respondit; *Elias jam venit, et non cognoverunt eum.* Hoc autem de Elia in spiritu intelligamus, necesse est. Hisce Christi Domini dictis accedunt etiam Sanctorum Patrum, ut dixi, explicationes atque expositiones. Inter hos præcipue numerari possunt Burgensis, Vatablus, & Jansenius, qui dicit, Scriptorem, atque authorem libri Ecclesiastici sequutum esse receptam suo tempore Judæorum opinionem, qui existimabant, vaticinium Malachiæ, de quo nos supra, pertinere ad personam Eliæ, cum tamen id in Joanne Baptista adimplendum esse, Christus fateatur. S: vero Hieronymus exponens prædictum Malachiæ textum, pro Elia intelligit omnes Prophetas, qui Christo testimonium perhibent, atque ideo Rupertus propter ejus authoritatem quidpiam definire non audet.

21. Ego tamen, quamvis plurimi cujuscumque Sancti Patris sententiam faciam, in hoc nobis opponentibus subscribere haud quam possum, & libenter etiam subscriberem, nisi alicui adhærendo, alios à me negari oporteret. Ab aliis autem omnino recederem, si præfatam explicationem admitterem; de me conquererentur Orig. tract.3. in Matt. Chrysost. hom.58. in Matt. Gregor. Magnus 11. moral. cap.9. Tertul. lib. de anima cap.35. Justin. Martyr. in Dial. cum Triph. & quem in omnibus præferre soleo, S.August. tract. in Joan. & lib.5. de Trinit. cap.14. Hæc procul dubio nobis sufficerent, ne de Joanne Baptista, quod de Elia dictum fuit, intelligeremus; attamen ex verbis Christi Domini hoc non haberi ostendemus, sicut neque verba Malachiæ ita accipi posse declarabimus.

22. Quod ad hoc postremum spectat facili negocio declaramus, si consideremus, Malachiæ verba non esse accipienda in alio sensu, nisi quo illa Ecclesiast.48. ubi sermo est de illo Elia, *qui receptus est in turbine*, quod de Ioanne Baptista dici non potest, sed de vera Eliæ persona; & si præterire non placet quod juxta Hieronymum additum fuit à septuaginta interpretibus, videlicet, nomen *Thesbitis*, quod de solo Elia, de quo noster sermo, potest affirmari

mari. Minus aliorum opinio probabilis apparebit; neque multum intereſt explicatio Hieronymi, nam etſi illam admittamus, vera Eliæ perſona non excluditur, ſicuti quamvis in Chriſti transfiguratione in Moyſe figurabatur lex, in Elia ſignabantur Prophetæ, & tamen ibi vere erant Moyſes, & Elias. Quod vero ex Chriſti dictis opponebatur, potius ſupponit quod dicimus, quam excludat. Hoc inſpiciamus. Interrogaverunt Diſcipuli. *Quid ergo ſcribæ dicunt, quia Eliam oportet primo venire?* reſpondit ipſe, *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia*. Hæc nonniſi de Eliæ perſona vera eſſe poſſunt, de qua Diſcipuli loquebantur, addidit deinde, *Dico autem vobis, quod Elias jam venit*. Atque hic loqutus eſt metaphorice de Joanne Baptiſta propter ſpiritus & miniſterii ſimilitudinem, atque ita intellexerunt etiam Apoſtoli, atque in hoc ſenſu accipienda ſunt alia verba Matt.11. *Ipſe eſt Elias, qui venturus eſt*, videlicet, Joannes in ſpiritu & miniſterio eſt ille Elias, qui venturus eſt in perſona.

23. Si vero de Enoch ſermonem inſtituamus, non habemus, ſicut de Elia, tam expreſſa Scripturæ teſtimonia, non obſcure tamen id inſinuatur verbis illis Eccleſiaſt.44. *Enoch translatus eſt, ut det gentibus pœnitentiam*, & quamvis in Græcis Codicibus legatur, *in exemplum pœnitentiæ generationibus*. Attamen hujuſmodi lectio non eſt illi contraria, nec prior propter poſteriorem omittenda, præſertim, cum omnes Patres ſuperius laudati illam ampleĉtantur. Prꝺter iſtos clariſſime pro Enoch loquitur S. Auguſtinus lib.1. de mirabilibus ſcript. cap.3. dicens. *Adhuc ſine morte in teſtimonium noviſſimi temporis reſervatur*.

44. Juxta hæc Eliam & Enoch adhuc in mortali corpore vivere tenendum eſt; quod ex Scriptura & Patrum traditione ſatis colligitur nam de Enoch dicitur in Gen. *Ambulavitque cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Dominus*, & ne verba hæc explicentur de ejus morte, ut nonnulli Judæorum fecerunt, teſte Sixto Senen. lib.2. Bibliot. Sanctæ, quia Scriptura hoc loquendi modo ſolet mortem ſignificare, juxta illud Iob.32. *Neſcio, quandiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus*. Occurrit Paulus ad Heb.11. inquiens. *Enoch translatus eſt, ne videret mortem*. De Elia vero 4. Reg.2. legitur, quo pacto in curru igneo ab equis igneis raptus fuerit, & diviſus ab Eliſeo; & Eccleſiaſ: 47. dicitur *Receptus, & tectus in turbine, et inſcriptus in judiciis temporum, lenire iracundiam Domini etc.* Ita porro rem intellexerunt, atque explicarunt. SS.PP. Tertul. lib. de anima cap.35. & 50. inquit. *Translatus eſt Enoch et Elias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet*. Hieronymus ep.61. ad Pammach. *Enoch translatus eſt in carne, et Elias carneus translatus eſt in Cœlum, nec dum mortui*. Auguſt. lib.1. de peccat. meritis cap.3. *neque Enoch, et Elias per tam longam ætatem ſenectute marcuerunt*. Et lib.2. de gratia Chriſti, ſeu de peccato originali cap.23. poſtquam inter quæſtiones, quæ ad fidem non pertinent, poſuerit locum, in quo nunc reperiuntur, concludit, *quos tamen non dubitamus, in quibus nati ſunt, corporibus vivere*. Idem docuerunt Cyprian. lib. de Montibus Sina, & Sion; Iuſtin. in q.85. ad Orthodox. Epiphan. hær. 64. Baſil. hom.11. Examer. &c.

45. Quo pacto autem in vita conſerventur, novit ille, cujus omnipotentia, quo modo ipſi magis placuerit, omnia conſervat. Ita fatetur Epiph. hær.64. dicens: *Eos nutriri quodam ſpirituali alimento, cujus ſuppeditator eſt, qui occulta cognoſcit, & inviſibilia creavit*. Hieronym. autem ait: *eos frui Divino conſortio, & cibo cœleſti*. Dum audis Divini conſortii fruitionem, ne intelligas ipſis conceſſam eſſe viſionem intuitivam Dei, ſed ſingularem quandam perfectionem Divinæ contemplationis, ac

ac dilectionis; *Neque enim arbitrandum est*, inquit Augustin. lib.9. Gen. ad lit. cap.6., *Eliam, vel sic jam esse, sicut erunt Sancti, quando peracto operis die denarium accepturi sunt, vel sic, quemadmodum sunt homines, qui ex ista vita nondum emigrarunt. Jam itaque aliquid melius habet, quamvis nondum habeat, quod ex hac vita recte gesta in finem habiturus sit*. Et Bernardus serm.6. de ascens. Domini ait: *Felices viri illi, per quos divina ascensio legitur præsignata. Enoch raptus; translatus Elias, felices plane, qui soli jam Deo vivunt, soli vacant intelligendo, diligendo*. Quare autem Deum intuitive non videant, ex eo declarari potest, quod uterque reservatur aliquando moriturus, non igitur habent gloriam animæ, & corporis immortalitatem, cum hæc, quando alicui conceditur, perpetuo duratura conceedatur, neque sine auctoritate, & exemplo novum hoc miraculum nobis licet excogitare. Cum animæ gloria conjunctum fuisse corpus passibile, ac mortale, soli Christum donatum fuit, & quanvis aliqui Patres senserint, Paulo, & Moysi visionem beatam adhuc in mortali corpore peregrinantibus concessam fuisse, attamen id communior aliorum Patrum sententia negat; & in istis majus esset miraculum, cum illis ad summum ad breve tempus id datum fuerit, istis vero pro tempore tam diuturno daretur. Hæc igitur erit usque ad Statutum à Deo tempus eorum vitæ felicitas ut sint in bono, & in gratia confirmati, nulla ipsorum corporum sit corruptio, alteratio, mutatio, animæque grvamen, pluribus vero consolationibus, divinisque illustrationibus gaudeant, & recreentur, quibus fiet, ut propter intuitivæ visionis absentiam nullam angustiam sentiant, præsertim cum sciant ad quod munus pro Dei gloria, & electorum subsidio à Deo reservantur.

46. Si vero quis peteret, in quem locum rapti, translatique sint, nonnisi dubia ac incerta respondere permittimur. Cyprian. in lib. de Montibus Sina & Sion, *Translatus est*, inquit, *Enoch ubi Deus scit*. Patres communiter, eo quod Ecclesiast.44. de Enoch legatur, *translatus in Paradisum* existimant hoc de Paradiso terrestri; ita expresse Irenæus lib.5. contra hæres. cap.5. juxta traditionem Presbyterorum Asiæ, qui id ab Apostolis, ut ipse inquit, acceperunt. Justin. Martyr. q.85. ad Orthodox. Ambr. in epist. ad Pammach. ubi vocat illos *Paradisi Colonos*. August. de peccat. meritis lib.1. cap.3. & expressius Isidorus lib. de vita & obitu Sanctorum cap.3. sic effatur. *Enoch septimus ab Adam, mortis ignarus, meruit in eum locum transferri, unde fuerat protoplastes expulsus, scilicet, in æqualem habitationem beatæ vitæ, manet autem hactenus in corpore, in consummatione mundi restituetur cum Elia ad mortalis vitæ conditionem*. Sententiam hanc amplexi sunt etiam plures Scholastici cum S. Th.1. p. q.102. art.2. in 2. dist.29. q. unica art.5. & aliis in locis, ubi probabile putat, per lignum vitæ fore conservandos. Sed quanvis Paradisi nomen in Scriptura adhibeatur, attamen accipiendum esse locum illum, in quo fuit, & peccavit Adam, non tam facile concedam; significari enim locum quemdam amenum ac jucundum ex primæva, ac usitata illius vocis usurpatione neminem latet, si perpendatur quod legitur Cantic. 4. *Emissiones tuæ Paradisus*. Quare Gregorius Magnus hom.29. in Evangel. & Rupert. lib.3. de Trinit. & ejus operibus cap.23. asserunt, collocatos esse in aliqua secreta terræ regione, in qua ingenti, suavique carnis ac spiritus quiete ac tranquillitate fruerentur. Adde etiam, probabilissimam sententiam esse, quam defendunt Genebrard. lib.1. Chonograph. in prima ætate, Oleast. in cap.2. Genes. Jansen. in concord. Evangel. cap.143. & Perer. lib.3. in Gen. disp.1. q.4. terrenum Paradisum aquis diluvii periisse; ex quibus Enoch & Eliam in hoc esse, ac vivere susti-

sustineri non potest. Est propterea aliorum opinio, qui dixerunt, fuisse translatos in quemdam locum cœlestem omni terræ loco Superiorem, atque hoc videntur innuere Hieron. in Amos.9. & Ambros. lib. de Paradiso cap.3. necnon Dorethæus in Synopsi. Hisce igitur inhærentes nihil certi possumus legentibus exhibere, atque nimium excessit Sixtus Senensis lib.5. Bibliot. annot.36. dicens, negare, Enoch & Eliam in terrestri Paradiso degere, Fidei regulis esse contrarium, quod non est ausus facere August., qui lib.2. de peccato originali cap.23. asserit, ad Fidei dogmata hanc quæstionem nequaquam spectare. Hoc unum certum est, Deo non deesse modum, quo unumquemque beate ac feliciter, etiam præter sui intuitivam visionem, pro Statuto à se tempore vivere faciat.

47. Venient igitur hi duo viri, tanquam duæ olivæ, & tanquam duo candelabra in conspectu Dei, ut loquitur Joan. Apocalyp. 11. atque contra falsam Antichristi doctrinam populis prædicabunt *amicti saccis dies mille ducentis sexaginta*. Capitali quidem odio Antichristus illos persequetur, at non prævalebit, nisi, permittente Deo, sub finem persequutionis, quo fiet, ut ab ipso interficiantur, & eorum corpora jaceant in plateis Jerusalem per tres dies ac dimidium, ut colligitur ex eodem capite Apocalyp. quibus elapsis resurgent, & omnibus stupentibus ad cœlum rapientur, audita prius de sursum voce dicente: *Ascendite huc*,

48. Utrum vero præter Enoch, & Eliam, alii secundi Domini adventus venturi sint præcursores, non est res tam certa apud Sacros Scriptores. Victorinus exponens cap.11. Apocalyp. asseruit, venturum esse Jeremiam, atque id colligit ex illis ejusdem Ieremiæ verbis cap.1. *Antequam exires de vulva, sanctificavi te, & prophetam in gentibus dedi te*. Quapropter cum nondum hæc vera facta sint, quia Ieremias nunquam gentibus prophetavit, sequitur, id ante judicii diem perficiendum esse. Addit laudatus Doctor, Ieremiam adhuc vivere, cum ejus mors nullibi in Scriptura memoretur. Sed primum leve est, nam imprimis dici potest, etiam in Ægypto & Babylonia per Baruch discipulum & Scribam suum prophetasse, immo etiam per se ipsum in epistola, quam scripsit ad Iudæos, qui in Babylonia detinebantur. Secundo; an non prædixit Ieremias non solum exitium Iudæorum, sed etiam Ægyptiorum, Moabitarum, Ammonitarum, Philistinorum, & Caldæorum? Hi autem omnes erant ex gentibus. Levius autem est secundum, Scriptura non dicit, Ieremiam esse mortuum, ergo mortuus non est? si quis hanc illationem concederet, quot alios adhuc vivere deberet concedere; quorum mortis nulla mentio fit in Scripturis. Epiphan. tamen lib. de vita & interitu prophetarum, Isidor. de vita & morte Sanct. inquiunt, mortuum esse lapidibus obrutum in Ægypto, ibique sepulchrum ejus magno in honore fuisse habitum.

49. Hilarius can. 20. in Matt. prædictam rejiciens opinionem, aliam tradidit, & inquiens, Moysem adhuc vivere, hunc affirmat esse venturum, quæ etiam fuit sententia Ioachimi Abbatis in suis Commentariis in Apocalyp. & Catharini in 3. Gen. Gagnejus vero, etsi concedat, mortuum fuisse, attamen, inquit, eo tempore fore ad vitam revocandum. Fundamentum Hilarii est, quia sicut Moyses fuit testis in transfiguratione, ita erit in sæculi consummatione; Fundamentum Gagnei est, quia sicut, quanvis mortuus, fuit ad vitam revocatus, ut primi adventus Christi testimonium præberet, ita ad prænuntiandum secundum Christi adventum ex mortuis excitabitur. Huic dicendi modo favere videtur, quod legitur Apocalyp. 11. *Potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga*; quod cum fecerit Moyses in Ægypto, videtur Ioan-

nes hisce verbis voluisse Moysen significare.

50. Est nihilominus hoc etiam reprobandum; Si Hilarii rationem perpendamus, est omnino contraria Scripturæ, in qua habemus, Moysen & mortuum, & sepultum esse, ut narratur in libro Numer. cap. 34. Unde ejus anima tunc in sinu Abrahę recepta fuit,& nunc cœlesti gloria perfruitur; Cur igitur sine aliqua Scripturæ auctoritate illam iterum mortali corpori uniendam affirmabimus? Quod vero in Christi transfiguratione apparuerit, non inde fieri potest argumentum ante judicium esse venturum, alioquin dices, venturos esse etiam tres discipulos, ante quos transfiguratus est Jesus. Tandem, miracula, quæ facta fuerunt in Ægypto per Moysen, fient ab aliis, quibus similem Deus potestatem concedet, & hoc indicant verba Apocalypsis. Fortasse, si probari posset, ipsum mortuum non fuisse, argumentum convinceret, atque id, quod de Elia diximus, de Moyse posset affirmari.

51. Majus dubium promoveri potest de Joanne Evangelista. Qua in re docuerunt Hippolitus in orat. de consum. Sæculi, & Ambrosius Catharinus in secundum cap. Geneseos; Joannem venturum esse una simul cum Enoch, & Elia. Sententiæ hujus non unum tantum est momentum; Primum est, quia nondum Joannes mortuus est, ut plures eruditi, Sanctique Viri arbitrati sunt, perpendentes illa verba Christi Domini Joan. ult. *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te*? Et alia Luc. 9. *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in regno suo*. Ita locum hunc intellexerunt Ambros. lib. 7. in Luc. Damascen. in orat. de Transfigurat. Simeon Metaphr. in Vita Joan. Sabellic. lib. 1. de memorabilibus factis; Si autem mortuus non est, aliquando est moriturus, non enim excipiendus est ab illa lege, *statutum est hominibus semel mori*, ad Hebr. 9. ergo & aliquando in mundum rediturus. Secundum momentum est, quia, quemadmodum tres fuerunt leges, naturæ videlicet, Mosayca, & Evangelica, ita congruum est, tres contra Antichristum esse testes & prædicatores præcipuos; Pro lege naturæ Enoch, qui in ea vixit; Pro Mosayca Elias, qui pro ea adeo zelatus est; Pro Evangelica Joannes, qui illam Divinis eloquiis ac scriptis per totum Orbem diffudit. Tertium momentum est, quia cap. 10. Apocalyp. dictum fuit ab Angelo Joanni. *Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis*, cum igitur hoc nondum adimpletum sit, remanet adimplendum, quo autem tempore, nisi imminente mundi fine? Tandem. Christus Matt. 20. ipsi, ac fratri dixit: *Calicem meum bibetis*. Quod ex Chrysost. hom. 66. de martyrio, ac violenta morte explicatur, atqui Joannes calicem hunc non bibit, quia Martyr non occubuit, ergo, ne Christi verba sint falsa, aliquando Martyr occumbet.

52. Hujusmodi tamen opinio tanquam parum probabilis existimanda est. Joannem enim revera mortuum non esse, quanvis ab aliquibus tradatur tanquam probabile, attamen communissima tam historicorum, quàm Patrum mens & doctrina est in oppositum. Eusebius lib. 3. Historiæ cap. 31. affert verba Polycratis, qui fuit Apostolorum Discipulus, in ep. ad Victorem Papam, & sunt ista. *In Asia præclara nostræ Religionis tanquam seminaria morte consopita sunt, quæ resuscitabuntur in extremo die adventus Domini; His accedit Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, qui Sacerdos, Martyr, & Doctor fuit, & Ephesi etiam obdormivit*. Idem asserit Niceph. lib. 1. Histor. cap. 35. Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiast. de ipso ait: *Confectus senio sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuus juxta eandem urbem sepultus est*. Tertull. lib. de Anima cap. 50. inquit: *Obiit & Joannes, quem in adventum Domini perman-*

surum frustra fuerat spes. In eandem sententiam devenerunt August. serm. 549. de tempore, Beda, Theophil., Euthimius, alii sexcenti; & Ambrosius, adductus pro contraria opinione, in lib. de Fide Resurrect., hæc dicit: *Neque quisquam sibi, ut sic maneret, optavit; Joanni promissum æstimatum est, sed non est, creditum; verba tenemus, sententiam derivamus, ipse in libro negat sibi, quod non moreretur, esse promissum, ne quem vana spes exemplo incessferet*. Neque vero ex verbis Christi contrarium quidpiam potest desumi, quæ quidem diversis modis fuerunt à Doctoribus Sanctis exposita. Theophil. inquit, Christum Dominum, per illud *donec veniam* non significasse suum secundum adventum ad judicium, sed adventum faciendum per vindictam contra Jerusalem, quæ vindicta tunc completa fuit, quando à Romanis fuit subversa, atque ideo hanc à Joanne videndam, priusquam moreretur, ut revera factum est. Chrysost. & Cyrillus existimarunt, ibi revera sermonem fuisse de secundo adventu Christi, attamen nihil Christum affirmasse, sed solum dixisse Petro, ipsum interrogando conditionatè, idest, si volo sic eum manere, quid ad te? ut hoc pacto ejus compesceret curiositatem. Augustinus vero, quem sequuntur Beda, & S. Thom. explicat, Christum solum asseruisse, Joannem non esse futurum sui Sectatorem per crucis, vel martyrii mortem, atque ita dixisse, *sic eum volo manere donec veniam*. Scilicet donec ipsum ad me recipiam; Venit quippe Christus, quotiescumque aliquis moritur, juxta illud, *qua hora non putatis filius hominis veniet*.

53. Cœterum, præter dicta, Ioannem revera mortuum esse, pluribus aliis confirmari potest. In Ephes. Concil. tom. 3. cap. 3. leguntur hæc verba: *Sacras Sanctorum, triumphatorumque Martyrum, maxime vero beatissimi Joannis Theologi, ac Evangelistæ reliquias visendi, easdemque videndi desiderio flagrant*. Et Cœlestinus Papa in epist. ad Synod. Ephesinam scribit. *Ante omnia vos præcipue considerare iterum, atque iterum recolere decet, quibus Joannes Apostolus prædicavit, cujus reliquias præsentes honoratis*. Quæ dici nequaquam potuissent, nisi Ioannes mortuus esset; Ipsa etiam Universalis Ecclesia id confirmat; cum festum ipsius solemniter celebret; quod profecto non agit, nisi illis obsequium tribuendo, quos aulæ cœlestis incolas, beatæque visionis participes noscit, & credit.

54. Secundum momentum nihil probat, nam plures tunc erunt, qui evangelium testabuntur, quin Ioannis præsentia requiratur. Quantum ad tertium; vel innuitur, alias visiones propheticas ab Ioanne habendas esse; præter illas, quas usque ad illud tempus habuerat; vel ab ipso, postquam scripserat Apocalypsim, scribendum fore Evangelium, per quod pluribus Regibus, Populis, & Gentibus prædicaret, æternum, idest, usque ad Ecclesiæ finem, prædicaturus. Quartum optime servatur, ut ait S. Hieronymus expendens illa verba; Fuit enim in ferventis olei dolio, in quo etsi mortuus non fuerit, attamen naturaliter mori debebat; Hac de re etiam Martyr appellatur, non solum enim Martyres illi, qui violentam mortem patiuntur pro Christo, sed illi etiam, qui exilia, carceres, & flagella propter Christum sustinent, ut ait Euthim. cap. 43. in Matt.

§. IV.

De aliis nonnullis diem judicii antecedentibus.

55. Divino Christi Domini imperio iniquissimo homine occiso, non continuo mundi finis, sed adhuc supererunt dies quadraginta quinque atque hoc est, quod colligitur ex prophetia Danielis cap. 12. ubi legitur: *A tempore cum ablatum fuerit juge* *sa-*

sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti & nonaginta; Beatus qui expectat & pervenit usque ad dies mille trecentos trintaginta quinque. Hoc porro ab omnibus Doctoribus rem hanc pertractantibus conceditur, nec aliquis, quem viderim, in dubium revocat. Quare post Antichristi persecutionem hoc temporis spatium voluerit Deus concedere, solius Dei scientiæ est, inquit Hieronymus, nisi forte, ut idem addit, per eos dies, occiso jam Antichristo, dilatio Regni Sanctorum patientiæ eorum futura sit comprobatio. Ego quidem, quidquid alii dixerint, existimo cum Lyrano, id temporis summa Dei clementia concessum iri, ad agendam pœnitentiam, iis qui vel per ignorantiam, vel carnis infirmitatem Antichristo consenserant; quamvis omnes revera, qui tunc erunt, neque pœnitentiam agent, neque ad fidem convertentur, sed multos in nequitia sua permanentes repentinus Christi adventus, & mundi interitus opprimet, non secus, quam diluvium, eos, qui fuerunt tempore Noe, quo exemplo utitur Christus Mat. 24. dicens: *Sicut in diebus Noe, ita & erit adventus Filii hominis, sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes usque ad cum diem, quo intravit Noe in arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium & tulit omnes, ita erit & adventus Filii hominis. Tunc erunt duo in agro, unus assumetur, & unus relinquetur &c.* atque idem dicit Luc. 17. quod & scripsit Paulus in 1. ad Thessalonic. cap. 5.

56. Atque hic consurgit quæstio, quam prorsus præterire non possum; Videlicet, an in mundi fine omnes Iudæi ad fidem sint convertendi.

In hac re prius tanquam certum existimo, ante judicii diem in toto Orbe Evangelium esse prædicandum, ita ut nemo futurus sit, qui vel immediate, vel mediate illud non sit auditurus, nec excusari poterit, se non audiisse; Verba Christi hoc suadent Matt. 24. dicentis: *Prædicabitur hoc Evangelium in universo Orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veneritt consummatio.* Nullum autem argumentum hoc esset, nisi de prædicatione in omnibus mundi partibus foret intelligendum. Optime totum hoc probat Sanctus Augustinus pluribus in locis ex illis veteris testamenti locis, in quibus omnium gentium, ac nationum possessio ac veneratio Christo reperitur promissa; notum est quod legitur ps. 71. *Dominabitur à Mari usque ad Mare, & à Flumine usque ad terminos Orbis Terrarum.* Notum illud Sophoniæ 2. *Et adorabunt eum omnes loco suo, omnes insulæ gentium.* Notum illud Malachiæ 1. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oratio munda.* Quæ cum nondum completa sint, remanent procul dubio ante mundi finem complenda; Qua de re tunc fiet unus Pastor, & unum ovile, quia nulla erit tam barbara natio, ad quam evangelium non perveniat, & quæ evangelium per aliquos sui incolas, immo & per plures non recipiat aut non receperit; sicut modo in illis locis contingit, in quibus Evangelii prædicandi datur facultas.

57. Non defuerunt tamen aliqui etiam ex Sanctis Patribus, qui dixerint pro universo orbe intelligi plurimas orbis partes, non tamen singulas, ita ut per Synecdochen id dictum sit; sicut etiam & Paulus ad Rom. 10. afferens verba psal. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum*, loquutus est, & ad Colos. 1. de de verbo Evangelii inquit, *quod pervenit ad vos, & in universo mundo est, & fructificat.* In quo sensu etiam est illud Luc. 2. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*, quibus verbis innuitur tantum illa pars mundi, quæ Romano parebat imperio. Hujusmodi loquutiones aliquando totum pro parte significare posse, non inficior; attamen in re nostra stricte sumendas esse ex eo colligimus, quod Christus ita respon-

spondens Apostolis, non solum eversionis Jerosolymitanæ, sed totius mundi signum voluit exhibere, alioquin cum illa jam evenerit, antequam ubique terrarum prædicatum fuerit Evangelium, verba Christi non fuissent vera; & quod dicitur de loquutione Pauli, hunc ita dixisse more prophetico, ita ut quod futurum est, tanquam præteritum pronuntiaverit, testatur Augustinus illum locum exponens. Potest autem hoc ex illo evinci, quod utitur verbis Psalmistæ, ita ut quod David juxta litteram dixerat de cœlis omnino per universum orbem gloriam Dei prædicantibus, hoc ipse in sensu mystico dixerit de Apostolis, eorumque successoribus, quibus in ipsis Apostolis dictum fuit, *Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ* Matt. ultimo; dicebatur autem Evangelium esse in universo orbe, & fructificare, in aliquo quidem loco actu, in aliis vero virtute, ut jam inciperet esse, ac fructificare, deinde crescere deberet ac paulatim extendi, donec tandem ad singulas mundi partes perveniret.

58. Sed quantum ad quæstionem propositam; Omnium Iudæorum futuram esse, tunc temporis conversionem, per illa verba undecimi capitis epistolæ ad Romanos; *Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret*, videtur Paul. indicare; quod tradit etiam Chrysost. hom. 19. in epist. ad Romanos explanans illa verba ejusdem capitis. *Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum, divitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum*; ubi ait: *Non dixit Paulus, quanto magis conversio, vel correctio ipsorum, sed quanto magis plenitudo ipsorum, hoc est, quando universi ad fidem accessuri sunt*. Hoc docuit etiam Augustinus in lib. 20. de Civit. cap. 29. indefinite dicens, Iudæos in fine sæculi in Christum esse credituros, En verba præclarissimi Doctoris. *Per Eliam, exposita sibi lege, ultimo tempore ante judicium, Judæos in Christum verum esse credituros, celeberrimum est in sermone, cordibusque fidelium*.

59. Nihilo tamen minus id de omnibus Iudæis affirmari non posse, sed dumtaxat de multis, existimo, atque ita fore verba Pauli exponenda, tanta enim erit ejus Populi credentium multitudo, ut propter non credentium paucitatem, omnis Hebræus populus crediturus dici possit, quæ est in Scripturæ Sacræ loquutionibus consuetudo, sicut cum dixit Christus Mat. 17. *Elias quidem veniet, & restituet omnia*. Et Paulus supra, *tunc omnis Israel salvus erit*. Constat enim hoc de omnibus Iudæis dici non posse, nisi vel omnes, qui tunc erunt, futuri sint prædestinati, vel falsum sit, quod dixit Daniel cap. 11. *In tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit in libro vitæ*. Tunc igitur, Eliæ prædicatione aliorumque veri Dei cultorum, in sui duritie emollientur Hebræorum corda; deceptos quippe se agnoscent ab Antichristo, qui non Deum adorandum, sed semetipsum in templo proposuerat, & Deus speciali gratia cœcas ipsorum mentes illuminabit. Juxta sensum nostrum loquutus est Hilarius can. 26. in Matt. dicens, *sicut pars Judæorum per Apostolos credidit, ita est credituraper Eliam*. Et Oecum. ad Rom. 11. inquiens. *Vere omnis Israel salvus erit, idest, plures quidem avertentur à peccatis, & convertentur ad ipsum*.

60. Aliam etiam quæstionem promovere placet, an nimirum, unum ex signis, proxime præcedentibus Antichristi adventum, seu mundi finem, futurum sit excidium Romani imperii, atque Romanæ civitatis eversio.

Id communissime à Sanctis Patribus traditum est; atque hoc ex duobus Scripturæ textibus evinci posse videtur; Primus est, qui legitur in posteriori epistola ad Thessalonic. cap. 2. *Nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis &c.*

Se-

Secundus, qui desumitur ex Danielis cap.7. ubi Romanum imperium in decem cornua, ideſt regna, diviſum affirmatur, quæ deinde regna ab Antichriſto in ſuam poteſtatem redigenda eſſe deſcribuntur. Quanquam, ut verum fatear, ex iſtis nihil certi concludi poſſit, nam per diſceſſionem potius intelligi deberet receſſus à fide, & à ſpirituali imperio Romani Pontificis, atque per illam indicatur quidem ejuſdem diviſio, non tamen extinctio, cum certum ſit, diviſionem illam ante multa tempora factam eſſe, vel cum Orientis imperium à Turcis occupatum eſt, vel cum à Gothis & Vandalis cum ipſius Urbis Romanæ direptione fuit imperium occidentale devaſtatum, ut ſcribunt Blondus decade 1., & Sabellicus Æneid. 7. lib.9. Pariter per verba Danielis tantum diviſio indicatur, qua in re nihil novi, cum noſtris etiam temporibus videatur; & quamvis ex illis aliquid certius haberi poſſet, attamen verba Apocalypſ. cap.17. potius innuunt, decem illos Reges poſt Antichriſtum futuros eſſe, dicitur enim; Decem cornua, quæ vidiſti, decem Reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam Reges una hora accipient poſt beſtiam; & infra de illis legitur, *habebunt odio, & perſequentur Romanam Urbem*.

61. Id, quod pro certo haberi poteſt, illud eſt, quod Romanum imperium ferme uſque ad finem mundi ſit permanſurum, idcirco ipſius defectus mundi finis erit indicium; Hoc alio pacto demonſtrare non poſſum, quam eorum dicta proferendo, quos eruditos tenuit antiquitas, nec ſine temeritatis nota aliquis noſtrorum temporum reſpueret. Hoc dixit Hieronymus. Inter autem Eccleſiaſtios Scriptores expreſſius loquuti ſunt Lactantius, & Tertullianus. Primus lib. 7. cap. 15. poſtquam dixerit, in fine mundi futura eſſe prælia, nec non ſeditiones, inquit. *Vaſtitatis, ac confuſionis hæc erit cauſa, quo Romanum nomen, quo nunc regitur orbis, tolletur de terra, & imperium in Aſia revertetur, ac rurſus Oriens dominabitur, & Occidens ſerviet*. Et cap. 25. hoc ex veteri traditione acceptum eſſe, teſtatur. Secundus vero in apolog. cap. 32. ait: *Orent fideles pro ſtatu imperii, rebuſque Romanis propter vim maximam univerſo orbi imminentem, ipſamque clauſulam ſæculi, acerbitates horrendas comminantem*. Et in lib. ad Scapulam cap.2. *Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, quem ſciens à Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, ut & ipſum diligat, & revereatur, & honoret, & ſalvum velit cum toto Romano imperio, quouſque ſæculum ſtabit, tandiu enim ſtabit*.

62. Hac de re videant, qui Romano imperio ſe reddunt infenſos, quantum ſibi, ſuis, totique univerſo nocere moliantur, ſi quis illud evertere, ac diſſipare contendat, præcurſor ſit Antichriſti, atque huic faciliorem viam parat, atque celeriorem. Nunc Romanorum Imperator eſt Carolus VI. Auſtriacus, Leopoldi I. Filius; Patrem memoravi, cujus anima in benedictione eſt, cujus in Eccleſiam amorem, pro fide zelum, pro tota Catholica Religione ſtudium apud Hiſtoricos legent, qui propriis auribus non audierunt; Plura quidem ſcripta ſunt, audita plura; ſed multa majora, quæ fecit. Filium memoravi, & quanvis cum Auſtriacum, & Leopoldi filium dixerim, ſatis dixiſſe exiſtimaverim, attamen ſcias, longe lateque diffuſo imperio ſuo, ipſum mente & animo fuiſſe atque eſſe longe majorem. In hoc tantummodo heroicam ejus virtutem non prædicabo, quod cum virtutes, ſi ad tam excellentem gradum pervenerint, connectantur, in Carolo videantur contendere, ut quænam major ſit, etiam poſt diuturnam trutinam definiri non poſſit. Fortitudinem in adverſis, in proſperis temperantiam, in hoſtes clementiam, in ſubditos amorem, in omnes liberalitatem, ac munificentiam reperies; intemeratam juſtitiam, pe-

petuam vigilantiam, sedulam curam, integerrimam religionem admirari possum, satis laudare non possum. Diu, & si fieri posset, perenniter vivas Imperator Augustissime; atque Deus optimus Maximus faxit, tandiu in tuis Romanorum maneat imperium, quandiu, statuto à Deo tempore mundi fine, mundus ipse manebit.

63. Quantum vero ad Urbem Romæ, Apocalyp. 17. ubi per mulierem fornicariam, ac purpuratam, sedentem super bestiam coccineam, Roma describitur, & subditur, decem cornua idest decem Reges desolatam illam facturos, atque carnem ejus manducaturos, donec ipsam igne cremaverint, hanc in fine sæculi evertendam esse, demonstrari posse videtur; hanc enim esse Romanam Urbem, si posteriora perpendantur, manifestum apparet; ista sunt. *Et mulier, quam vidisti, est Civitas magna, quæ habet Regnum super Reges terræ.* Quæ autem hujusmodi Civitas, nisi Roma, quæ totum Orbem, si qua unquam fuit, suó subditum fecit Imperio? sequitur. *Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet.* Nullam etiam Civitatem legi super septem montes, idest colles positam, præter Romam; de qua re plura ferri possent ex profanis Historicis, atque Poetis, quæ tamen à Viro Theologo prætermittuntur. Hoc autem totum à pluribus Patribus exponitur, præsertim à Sancto Hieronymo epist. 17. ad Marcellam nomine Paulæ, & Eustochii, & lib. 2. contra Jovinian. in fine, ubi hæc scribit. *Ad te loquor, quæ scriptum in fronte blasphemiam Christi confessione delesti, Urbs potens, Urbs Orbis domina, Urbs Apostoli voce laudata, &c.* Quæ tamen, si dicta sic intelligantur, ita de Roma debent considerari, ut hæc prius à Romani Pontificis & Ecclesiæ Fide sit recessura. Quanquam, si, cum S. Augustino, & S. Prospero loqui velimus, expositionem illam acceptemus, necesse non est; primus enim per mulierem fornicariam totum mundum intelligit, in quo ædificata est Babylon impiorum Civitas, & super septem montes fundata dicitur, videlicet super Reges superbos. Ita pluribus in locis, præsertim vero in lib. 14. de Civit. cap. ultimo, & lib. 18. cap. 18. Secundus vero in dimidio temporis cap. 7. hæc habet expressius. *Nec eam uno loco existimas Civitatem, quæ toto est sparsa in Orbe, de qua dicit & Propheta David, Filia Babylonis misera.* Hoc idem reperies in Ambrosio, Beda, Ruper. aliisque in cap. 17.

64. Celebris tamen est Lactantii sententia, ex qua, Romanæ Urbis excidium futurum esse sub mundi fine, atque ideo proximi judicii finalis signum, ostendi posset. Verba ejusdem sunt ista lib. 7. cap. 25. *Etiam res ipsa declarat, lapsum, ruinamque rerum brevi fore. Nisi quod incolumi Urbe Roma, nihil istiusmodi videtur esse metuendum; At vero cum caput illud Orbis exciderit, quis dubitet, venisse jam finem rebus humanis, orbique terrarum? illa enim est Civitas, quæ sustentat omnia; precandusque nobis, & adorandus Deus Cæli, si tamen Statuta ejus, & placita differri possunt, ne citius, quam putamus, Tyrannus ille abominandus veniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cujus interim mundus ipse lapsurus est.* Dictum hoc risu esse accipiendum, adnotat Pammel. in scholiis lib. Tertul. ad scapulam num. 10. atque ipsi libenter assentior, nisi fortasse pro Roma Imperium Romanum intellexerit; etenim pro destructione Civitatis Romæ vel destrui dicitur Imperium Romanum, & hoc falsò affirmatur, nam licet mutetur Sedes Imperii, Imperium tamen neque tollitur, neque extinguitur; vel dicitur destrui Romanam Ecclesiam, & hoc neque; etenim licet destrueretur Roma, & qui nunc Romanus est Episcopus in remotissimis terræ partibus moraretur, vel etiam in speluncis; adhuc esset totius Ecclesiæ caput, atque

atque Ecclesia perseveraret; atque ideo, vel ex eversione, vel ex duratione Romæ neque mundi finis, neque diuturnior persistentia potest inferri.

65. Dum hæc scribo, jam ex epistola mea nuncupatoria intelligere potes, CLEMENTEM XII. ex Nobilissima Corsinorum Gente, cujus tot Heroes, quot germina, inter quos Nerius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, ac Bartholomæus Pro-Rex Siciliæ insignioribus virtutibus, ac summa laude resplendent, in Petri Cathedra ut Christi Vicarium meritis omnibus cumulatissimum sedere. Hic inter plurima, ne dicam innumera, magnifice gesta, adeo Palatiorum, Fontium, Ecclesiarum Ædificiis ac ornamentis Urbem ditavit, & auxit, ut non solum eloquio describi, sed neque nationum omnium admiratione percipi possit; certe, si quo titulo Roma cum mundo toto persistentiam sibi vindicat, hic præcipuus erit, quod opera, quæ sub CLEMENTE XII. ejus studio, authoritate, ac sumptibus incæpta, ac magnifice completa conspicimus, usque ad sæculi consumationem integra servari merentur. Quod si aliter immutabili Dei Decreto Statutum fuerit, quod ignoramus, nomen tuum tamen Beatissime Pater, tuarumque virtutum fama, non nisi linguis hominum desinentibus, conticescet.

66 Quæ dicta sunt, non nisi cum magna probabilitate affirmari possunt, aliqua tamen alia signa non deerunt, mundi finem præcedentia, de quibus haud quaquam possumus dubitare, cum in Scripturis Sacris veteris, ac novi Testamenti etiam per os Christi prædicta sint. Joelis 2. legitur. *Et dabo prodigia in Cælo & in terra, Sanguinem & ignem, & vaporem fumi, Sol convertetur in tenebras, & Luna in Sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Matt.24. *Consurget gens in gentem, & Regnum in Regnum, & erunt pestilentiæ & fames, & terræmotus per loca &c. Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, et Stellæ cadent de Cælo, et virtutes Cælorum commovebuntur etc.* De quibus signis nihil à nobis dicendum esse existimamus, cum loquutio apertissima sit, nec nisi inutiles expositiones possent proferri.

CAPUT II.

De secundo Christi adventu ad Universale Judicium.

1. Judæi perperam & impie primum Christi adventum in carne negantes, atque Messiam frustranea, ac fallari spe adhuc expectantes, hunc Christi secundum adventum ad judicium universale consectarie rejiciunt; sed neque defuerunt Hæretici, quos Guido Carmelita Albanenses appellat, qui judicium hoc futurum esse, refragati sunt. Hac de re à nobis in præsentiarum de secundo Christi adventu ad universale judicium agendum est, & tria inquiremus in duobus paragraphis. Primum, an hujusmodi judicium futurum sit à Christo iterum in mundum venturo. Secundum, quo loco, ac tempore peragendum erit.

§. I.

An Judicium Universale futurum sit, & Christus ad judicandum venturus sit in mundum.

2. UT præmonui, judicium universale futurum esse, negarunt quidam, atque hoc etiam temporibus antiquioribus S. Hilarii, & Augustini, ut adnotat primus in psal.1. & secundus de agone christiano cap.27. Hujus erroris fundamenta esse poterant, quia statim post mortem quilibet judicatur, & vel ad statutas pœnas, vel ad præmium mittitur, & vocatur, vanum est igitur, iterum judicari, præsertim cum Nahum 1. *Deus non judicet bis in idipsum*. Secundo quia; vel homines crediderunt in Deum, vel non, si primum, non judicabuntur, juxta illud Joan.3. *Qui credit in eum, non judicatur*; Si secundum, jam judicium factum est, cum ibidem subdatur, *qui autem non credit, jam judicatus est*. Tertio quia, hoc judicium, si foret expectandum, esset præcipue propter corpora, quæ in generali resurrectione iterum animæ conjungantur, at hoc non est dicendum, nam sicut corpus per se neque est capax meriti, nec demeriti, ita neque sententiæ ad pœnam, vel præmium esse potest subjectum.

3. Est tamen tenendum, quod docet Fides in Symbolo, *& iterum venturus est judicare vivos & mortuos*. Hoc non esset à nobis aliqua ratione demonstrandum, sed satis esset, si Scripturæ testimonia, quibus potissimum nostra Fides initur, produceremus, attamen præter Scripturam, quædam etiam rationes, quæ parvi faciendæ non sunt, non omittentur. Si vetus Testamentum non prætereamus, legitur Soph.1. *Juxta est dies Domini magnus, Dies iræ, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies tubæ, & clangoris*. Malach.4. *dies succensa, quasi caminus, dies Domini magnus, & horribilis, quam ego facio, dicit Dominus exercituum*. In novo autem nihil clarius prænuntiatum. Mat.1. *Dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii*, & 12. *Sodomorum remissius erit in die judicii, & Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista*. Secunda ad Thessalonic.2. *Non cito moveamini, quasi instet dies Domini*. Prima Petri 3. *Igni reservati in die judicii, et perditionis impiorum hominum*. Plura alia in alio loco proferemus.

4. Nunc ad congruentias devenio; quarum prima reduci potest ad manifestationem Divinæ justitiæ, etsi enim Deus ad sui justitiæ perfectionem nullo indigeat hominum testimonio, nullaque aliena cognitione, attamen ad sui honorem pertinet, ut omnibus notum sit, se non fuisse acceptatorem personarum, sed tantummodo meritorum remuneratorem, atque omnibus juxta laborum mensuram mercedem retribuisse, sicut juxta culpas etiam pœnas determinasse. Secundo; congruum erit, publice fieri separationem bonorum, & ovium à malis; & hædis, sicut faciendam esse, narratur Matth. 25. nunc enim boni cum malis permixti sunt, vel ut bonus per malos exerceatur, vel ut malus per bonos convertatur; at neque amplius exerceri poterit bonus, nec malus converti, itaque separentur. Tertio; donec manifestatio fiat, plures juxta hominum existimationem mortui sunt, quorum non manet memoria, nisi turpis, plures vero, quorum memoria celebris est, esto fallaciter; quot ex illis æterna gloria perfruuntur; quot ex istis æternis cruciantur suppliciis? Illorum finalis virtus appareat, horum hypocrisis reveletur, necesse est, non aliter aptius fieri potest, quam per universale judicium, quando innotescent abscondita tenebrarum, & manifestabuntur consilia cordium; maxima sane illorum consolatio, quos sub zeli nomine multorum persequitur falsa religio; maxima

xima vero aliorum confusio, qui sub virtutis specie, pluribus vitiis addictos fuisse, palam convincentur.

5. Quæ sub initio opposita sunt, hic non refelluntur, pendet enim eorum solutio ab iis, quæ dicemus, ubi inquiretur, quinam judicandi sint; interim dicimus, Deum non esse bis judicaturum in idipsum, vel quia suam sententiam sit mutaturus, vel quia eidem culpæ duplicem pœnam sit illaturus, sed ut convenientiori modo sententiam in eum proferat, qui peccavit, ut dictum fuit; & quamvis corpus, secundum se sumptum, non sit capax meriti, vel demeriti, proinde neque pœnæ, neque præmii, attamen capax est, prout est pars totius compositi. *Omnes* enim, ut Paulus ait ad Rom.8. *nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut unusquisque referat propria corporis, prout gessit*.

6. Quantum ad secundum quod in titulo propositum est; Judæi negantes primum Messiæ adventum, secundum etiam credere nequaquam possunt, sed sibi fingunt Messiam quemdam purum hominem, qui temporale Regnum sit obtenturus. Origenes vero tract.34. in Mat. indicat secundum Christi adventum non futurum esse in corpore, sed solummodo in spirituali manifestatione, quam omnium judicandorum mentes concipient; & certe si rei naturam consideremus, potuisset Christus judicis munus obire, atque sententiam proferre, quin tamen de cœlo descenderet.

7. Aliter tamen decrevisse Divinam voluntatem, ita ut Christus corporaliter præsens descendens de Cœlo futurus sit, & venturus ad judicandum, Catholica Fides docet in Symbolo, & ex Scripturis veteris, ac novi Testamenti manifeste traditum est; *Dominus ad judicandum veniet cum senibus populi sui, & cum principibus ejus*. Inquit Isa. cap.3. qui textus, licet à multis exponatur de judicio passivo, scilicet, quo Dominus veniet, non ut judicet, sed ut judicetur, ut evenit in primo adventu, in quo Christus judicatus fuit à Pontio Pilato, ut interpretantur Tertull. lib. de resurrect. carnis cap.20. & Ruffinus in expositione Symboli; à pluribus vero de judicio activo, quod in Judæos prolatum est, & jam exequutioni commissum, cum à Romanis deleti sunt, ut judicat Justin. in Dialogo cum Tryphone, attamen de finali judicio explicatur à Basilio ibidem, à Gregor. lib.1. in Ezechiel. hom.9. & clarius ab Augustino in ps.49. juxta illa verba, *Deus manifeste veniet, & non silebit*. Prioribus verbis similia sunt alia Is.66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus dijudicabit*. Daniel.7. *& ecce in nubibus Cæli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit &c.* Ex novo autem Testamento satis sit producere, quod ait Christus Mat.15. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera sua*. Mat.26. *videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cæli*. Juxta quæ etiam fuit visio Joan. Apocalyp.1. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus &c.* Hoc magis ostendetur, ubi de judiciaria potestate Christi pertractabitur.

8. Quare autem in corporali præsentia venturus sit Christus ad judicandum, inde posset demonstrari, quod si textus Scripturæ, in quibus de secundo adventu Christi est sermo, possent explicari de alio modo, quo judicaturus est, possent etiam illi, in quibus de ejus primo adventu est loquutio, atque sic dicere non prohiberemur, nequaquam re in mundum venisse neque in mundo commoratum esse; qua propter, sicut vera corporali præsentia habitavit in nobis, & à nobis recessit, ita corpo- rali

rali præsentia est redditurus, juxta illud act. 1. *Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in Cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cœlum.*

§. II.

Quo loco et tempore futurum sit Judicium Universale.

4. DIctum fuit, Christum descensurum de Cœlis ad judicandum, superest, inquiramus primo loco, ubi nam judicium hoc complendum sit. Communis Scholasticorum sententia est, futurum esse in Valle Josaphat propter verba Joelis 3. *Congregabo omnes gentes, et educam eos in Vallem Josaphat, et disceptabo cum eis.* Ita S.Th. in 4. dis. 48. q. 1. art. 4. Albert. ibidem; S. Antonin. p. 4. tit. 14. cap. 12. §. 5. Sot. Carthus. Hoc tamen pluribus non placuit asserere, præsertim Alensi 3. pr. q. 25. mem. 2. Ansel. in Elucid. & præ omnibus Magistro sententiarum in 4. dis. 48. lit. D. qui, alios diversimode sentientes, Joelis verba pueriliter intelligere, dicit, & adducit Glossam ejusdem capitis; quare inquiunt, per Vallem indicari terram, quæ comparata Cœlo Vallis dicitur, per Josaphat vero, non significari appellationem cujusdam singularis loci, sed dumtaxat denominationem derivatam à judicio ibi futuro, *Josaphat* enim interpretatur *judicium Domini*. Unde in Caldæa versione non legitur, *in Vallem Josaphat*, sed, *in Vallem divisionis judicii*. Fiet igitur, inquiunt, judicium in terra, sed quis futurus sit iste locus, incertum omnino est; accedit etiam conjecturalis ratio, nam si pro Valle Josaphat accipiatur Vallis illa, quæ inter Jerusalem, & Montem Oliveti jacet, ad tantam hominum multitudinem capiendam inæpta videtur.

10. Non inficior, hanc postremam opinionem probabilem esse, qua de re nihil definiri potest, attamen communis sententia, quæ etiam apud omnes fideles accepta est, & temporis successu omnibus tradita, non debet propterea posthaberi, quin immo præponi, dummodo intelligatur, atque explicetur, sicut intelligi, atque explicari debet. Neque enim ita dicendum est, ut omnes judicandi, & ipse Christus Judex descensuri sint usque ad superficiem terræ, hoc siquidem puerile, atque ridiculum esset, immo & contrarium Paulo dicenti pr. ad Thessalon. 3. Sanctos simul rapiendos esse in nubibus obviam Christo in aera, in quo sensu loquitur Glossa à Magistro adducta; dicit enim *Quia non in terra, sed in spatio hujus aeris sedebit contra locum Montis Oliveti, ex quo ascendit*. Hoc certe conveniens erit summopere, & ex parte Christi, ad cujus dignitatem, majestatemque pertinet, thronum ejus in eminentiori parte positum esse, ut ab omnibus videri possit, & ex parte justorum hominum, quorum corpora ab instanti resurrectionis erunt gloriosa, & agilitatis dote prædita, ita ut terræ superficie, cui innituntur, nequaquam indigebunt; erit igitur Christus, erunt & Sancti in superiori regione Vallis Josaphat, & solum damnatorum corpora super terram erunt, ut judicentur in terra positi, qui terrenis semper bonis adhæserunt. Sumamus itaque Vallem Josaphat, tanquam nomen proprium ac determinatum, neque solum juxta illam interpretationem, idest, Vallis judicii Domini, quæ licet vera sit, attamen est posterior, & tanquam sumpta ab effectu, quia, nimirum, in ea Dominus judicabit, aut si prior, hoc factum est, ut, quod sequturum erat, indicaretur. Si juxta rationem congruam loqui vellimus, ut in hisce rebus debemus, cum demonstrationem, aut definitionem aliquam non possimus proferre, certe Vallis ista, juxta litteralem sensum exposita, ad universale judicium aptissima censenda est; hæc est, ut admonet Beda lib. de Locis Sanctis cap. 6.

cap.6. per quam fluit torrens Cedron, ubi Christi passio suum habuit exordium; hæc est media inter Calvariæ locum, in quo passionis suæ mysterium conclusit Christus, & inter Montem Oliveti, ubi ascensionis suæ gloriam demonstravit, & perpetuo regnaturus ab hominibus sublatus est. Hic itaque Judex sit Christus, ut ex Calvariæ parte vox Sanguinis sui contra suos hostes, ingratosque clamet, ex parte vero Oliveti suos Servos ac Sectatores ad gloriam æternam perducat.

11. Atque ex istis facile rejicimus, quæ fortasse opponerentur; & primo quod dictum fuit, vallem illam omnes homines judicandos continendi capacem non fore; etenim in illius terra erunt tantummodo corpora damnatorum, cum justorum corpora futura sint in aere, atque pro valle Josaphat complectimur etiam montes, & loca finitima, quæ ad ea continenda necessaria erunt, qua de re in eodem Joelis capite legitur: *Dominus de Syon rugiet, & Jerusalem dabit vocem suam.* Dicitur autem absolute judicium futurum esse in valle Josaphat, quia supra ipsam sedem suam collocabit judex, & à præcipua parte denominatur totum; Tantus autem erit Christi splendor, tanta vocis efficacitas, ut ab omnibus etiam remotioribus videri poterit, atque audiri, tanquam si omnibus præsentem loco se faceret. Cur igitur inquies dicitur, ab Angelis separandos esse bonos à malis, illos constituendos esse à dextris, istos à sinistris. Si electi futuri sint in aere, reprobi in terra, jam satis separatio facta est; atque hoc pacto non potest intelligi, quomodo illi ad dexteram sint, alii ad sinistram; sed hoc satis intelligi potest, primo juxta litteram, dicendo partem aeris occupandam ab electis futuram ad dexteram corporis Christi, partem vero terræ occupandam à reprobis futuram ad sinistram; Secundo melius, juxta spiritum, & usum loquendi Scripturæ, dicendo per dexteram significari felicitatem, ac honorem, per sinistram, miseriam, & abjectionem; Hoc indicarunt Hilarius, & Anselmus. Primus can.28. dicens: *in dextera, ac sinistra collocans unumquemque, digna aut bonitatis, aut malitiæ sede constituet.* Secundus in 25. Matt. inquiens; *à dextera, idest in æterna beatitudine, à sinistris, idest in æterna miseria*; & in Elucidar. *ad dexteram, scilicet sursum in gloria, ad sinistram, deorsum in terra.*

12. Nunc ad id, quod ad tempus, quo judicium fiet, progrediendum est. Sentio quidem me in hac reprehendendum esse quod de eo velim sermonem instituere, quod curiosum & vanum hominem declarare potest, scientem vero invenire non potest. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, dixit Christus Act.1. *De die autem illa nemo sit, neque Angeli in cælo &c.* Marci 13. quod etiam in veteris testamenti paginis scriptum invenimus, ideo Malach.3. legitur: *Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare adventum ejus?* & Zach.14. *Et erit in die illa, non erit lux, sed frigus, & gelu, & erit dies una, quæ nota est Domino, non dies, neque nox, & in tempore Vesperi erit lux.* Si quid est, quod à Divina voluntate non pendeat, certe pendent omnia, pendet istius diei determinatio, atque de ea præ omnibus dici potest, tota ratio faciendi est potentia, & voluntas facientis. Propterea Cyrill. Jerosol. catech. 15 inquit: *Tempus nemo curiose inquirat, non est enim nostrum scire tempora, quæ Deus posuit in sua potestate, neque audeas determinare, quando hæc fient.* Aptius in rem hanc scribit Apostolus Paulus 1. ad Thessal. cap.5. *De temporibus autem non opus habetis, ut vobis scribam, ipsi namque scitis diem Domini, ut furem in nocte, ita venturum.* Quare Chrysostom. hom.9. in laudata verba concludit, tam occultum omnibus esse judicii diem, sicut diem mortis.

13. Fortasse inquies; Apostolum & Chry-

Chrysost. loqui de particulari judicio, quod continuo fit post mortem uniuscujusque, non sic de universali, de quo plura habemus argumenta, immo & signa in Evangelio prædicta, ex quibus haud temere aliquid possumus affirmare. Hoc profecto affirmarunt Sancti Patres, quorum hic testimonia præter consuetudinem meam placet afferre. Cyprian. epist. 56. ait: *Scire debetis, ac pro certo credere; & tenere, pressuræ diem super caput esse cœpisse, & occasum sæculi, atque Antichristi tempora appropinquasse*. Ambros. in orat. pro Satyro fratre; *Raptus est, ne totius orbis excidia, mundi finem videret*. Chrysost. hom. 33. in Joan. *Non longe à fine absumus, sed jam mundus properat, hoc bella, hoc afflictiones, hoc terræmotus, hoc extincta charitas significat*. Quid vero non dixit Gregor. Magnus hom. 1. in Evangelia; & lib. 4. Epist. epist. 38. cap. 72.? Quid Bernard. serm. 6. in psal. 90? cœterique Patres, & insignes Divini Verbi concionatores?

14. Verum ex hoc ipso, quod ita loquuti sunt Patres, nullum esse signum, ex quo judicii universalis dies, neque ex conjecturis cognoscantur, satis infertur. Ipsa enim signa, de quibus Christus Mat. 24. *Cum videritis hæc omnia, scitote, quia prope est in januis*, sunt signa æquivoca, & communia, quæ omnibus sæculis, & ipso etiam Ecclesiæ exordio conspecta sunt, & tamen dies illa non advenit; Qua propter ita dixerunt, vel quia mala, quæ præsentia sunt, videntur semper majora, vel quia timorem peccatoribus immittere satagebant, vel quia tempus hoc, æternitati comparatum, hora brevissima dici potest. Mihi summopere placet, quod ait Beda cap. 60. *Cunctis in commune suademus, ut sive quis ex Hebraica veritate, sive ex septuaginta interpretum translatione, sive ex utrisque commixto opere codicibus, ut sibi visum fuerit, temporum cursum notaverit, & sive prolixiora, sive breviora transacti sæculi tempora signaverit, aut signata repererint, nullatenus tamen ex hoc longiora, vel breviora, quæ restant sæculi tempora putet, memor semper Dominicæ sententiæ, de die illa nemo scit*. Ratio autem in hac re efficacissima est, quia judicii dies non erit, quoadusque compleatur numerus prædestinatorum, qui quantus futurus scit, unde quis potest cognoscere, etiam ex aliqua conjectura probabili?

15. Falso propterea, atque omnino dubie ratiocinati sunt quicumque in hac re varia protulerunt, quorum sententias hic breviter subdam. Aliqui opinati sunt, mundi finem longissime distare, non futurum, donec octava sphæra proprio motu perfectam conversionem confecerit; sed perpendendum est, non hominum generationes esse propter motus cœlorum, sed cœlorum motus esse propter hominum generationes, non igitur ex duratione motus inferre debemus hominum generationes, sed ex hominum generationibus debemus inferre motus cœlorum durationem; Aliqui dixerunt, tanto tempore duraturum esse mundum post adventum Christi, quanto duravit ante ejus nativitatem; sed cum Divini Verbi incarnatione peracta, & Christi completa passione, plures salvi fiant, quam antea, potius brevius futurum esse tempus, posset concludi.

16. Celebrior tamen in hac re opinio fuit illorum, qui dixerunt, mundum sex mille annis fore duraturum, quam quidem docuerunt plures ex Patribus, Justin. Martyr. qu. 71. ad Gent. Iræn. lib. 5. adversus hæreses cap. 28. Hilarius can. 17. in Matt. præsertim vero Lactant. lib. 7. Divin. inst. cap. 14., qui etiam refert, hanc opinionem esse apud Ethnicos communem, atque à Sybillis prænuntiatam; Galat. vero lib. 4. c. 20. & Picus Mirandul. lib. 7. Heptabli, Hebræos idem sensisse fatentur, propter quodam oraculum Eliæ, quod in Thalmud, in lib. Sanhedrin. haberi testantur. Argumentum autem, quo laudati Pa-

Patres utuntur, desumitur ex eo, quod sex diebus creatus est mundus, & die septimo requievit ab omni opere, quod Deus patrarat, mille autem anni apud Deum computantur tanquam dies una, igitur durabit mundus sex mille annis, inde adveniet requies diei Sabbathi, quam millenarii dicebant per alios annos mille post judicium duraturam, & quam Catholice loquendo, dicemus esse diem æternitatis, perpetuæque beatitudinis. Hisce sex mille annis addiderunt aliqui alios quingentos, & afferuntur Chrysost. & Cyrill. necnon Hippolytus, sed omnino falsò, cum nihil horum in istorum libris inveniatur, nisi forte quædam commentitiæ paginæ producantur.

17. Si veram supputationem annorum à creatione mundi juxta Hebraicam traditionem, ac Scripturas accipiamus, apertæ falsitatis præfatos Patres convincere non possumus; Cum enim juxta illam Christus natus sit circa quater millesimum annum, nondum illud tempus elapsum est, & adhuc tantum superest, ut possint ea omnia adimpleri, quæ ante judicii diem eventura esse, sunt prædicta; Juxta hæc dicebant antiquiores Hebræi, ut asserit Genebr. in principio Chronologiæ, durationem mundi ita esse sumendam, ut duo millia fuerint inanitatis, idest ante legem, duo millia legis, & duo millia temporis Messiæ; ex quibus Messiam venisse convincerentur.

18. Si autem annorum supputatio sumatur juxta mentem Patrum, qui illa dixerunt, plane ipse rerum eventus illius sententiæ falsitatem demonstrat; Omnes enim illi septuaginta interpretes sunt sequuti, arbitrati autem sunt isti Christum natum esse inchoato jam sexto millenario, ergo jam elapsi sunt plusquam sex mille, & septingenti anni, & tamen adhuc mundus perstitit; Similia etiam leguntur lib. 4. Esdræ cap. 5. 11. & 15., sed adeo vana sunt, ut hoc unum sufficiens causa esset, ut liber ille à canone rejiceretur.

19. Quod vero superius dictum fuit de illo Eliæ oraculo, id omnino ab aliquo Rabino confictum, & illa conjectura desumpta ex sex dierum spatio, quibus condita sunt universa, sine aliquo fundamento transfertur ad sex mille annos; Quod enim mille anni dicantur apud Deum tanquam dies una, æternitatis immobilitas significatur; dici etiam posset per illos sex dies sex mundi ætates indicari, istæ autem æqualem annorum durationem non habent; Firmum igitur sit, quod à nobis statutum est.



CAPUT III.

De Finali Judicio in se inspecto.

§. I.

An potestas omnes judicandi conveniat Christo, ut Deo, vel ut homini.

1. IN hac re dirimenda, quæ alioquin parum consideranda videretur, non modica difficultas nobis subjicitur. De primo Christi adventu dictum est Joan.3. *Non misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*. De secundo autem fatemur, à Filio mundum judicandum fore, ut jam declaratum fuit superius, & ita quidem, ut Joan. 5. legitur: *Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio*. Textus iste controversiæ locum facit, utrum intelligendus sit de Christo, ut Deus est, vel ut homo est. Intelligendum esse de ejusdem Divinitate, plurium Sanctorum Patrum profert auctoritas. Ita Hilar. lib.7. de Trinitat. Athanas. serm. 4. contra Arian. expressius vero Chryſ. Tertullian. & Ambrof. Primus hom. 38. in Evang. sic ait: *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est, nolite mirari hoc, non enim propterea suscepit judicium, quoniam homo est, sed quia ineffabilis Dei filius est, propterea judex est*. Secundus lib. contra Prax. cap. 16. ubi sic dicit: *Omne judicium tradidit filio, à primordio tamen. Omnem enim dicens potestatem, & omne judicium, nullam exceptionem temporis permittit, quia non omnia erunt, si non omnis temporis fuerint, filius itaque est, qui ab initio judicavit*; Tertius lib. 2. de Fide cap. 4. inquiens: *Omne judicium dedit filio, dedit utique generando, non largiendo*. Et profecto Christus Dominus verbis illis Judæis incredulis suam voluit probare Divinitatem, cum enim isti propter id, quod dixerat, acriori odio in eum excandescerent, subdidit. *Amen dico vobis, non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; Quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit*. Quæ verba non nisi de Divinitate possunt intelligi; rursus ait: *Ut omnes honorificent Patrem*.

2. Sed data hujusmodi Patrum explicatione, quo pacto verba illa, Pater non judicat quenquam, veritatem assequentur? Constans est omnium Catholicorum mens; opera externa communia esse toti Trinitati, & exceptis relationibus, quidquid convenit uni personæ, convenit omnibus, licet etiam aliquid uni, non alteri, approprietur; Certe omnipotentia appropriatur Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto, nec tamen in omnipotentia, sapientia, & bonitate est aliqua inter ipsos divisio; Respondere possent; propositionem illam, *Pater non judicat quenquam*, intelligendam non esse per exclusionem filii, idest Pater solus non judicat quenquam, sed judicium, quod spectat ad Patrem, idem etiam communicari Filio, sicut honor, qui tribuitur Patri, tribuitur etiam Filio, juxta verba laudata; *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*.

3. Nihilominus est aliorum expositio, qui textum illum Joan. 5. intelligunt de Christi humanitate, atque hoc ex aliis Scripturæ textibus potest ostendi, ibidem enim legitur, *potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est*. Matt.13. *Tunc mittet filius hominis Angelos suos &c.* 15. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum* An-

Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera sua. 2. ad Corint 5. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi*. In quibus certum est, de Christi humanitate fieri sermonem. Hoc pacto etiam interpretatur August. tract. 21. in Joan. nec non Hieronymus perpendens illa verba Isaiæ 27. *Ecce ego mittam in Sion lapidem probatum, & ponam judicium in pondere*.

4. Ego vero, ut primam & secundam Scripturarum expositionem conciliem.

Dico primo. Christo Domino, secundum humanitatem, datam esse specialem potestatem judicandi per respectum ad æternam beatitudinem, vel damnationem. Hoc innuunt ea, quæ diximus superiori num. 3. quibus addimus duo testimonia, unum Petri, alterum Pauli. Ille act. 10. inquit. *Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo judex vivorum, & mortuorum*. In hoc loco sermonem esse de Christo, ut homine, manifestum est ex contextu, cum ibi disseruerit de morte ac resurrectione ejus, ac de ipso ut mediatore, per quem remissionem peccatorum obtinemus; atque satis esset perpendere verbum illud constitutus, in quo indicatur actio externa. Paulus vero act. 17. dicit de Christo. *In quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis*.

5. Dico 2. Hanc judicandi potestatem, collatam Christi humanitati, non fuisse primariam, sed secundariam, proinde illam ipsi convenisse ut Deo; Hoc probant ea, quæ diximus num. 1., & aperte traditur à Scoto in 4. dis. 48. q. 1. in quo sensu inquiit Christus, *sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis*; Ratio autem est, quia prima ac suprema judicandi potestas ad illum spectat, qui est supremus Rex, ac Legislator, nec non habet supremam auctoritatem in decernendis præmiis vel pœnis; sed hæc non conveniunt Christo, ut homini, ergo. Quapropter sicut humanitas Christi fuit perfecte sub dominio Dei, ita quæcumque potestas humanitati conveniens fuit subordinata Dei potestati.

6. At ita dicendo, videmur, Christo proprie negare judiciariam potestatem, nam nihil plus Christo concedimus, quam promulgare sententiam jam à Deo latam, atque illas pœnas vel præmia exequutioni mandare, quæ jam à Deo fuerunt definita, hoc autem totum judicem aliquem non constituit, ut manifestum est etiam in humanis judiciis.

7. Nequaquam hoc est asserendum. Non enim suprema Dei judicandi potestas adimit Christo veram judicandi potestatem, licet hanc sibi subordinatam efficiat; Certe Christus, ut homo, est verus Rex, habens rerum creaturarum dominium & potestatem condendi leges, certaque media statuendi ad salutem necessaria, quamvis hujusmodi dominium & potestas sint subordinata Regno ac potestati divinitatis, ergo à pari. Optime autem, ut sui moris est, ait Doctor Angelicus in hac re; A Deo, qui est supremus Judex, committi hominibus judiciariam potestatem respectu eorum, qui eorum jurisdictioni subduntur; Unde dicitur Deut. 1. *Quod justum est judicate*, & inde subditur. *Quia Dei est judicium*. Christus autem est caput omnium etiam secundum naturam humanam; Quapropter August. tract. 19. in Joan. post medium explicat testimonium Joannis, *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est* hisce verbis. *Non quidem propter conditionem naturæ, quia omnes homines hujusmodi potestatem haberent; sed hoc pertinet ad gratiam capitis, quam Christus in humana natura accepit*. Ex hisce respondemus dubitationi positæ num. 6. non enim Christus promulgabit sententiam, ut præco recitans id, quod ab alio definitum est, sed revera sententiam faciet sua efficaci voluntate, omnino conformi vo-

voluntati Divinæ, & juxta suam rectissimam cognitionem, qua in judicando præmia & pœnas juxta legem à Deo statutam decernens, falli non poterit, neque sententiam executioni mandabit, sicut solent justitiæ Ministri, sed sibi communicata potestate faciens, & imperans.

8. Plures porro sunt congruentiæ, quibus hujusmodi judiciaria potestas convenit Christo juxta humanam naturam; Tres adducit S. Thom. hic q. 59. art. 2. in corp. Prima est propter affinitatem ipsius ad homines; nam sicut Deus per causas medias, tanquam propinquiores effectibus, operatur, ita per hominem Christum judicat homines. Secunda, quia in finali judicio, ut August. ait tract. 23. in Joan., erit resurrectio corporum mortuorum, quæ suscitat Deus per Filium hominis, sicut per eundem Christum suscitat animas, in quantum est Filius Dei. Tertia, quia, ut idem August. dicit lib. de vera Religione cap. 31. justum erat, ut judicandi viderent judicem; judicandi autem erant boni, & mali; isti autem non nisi in forma servi eum videre poterant. Est igitur Christo data omnis potestas in cœlo, & in terra, & judicem timeant, qui nolunt sequi redemptorem; Fuit redemptor, ut homo, erit judex, ut homo.

§. II.

Utrum omnes homines tam mali, quam boni judicandi sint.

9. OMnes esse ad judicium vocandos, ita clarum est in Scripturis Divinis, ut in dubium revocari non possit *Congregabuntur ante eum omnes gentes*. Mat. 25. *omnes manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum*. Secundo ad Corint. 5. sed aliud est, omnes judicio adfuturos, aliud, omnes esse judicandos. Quantum ad malos sumitur ratio dubitandi ex illo Joan. 3. *Qui non credit jam judicatus est* & ex alio ps. 1. *Non resurgent impii in judicio*. Quas authoritates perpendentes Sancti Patres, dixerunt, nihil de infidelibus in judicio agendum esse. Lactant. lib. 7. cap. 20. hæc habet. *Nec tamen tunc universi à Deo judicabuntur, sed ii tantum, qui sunt in Dei religione versati*. August. serm. 38. de Sanctis ait: *Ad judicium non veniunt, nec Pagani, nec Hæretici, nec Judæi, quia de illis scriptum est, qui non credit, jam judicatus est*: & Gregor. lib. 26. Moral. cap. 20. duos, inquit, futuros esse reproborum ordines, unum illorum, qui judicantur, & pereunt, alterum eorum, qui non judicantur, & pereunt, de quibus scribit Paulus ad Rom. 2. *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*. Quod etiam indicant plures alii; ut Ambros. in ps. 118. Isidor. lib. 1. de sum. bono cap. 30. Ansel. in Elucidar. &c.

10. Doctores Scholastici in 4. distin. 47. & 48. distinguentes duplex judicium, quorum unum appellant discussionis, in quo examinantur omnia opera, alterum damnationis, vel remunerationis, in quo profertur sententia vel ad pœnam, vel ad præmium, inquiunt, hoc posteriori judicio omnes judicandos esse, qua de re omnes mali, sive fideles fuerint, sive infideles, audient sibi dici, *ite in ignem æternum* juxta illud Marci ultimo, *qui non crediderit, condemnabitur* & hoc pacto explicant id, quod ait Apost. 1. ad Corint. 5. *eos, qui foris sunt, Deus judicabit*. Priori tamen judicio non subesse arbitrantur, atque ita exponunt, quæ superiori numero à nobis producta sunt, quod etiam ostendunt testimonio Gregorii loc. cit. dicentis. *Non enim eorum tunc causa discutitur, quia ad conspectum stricti Judicis jam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Increpationem Judicis in extrema examinatione non audiunt, quia præjudicati infidelitatis suæ tenebris, ejus, quem despexerunt,*

rant, increpatione redargui non merentur. Si autem loquamur de illis, qui peccatores decesserunt, & habuerunt fidem, in hos agendum esse judicio discussionis affirmant, cum eorum non sit tam manifesta damnatio.

11. Nihilominus existimo, omnes malos tam fideles, quam infideles etiam judicio discussionis fore judicandos; jam de fidelibus ab omnibus conceditur, de infidelibus vero id asserendum esse pluribus momentis inducor; Primo quidem, quia in ipsis non fuit tantummodo infidelitatis peccatum, sed plura alia, quæ præceptis naturalibus opponuntur, non igitur tantum pro illo, sed etiam pro istis pœnas debent accipere, ostendendum est ergo in quibus defecerint, ut causa justæ damnationis innotescat. Secundo quia pari ratione, neque fideles ita judicandos esse, affirmari posset; quemadmodum enim, lege Divina statutum est, ut qui non crediderit condemnetur, ita eadem lege decretum fuit, ut qui non habuerit fidem vivam, pœnis æternis deputetur, manifesta est igitur utriusque damnatio, & tamen qui fidem vivam non habuerit, discutietur; si afferas disparem esse esse rationem, quia in iis, qui fidem sine charitate, & bonis operibus habuerunt, videndum sit, qualis fuerit charitatis defectus, idem dicam de iis, qui fide caruerunt, videndum esse, qualis fuerit, & quam ob causam fidei defectus; videndum quæ habuerint ad credendum, & neglexerint auxilia; videndum, an fuerit voluntaria, vel involuntaria infidelitas. Videndum, quæ impedimenta apposuerint, quibus factum est, ne à Deo lumen reciperent. Denique id, quod assero, fundamentum habet in Scripturis, & Patribus. Jerem.25. *Judicium Domini cum gentibus*. Et clarius Joel.1. *Congregabo omnes gentes, & adducam eos in Vallem Josaphat, & disceptabo cum eis*. Concludat igitur Hieronym. exponens laudata verba Jeremiæ. *Judicium Domini cum gentibus, quia sunt gentium merita diversa, & ideo, qui non credit, judicatus quidem est in eo, quod non credit, sed ipsi, qui non credunt, inter se diversis afficientur suppliciis. Judicantur ipsi cum omni carne, ut nullus injudicatus habeat*.

12. Neque opposita probant; De psal. versiculo nihil profero, cum jam alibi explicatus fuerit, intelligendum nimirum esse de resurrectione ad gloriam; quantum vero ad evangelicum textum, ex illo potius probaretur, etiam fideles peccatores, judicandos non fore, nam quemadmodum, dum dixit, qui credit in eum, non judicatur, sermo est de fide viva, ita, dum dixit qui non credit, jam judicatus est, sermo est de fide non viva. Non alio itaque titulo ita dictum est, nisi quia, ille, qui non credit justam ac certam in semetipso habet causam damnationis, juxta explicationem Cyrilli lib.3. in Joan. cap.53. dicentis. *Judicatum esse incredulum, quod ipse in seipsum condemnationis intulit sententiam*. Verum tamen est, in iis, qui fidem non habuerunt, evidentiorem esse damnationis causam, quia non solum meritis & justitia, sed etiam fundamento justitiæ, & meritorum caruerunt, ad quod explicandum eo loquendi modo loquuti sunt Patres adducti num.1. Cæterum Augustinus lib. de agone Christ. cap.27. docet, infideles esse judicandos, ad explicandam tamen damnationis certitudinem, dictum esse, jam fuisse judicatos. Brevius tamen illos explicare possem, dicendo, infideles non esse venturos ad judicium, ut judicentur in pluribus, in quibus judicabuntur fideles, nimirum in iis, de quibus fideles præcepta habuerunt, ut audire sacrum diebus festis, jejunare, Sacramenta suscipere & hujusmodi, ad quæ infideles non tenebantur; Quod vero dicit Apostolus, qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, intellige de lege evangelica, non naturali, quæ omnibus communis est.

13. Quantum vero spectat ad bonos, idest electos, isti trifariam considerandi sunt. Aliqui enim sunt, qui nullum omnino peccatum commiserunt, ut de Beatissima Virgine tenet Ecclesia, & de infantibus post baptisma decedentibus sentiendum est, atque de istis judicium discussionis futurum non esse, certissimum est, cum in istis nulluni fuerit opus vel bonum, vel malum, in illa vero fuerint omnia opera excellentia, atque sanctissima, atque ideo in eorum manifestatione nulla discussio, sed decorsa laudatio. Aliqui sunt, qui fuerunt insigniores Sancti, & cum plurimis meritis aliquod tantum leve peccatum habuerunt admixtum, atque etiam istos discussionis judicium subituros non esse, satis communis est ac recepta Doctrina. Aliqui vero, qui infimum sanctitatis gradum attigerunt, & bonis operibus gravia peccata habuerunt conjuncta, quanvis per pœnitentiam deleta fuerint; & de istis est præcipua quæstio, licet hanc de omnibus placeat instituere, inquirendo, utrum omnes justi, vel aliqui tantum, vel nulli discussionis judicio sint judicandi.

14. Magister Sent. in 4. dis.43. lit. D. in fine sic ait: *Utrum peccata, quæ fecerunt electi, prodeant tunc in notitiam omnium, sicut mala damnatorum omnibus erunt nota, non legi hoc expressum in Scriptura. Unde non irrationabiliter putari potest, peccata hic per pœnitentiam tecta, & deleta, illic etiam tegi aliis.* Hoc docuerunt etiam nonnulli alii, quorum fundamenta inferius expendam. S. vero Th. in 4. dis.43. art. ultimo; Bonav. q.2. art.3. & communius alii Scholastici, etiam electorum peccata revelanda esse, tradiderunt; atque hoc mihi aptius dicendum videtur.

15. Id primo suadent Scripturæ. Ecclesiastici ultimo. *Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum.* Matt.12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Pr. ad Corint.4. *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Id certe sibi persuasum habuit Sanctus Augustin. qui in lib. meditat. cap.4. sic effatur *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum, simulque loquutionum.* Ratio autem esse potest, quia ut Christi judicantis & præmia reddentis electis justa sit, ac appareat sententia, non satis est, si tantummodo merita revelentur, sed oportet etiam declarare, omnia impedimenta fuisse sublata, & mala, aut misericorditer fuisse remissa, vel adamussim fuisse vindicata, atque purgata, quemadmodum etiam plura peccata reproborum, quanvis in hac vita per pœnitentiam deleta fuerint, licet non sint punienda, attamen in judicium deferentur, ut Divina justitia, & misericordia magis manifestentur. Accedit, oppositam opinionem nullo verisimili fundamento fulciri.

16. Hoc videamus necesse est; in Scripturis Sanctis, inquiunt, peccata dicuntur deleri, occultari, immo & oblivioni committi. Quid igitur foret, si in publico judicio omnium in conspectum producerentur? assumptum ostenditur. Ps.31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Ps.50. *Dele iniquitatem meam* ubi Chrisost. hom.2. *Si tu memor sis, Deus non erit memor, si tu ejus oblitus fueris, Deus ejus memorabitur. Fecisti malum, memor esto, ut Dominus Deus tuus illud oblivi scatur.* Quod jam promisit Dominus Ezech.18. dicens. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius.* Isaiæ.43. *Ego sum, qui operio iniquitates tuas.* Et cap.63. *Oblivioni datæ sunt angustiæ priores, & absconditæ sunt ab oculis*

oculis nostris, ecce enim ego creo Cælos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora; in quæ verba ait Hieronym. *In Cælo novo, & in terra nova omnis conversationis pristinæ memoria deletur, ne hoc ipsum pars malorum sit, prioris angustiæ recordari*.

17. Sed profecto nihil ex istis evinci posse compertum sit, etenim in ipsis sermo est de macula peccatorum deleta, & de oblivione non absolute, sed solummodo de illa, quæ aut tristitiam afferre possit in justis, vel Dominum ad iracundiam provocare; si enim accipienda foret oblivio absoluta, neque in Divina memoria manerent, neque justi, qui illa commiserunt, amplius recordarentur; primum est impossibile, secundum contrarium scripturæ dicenti Apocal.20. *Et vidi mortuos magnos, & pusillos &c. & judicati sunt mortui ex iis, quæ scripta erant, secundum opera ipsorum*. Juxta quod dicit August.20. de Civit cap.14. in die judicii omnia tam bona, quam mala esse ad singulorum memoriam revocanda, & Gregor. in ps.88. inquit. *Quomodo in æternum misericordias Domini canit, qui miseriæ non meminit? quomodo autem plena beatitudo. si memoria reatus mentem tangit? sed sæpe læti tristium meminimus, & sani dolorum meminimus sine dolore, & inde amplius læti, & grati sumus*. Ex quibus apparet, neque recordationem, neque manifestationem delictorum futuram justis ad pœnam, vel ruborem, sed ad gloriam, & gratiarum actionem; atque ex his plura rejicio, quæ videntur opponi.

18. Præter hæc autem, duo sunt, unum de Sanctis, qui jam animo, & corpore cum Christo æternum possident Regnum, in istis enim videtur, jam judicium esse completum, atque consummatum. Aliud est, Sanctos cum Christo esse judicaturos; si autem judicaturi, ergo non judicandi. Postremo loco reservavi quod legitur Joan.3. *Qui credit in eum, non judicatur*. Atqui omnes electi in eum crediderunt, ergo non judicabuntur.

Ad primum respondeo. Sanctos illos judicatos jam esse judicio particulari, adhuc tamen superesse publicum, quod quidem ad eorum majorem gloriam fiet, atque ad evidentiorem justitiæ, & misericordiæ Dei manifestationem. Ad tertium, & postremum facilis resolutio est præter ea, quæ dicta sunt, si dicamus, verbum *judico* sumi plerumque in Scripturis per verbum *condemno*, & sic revera sumi in re nostra, nam inferius inquit: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui incredulus est Filio, non videt vitam*. Et cap.5. *Qui credit in eum, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit*, idest, in damnationem; juxta hæc Iræneus lib.5. cap.17. *Qui credit in me, non judicatur, idest, non separatur à Deo*. Pro secundo, quod opponebatur, dicendum in sequenti.

19. Prius enim inquirendum existimo, utrum etiam parvuli, qui sine baptismate, iudicandi sint. In hac re afferam Doctorum sententias, & earumdem momenta, deinde qui legit, intelligat.

Est sententia Durandi in 4. dis.47. q.1. citatus à Suarez, id ego tamen in Durando non inveni, asserens, parvulos non solum non esse iudicandos, sed neque ad iudicium adducendos. S. vero Th. in 4. dis.47. q.1. art.3. ad 3. dicit, parvulos iudicio adfuturos, non ut iudicentur, sed ut videant iudicis gloriam.

Huius opinionis fundamenta esse possunt; pr. de ipsis loquendo, neque admitti potest iudicium discussionis, neque damnationis, non primum, cum in ipsis non sint merita, vel demerita, quæ expendantur, non secundum, quia licet revera damnentur, & à Regno Cœlorum excludantur, hoc tamen non contingit propter culpam personalem, sed originalem, qua de re, sicut non peccarunt in se, sed in suo capite, ita

non

non est necesse, in se iudicentur, sed in suo capite. Secundo; Quanvis contraxerint culpam, atque eam in se vere habeant, attamen hæc actualis non est, sed quasi habitualis, iudicium autem fit de actibus, non de habitibus, & profecto Mat.25. describitur iudicium discussionis per illa verba, *Esurivi, & non dedistis mihi manducare &c.* Præterea Joel.3. *Congregabo omnes gentes, & disceptabo cum eis*. Secundo ad Corint.5. *Omnes manifestari oportet, ut referat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum*. Illi igitur congregabuntur, qui sunt disceptationis capaces, manifestabuntur illi, qui gesserunt vel bonum, vel malum, sed parvuli nec sunt disceptationis capaces, nec aliquid aut boni, aut mali gesserunt, ergo. Denique, omnes, qui iudicantur, vel audient, *Venite benedicti Patris mei* vel, *Ite maledicti in ignem æternum*, neutrum autem ex his convenire parvulis potest, non primum, quia, *nisi quis renatus fuerit non potest &c.* non secundum, ut communior Theologorum pars docet, ergo.

20. Contraria sententia tribuitur S. Bonaven. in 4. dis.47. qu.3. art.1. Sot. ibidem q.1.art.3. ad 2.omnibusque illis, qui docent, illos pœna sensus esse puniendos. Potest autem hæc opinio multifariam reddi probabilis. Primo authoritate Scripturæ Apocalyp.20. legitur. *Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu Throni* qui omnes dicuntur iudicati; Secundo ad Corin.5. *ut referat unusquisque, prout gessit*, hisce autem verbis continentur, non solum opera, sed etiam omnia media, quibus homines salutem, consequi possunt, vel damnari, Sacramentorum susceptio, & omissio, seu carentia, proinde non solum adulti, sed etiam parvuli significantur. Secundo accedit testimonium S. Augustini, qui lib.57. Hypognost. asserit, parvulos sine baptismate ad sinistram esse collocandos, & 3. de lib. arb. cap.23. apertissime docet, esse iudicandos; Greg. vero Magnus lib.9. moral. cap.12. agens de Christo iudice, inquit, *Quosdam tunc reatu culpæ originalis astrictos etiam sine operibus damnat*. Denique afferri potest ratio, cum ad Gloriam Christi pertineat, ut ab omnibus cognoscatur tanquam Supremus Rex, & Judex iustissimus, quare alii æternis cruciatibus sint addicti, alii æternis gaudiis sint donati, & quare alii, idest parvuli non renati, sint in quodam statu medio constituti, ita ut nec igne cruciandi sint, nec ad gloriam assumendi, quod intelligent parvuli, ut servatam percipiant iustitiæ æquitatem. Plura ad hoc punctum spectantia tradita sunt in quæstionibus de peccatis, ubi de parvulorum pœnis.

§. III.

Utrum Sancti sint judicaturi.

21. TOT in locis Scripturæ Sacræ Sancti dicuntur iudicaturi, ut hoc tanquam dogma fidei acceptandum esse, in dubium revocare non possimus. Luc.22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis &c. ut edatis, & bibatis super mensam meam in Regno meo, & sedeatis super Thronos judicantes duodecim tribus Israel*. Matt.19. *Amen dico vobis, quod Vos, qui sequuti estis me, cum sederit Filius Hominis in Sede majestatis suæ, sedebitis & vos super Sedes duodecim judicantes &c.* Pr. ad Corin.6. *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt &c. Nescitis, quia Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia?* Quod quidem etiam in testamento veteri traditum est, Sapien. enim 3. legitur, *Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, judicabunt nationes &c.*

22. Nulla igitur de re superest difficultas, sed de modo, & de quibus sanctis id sit intelligendum. Illud autem tanquam certum præsupponendum est,

est, hanc judicandi facultatem nulli Sanctorum, neque Beatæ Virgini conferendam esse, eo modo quo convenit Christo, etenim judicium proprie sumptum esse non potest sine jurisdictione & superiori potestate, quam Christo tantummodo communicatam esse, constat ex superius dictis, judicabunt igitur dumtaxat per quamdam participationem honoris, sive etiam actionis ad judicium pertinentis. Porro tres modi, quibus judicandi dignitas tribui potest Sanctis, possunt excogitari. Primo judicare possunt, ostendendo peccatoribus propriæ vitæ perfectionem, & morum sanctitatem, quibus convincentur, tanquam ii, qui similia potuerunt operari, & tamen ea agere neglexerunt; Modus iste tribuitur à Hieronymo explicante illud Matt. 19. *Sedebitis judicantes &c.* à Theophylacto, Euthym. immo & Augustino lib.20.de Civit.cap.5. expressius vero à Chrysost. hom.65. in Mat. sic dicente. *Quid est, judicantes duodecim tribus Israel? nihil aliud, quàm condemnantes: Non enim in solio judiciali sedebunt: sed quemadmodum Reginam Austri, & Ninivitas condemnaturos generationem illam asseruit: simili quoque modo discipuli non gentes, non universum orbem, sed tribus Israel condemnabunt. Nam quoniam eisdem & legibus & institutis vivendi tam Judæi, quam Apostoli educati fuerunt, cum Judæi dicturi sint, idcirco se credere Christo non potuisse, quia mandata legis servare jubebantur: discipulis in medium productis, à quibus & lex suscipiebatur, & fides Christo adhibita est, omnes Judæos condemnabit; Propterea enim dicebat, ideo ipsi judices vestri erunt.* Secundo modo, qui videtur minus improprius, & dignior, possunt judicare, non quidem auctoritate, ac potestate propria judicandi, sed judici assistendo, atque ejus sententiam plausu, & consensu approbando, dicentes. *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Atque ita sentit Ambros. lib.10. in 22. Lucæ. Tertio judicare possunt per quamdam specialem participationem honoris, vel actionis judiciariæ. Illam explicant plures, quia cum Christo in judicio sedebunt, juxta illud Danielis 7. *Aspiciebam, donec throni positi sunt.* Et Isai. 3. *Venit ad judicium Dominus cum senibus populi sui.* Et Apocal. 4. *In circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores sedentes.* Aliam vero explicat Richard. de S. Vict. tract. de potest. judic. dicens, ipsis specialiter concedi, ut conscientiarum occulta, judicia Divina, & retributionum qualitates cognoscant, ac præterea, ut hanc cognitionem possint aliis, qui judicantur pandere, atque intimare; quod explicans S. Th. in 4. dist. 47. qu. 1. art. 2. inquit, Sanctos istos ad eos, qui judicantur, judicis sententiam esse delaturos. In hac re libenter subscribo Magistro Sententiarum dicenti in 4. dist.47.lit.B. in fine. *Si vero quæratur, quæ erit eorum potestas, vel auctoritas in judicando, puto, non ante posse sciri, quam videatur, nisi Divina revelatione quis didicerit.*

23. Retento tamen fidei dogmate, Sanctos esse judicaturos, superest resolvendum, de quibus Sanctis hoc debeat intelligi. Dixerunt aliqui, solis Apostolis potestatem hanc concedendam esse, cum ipsis tantummodo fuerit à Christo promissa. Sed hoc admitti non potest, aliter Paulus Apostolus non judicabit, immo nec Beatissima Virgo; quare Augustinus, Beda, cæterique Patres pro duodenario numero universitatem designant; & sicuti non tantum duodecim tribus judicandæ sunt, ita non solum duodecim Apostoli sunt judicaturi. Alii existimarunt, ad omnes Sanctos, quos Ecclesia agnoscit ut tales, hanc extendendam fore; Sed cum & auctoritas desit, nec ratio suffragetur, id est rejiciendum; Judicabunt enim Sancti propter merita propria, & singularem perfectionem, & plures erunt, quos Ecclesia non habuit ut Sanctos, qui tamen

tamen eminentiori virtute fuerunt prædititi, quam illi, quos in aris expositos adoravimus. Alii docuerunt, hoc privilegio ditandos esse, qui propter Christum voluntariam paupertatem, omnia terrena despiciendo, elegerunt. Ita S. Thom. in 4. dis. 47. quem Paludanus, Sotus, aliique plures sequuntur. S. Antonin. 4. p. tit. 14. cap. 11. §. 6., quodve prius tradiderunt Hieronym. epis. 28. Auguft. epis. 89. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 17. Fundamentum autem desumitur ex responsione Christi facta Petro interroganti, *Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis?* Cui Christus. *Cum sederit Filius hominis &c. sedebitis & Vos &c.* juxta quod dixit Jobus 36. *Non salvat impios, & judicium pauperibus tribuit*. Hæc sententia mihi placet, si tamen voluntariæ paupertati addantur cæteræ virtutes, ita ut paupertas non sit tota hujusce privilegii causa, sed dispositio & exordium; ideo non dixit Christus tantum, *Vos, qui reliquistis omnia*. Sed addidit, *& sequuti estis me* scilicet perfecta imitatione: subdit Abulensis, opus esse, ut alios docuerint; *Qui enim fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum*.

§. IV.

Utrum Angeli, tam boni, quam mali sint judicandi.

24. DE actibus, quos in statu termini Angeli, sive boni, sive mali habuerunt, saltem quantum ad premium essentiale, vel pœnam non est aliqua difficultas; Quæstio est igitur de operibus meritoriis, vel demeritoriis, quæ pro statu suæ viæ in ipsis reperta sunt. S. Th. 3. p. qu. 59. art. 6. negat, illos iudicandos fore, cum ad ipsos iudiciaria Christi potestas se non extendat, nisi quantum ad ipsorum ministeria, pertinentia vel ad ipsorum custodiam circa homines habitam, vel circa tentationes, quibus ad peccandum homines excitarunt, & ideo in 4. dist. 47. q. 1. art. 3. dicit, judicium hoc directe ad Angelos non pertinere, sed indirecte, prout nimirum ad actiones hominum referuntur. Hoc amplectuntur ejusdem discipuli.

25. Ex hisce sequitur, omnes Angelos, tam bonos, quam malos universali judicio adfuturos; De bonis satis id in Scripturis compertum habemus, & de malis satis dixit Paulus ad Rom. 14., ubi asserit, Christo Redemptori, triumphatori, ac judici omne genu curvandum fore; Gaudebunt accidentario modo boni, custodia sua tot homines effectos esse beatos: Tristabuntur mali, tentationibus suis tot homines esse damnatos; Hominum beatitudo addet bonis Angelis beatitudinem, hominum damnatio addet malis Angelis damnationem.

26. Verum sentio, etiam quantum ad essentiale præmium, & directum judicium, utrosque adfuturos esse, ut judicentur, si non judicio discussionis, saltem approbationis, vel damnationis. Hoc aperte docet S. Bonav. in 4. dis. 47. art. 1. qu. 4. Richar. aliique; Immo fuerunt aliqui Patres, ut Justin. in dial. cum Triph. Iren. lib. 5. contra hæres. cap. 33. quorum sententias refert Euseb. lib. 4. hist. cap. 17. qui dixerunt, Dæmones nondum puniri pœna ignis, sed hac in judicio universali puniendos; Niceph. vero lib. 4. cap. 6. putavit, ante adventum Christi diabolum damnationem suam non agnovisse, sed post ignem æternum sibi paratum esse, intellexisse. Hoc postremum affirmare non audeo.

27. Quantum igitur ad rem pertinet nostram, id de Angelis malis ostendo primo ex sacris litteris; in quibus illud præcipuum est, quod legitur 2. Pet. 2. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari*. Quid est autem in judicium reservari; nisi judicandos fore? Addi potest aliud 1. ad Corint. 6. *Nescitis*,

tis, *quia Angelos judicabimus*? quos autem Angelos? profectò malos, qui principatus sui locum reliquerunt, ut exponunt Chrysost. Ambrof. Ansel. Atque hoc non potest explicari de judicio indirecto, & quantum ad præmium accidentale, cum in eodem textu loquatur Paulus de judicio faciendo de mundo, qui procul dubio directe, & quantum ad præmium essentiale judicabitur; Qua in re Clem.Rom. lib.7. Constit. cap.26. inquit, à Christo judicandum esse diabolum deceptorem mundi, & unicuique juxta propria opera retribuendum.

28. Si autem Angeli mali judicandi sunt judicio condemnationis, multo magis Angeli boni judicandi sunt judicio retributionis, seu approbationis, cum Deus pronior sit ad præmia, quam ad pœnas. Aliæ tamen rationes non desunt. Illas prætereo, quæ desumi possunt, quia hoc pertinet ad magis manifestandam justitiam, & misericordiam Dei, magis spectat ad honorem, & gloriam Christi, ut quemadmodum est caput Angelorum, ita etiam Angelorum sit Judex. Magis conferat ad honorem Angelorum, qui fideles se ostenderunt, ut eorum merita apud homines, Angelosque malos manifesta fiant; atque illud placet producere, quod, cum ex Angelis bonis, & hominibus sanctis una constituatur Ecclesia, & una Dei civitas, sicut de hominibus judicium fiet, ita & de bonis Angelis.

29. Quid obstat rogo? An quia, Angeli sancti receperunt præmium essentiale, mali pœnam? Sed hoc dici posset etiam de hominibus, præsertim de iis, quorum etiam corpora beata sunt; & tamen isti judicabuntur; Privatum fuit horum judicium, publicum superest; sic quoque de illis. An quia non fuit Christus Angelorum Redemptor? Fuit tamen eorum gratiæ, & justitiæ fons, sicut & gloriæ. Quod si in Symbolo legitur futurus judex vivorum, & mortuorum, in primis ibi traditur, quod fide necessario tenendum est; deinde, pro vivis intellige etiam Angelos bonos, pro mortuis intellige Angelos malos.

§. ULTIMUS.

De Judicis sententia.

30. Adeo clarum est, quod de Judicis sententia in Evangelio scriptum reperimus, ut nihil in re proposita agendum esse videatur. *Ite maledicti in ignem æternum*. Hæc pro reprobis. *Venite benedicti Patris mei*. Hæc pro electis statuta sententia est; in qua adnotandum, electos dici benedictos à Patre, quia Dei gratia æternam gloriam possidebunt, reprobos autem non dici maledictos à Patre, quia propria malitia ac pravitate perierunt. Nihilo tamen minus, aliqua inquiri possunt, quæ non habentur expressa; & primo de libris, qui pro hujus sententia proferenda, dicuntur aperti, juxta id, quod legitur Dan. 7. *Judicium sedit, & libri aperti sunt*. Et Apocal.20. *Et libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex iis, quæ scripta erant in libris*. Non eodem modo de hisce libris à Sanctis Doctoribus dictum est. S. August. lib. 20. de Civit. cap.14. per libros intelligit memoriam omnium operum, quæ Divina virtute in omnibus excitabitur. Ansel. in Elucid. inquit, librum vitæ esse vitam Jesu Christi, quæ omnibus esse debuit norma vivendi, & juxta quam omnes judicabuntur. Beda vero per libros intelligit Scripturas Sacras, in quibus præcepta Divina continentur. Hæc omnia probabiliter dici posse, non reluctor; attamen, magis juxta litteram loquendo, existimo, libros aperiendos esse omnium conscientias, in quibus Divina lex conscripta fuit; propterea dicitur Isaiæ 51. *Lex mea in corde eorum*. Et Jerem. 17. *Peccatum Juda scriptum est super latitudinem cordis eorum*. Juxta igitur libros istos, ideſt conscientias proprias, de-

omnibus fiet iudicium, dicente Paulo ad Rom.2. *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium in die, cum judicabit Deus occulta hominum*. Liber autem vitæ est Divina mens, in qua omnes prædestinati conscripti sunt; Cur igitur, inquies, si datur liber vitæ, non etiam mortis libri fit mentio? Si hoc ab Hieronymo petas, respondet, librum mortis non esse in mente Dei, quia licet cognoscat reprobos omnes, attamen hoc non fuit ex intentione sua, sed quia ipsi sic esse voluerunt; esse tamen in mente dæmonis, quem iste proferet, ut sui imitatores accuset; quia tamen juxta librum hunc non iudicabit, sed iuxta reproborum conscientias, ideo istiusmodi libri mentio prætermissa est; Si autem ab Augustino, & Thoma, respondent, satis intelligi librum mortis per librum vitæ, ita ut omnes, qui in libro vitæ descripti non sunt, in libro mortis descripti reperiantur. Hoc enim contingit in omnibus privationibus, quæ per formam satis explicantur, immo melius explicari non possunt.

31. Secundo inquiri potest, utrum omnium hominum opera omnibus manifestanda sint, an vero tantum unicuique propria. Hoc secundum à nemine in dubium revocatur; primum autem aliqui negant, tanquam ad judicium minime necessarium, ita Durandus, & Paludanus. Oppositum tamen docent S.Th. in 4. dis.43.q.1. art.5. Bonavent. ibidem art.3. Richard. Sotus, quod verius est, cum hoc pertineat ad perfectiorem causæ cognitionem, atque ad magis declarandam Divinam justitiam, alioquin dici etiam posset, supervacaneum fore judicium universale, si tantum unicuique propria opera forent aperienda,

32. Tertio inquiritur, an operum manifestatio, & sententiæ prolatio facienda sit mente, vel voce. In hac re nihil certi ex Scriptura, & Divina revelatione colligimus. Existimo tamen probabile. Primam mente faciendam esse juxta auctoritatem Pauli ad Rom. 2. superius expositam, ubi sermo est de uniuscujusque conscientia testimonium reddente, & de omnium cogitationibus, vel se accusantibus, vel defendentibus; cui etiam consonat illud Sap.4. *Disrumpet illos inflatos sine voce*. Quod si Christus dixit Mat. 25., se in illa die dicturum reprobis. *Esurivi, & non dedistis mihi manducare &c.* ibi tantum indicium quodam futuri judicij etiam de aliis operibus nobis exhibetur; Secundam vero arbitror, esse voce exprimendam. Utriusque autem ratio esse potest; quia Christus judicabit tum ut Deus, tum ut homo, debet igitur judicium fieri & Divino, & humano modo; fiet Divino, per hoc quod merita, vel demerita uniuscujusque ad mentem revocentur, & sic mentaliter fiat discussio & accusatio, fiet humano, per hoc quod sententia voce perferatur; & addi potest, tunc judicium ferendum esse in animam & corpus, aliquid igitur erit ad animam pertinens, & sic mente peragendum, aliquid ad corpus, & sic voce complendum.



QUÆ-

QUÆSTIO XI.

De adoratione debita Christo.

ARTICULUS I.

Præmittuntur quædam de adoratione generatim considerata.

1. Dorationis quinque nomina apud Græcos reperiuntur, nimirum *Theosebia*. *Eusebia*. *Threscia*. *Latria*. *Dulia*. Prima ex sua appellatione cultum Dei significat; sed quanvis in quibusdam Scripturarum locis reperiatur, attamen apud Ecclesiasticos Scriptores nomen hoc in usum non venit, & S. Augustinus in Enchir. cap.2. illud accipit non pro singulari Dei cultu, sed pro quocumque opere bono ad virtutem spectante. Secunda pietatem non solum erga Deum, sed etiam erga parentes complectitur, & ideo ad quæcumque opera misericordiæ se extendit, cum hæc interdum magis Deo placeant, quam sacrificia, iuxta illud Oseæ 6. *misericordiam volui*, *& non sacrificium* & idem Mat.9. Tertia Religionem, cœremonias, & cultum denotat, attamen spectare potest tam ad veram, quam ad falsam & superstitiosam religionem. Quarta & quinta ex primaria nominum institutione servitutem generatim significant, attamen ex modo loquendi Patrum illa ad significandum cultum soli Deo debitum apta est, ut legitur apud August. contra Faustum cap.21. 1. de Trinit. cap.6. Isidor. lib.8. Etymol. cap. ultimo, Bedam in illa verba Luc.4. *Dominum Deum tuum adorabis*. Damasc. orat.1. & 3. de Imaginib. aque ideo idololatria dicta est, quia latria, cultus Deo debitus, Idolis impendebatur; postrema vero, quamvis apud antiquos Patres secundum nomen non inveniatur, attamen Ecclesiastico more significat cultum & honorem erga Sanctos, ut iudicant etiam omnes Scholastici in 3. dis.9. qui cultus, si deferatur alicui propter maximam excellentiam, dicitur cultus hyperduliæ, & huiusmodi nuncupatur adoratio erga Beatissimam Virginem.

2. Insuper adoratio alia est civilis & politica, quam impendimus erga Viros dignitate, atque aliqua excellentia præstantes, & de hac nullus apud nos erit sermo, alia religiosa, quam erga alium impendimus propter aliquam supernaturalem dotem, quæ in ipso præeminet. Rursus, alia est absoluta, alia relativa; illa in propria re, quæ colitur dignitate sistit, nec ad alia refertur; Secunda vero ad alium tendit, & exhibetur alicui, non propter excellentiam propriam, sed alienam, quam repræsentat.

3. Definitur autem adoratio à Sancto Damasc. oratione 1. de imaginib. *submissionis*, *& honoris indicium*. Ab Anastasio vero Antiocheno, *est honoris expressio*. Est autem honor ex Arist. 1. Retoric. cap.5. *existimationis beneficativæ indicium*, seu & alii interpretantur, *signum opinionis*, *quæ de beneficentia alicujus excitata est*. Et ex S. Th.2.2. q.103. art.1. *testificatio quædam excellentiæ*, *quam in quopiam agnoscimus*. Atque ex hoc factum est, ut ab aliquibus hæc duo verba, *honorare*, & *adorare* tanquam idem usurpata sint, quod etsi in aliquo sensu verum sit, attamen absolute est falsum, etenim honor latius patet, quam adoratio, & se habet tanquam genus ad speciem, sicut enim omne rationale est animal, non tamen omne animal est rationale, ita omnis ado-

adoratio est honor, non tamen omnis honor est adoratio, ideo dixit August. lib. contra serm. Arian. cap.23. *Honorat omnis, qui adorat, non autem adorat omnis qui honorat*. Unde honor afferri potest etiam æquali, immo & inferiori, dicente Apostolo ad Rom.12. *Honore invicem prævenientes*. Adoratio vero respicit solum alium, ut excellentem, & superiorem.

4. Hæc porro adoratio duplex esse potest; una externa, quæ corporis administratione, ut capitis inclinatione, vel genuflexione præstatur, alia interna, quæ præsupponit actum intellectus alienam excellentiam cognoscentis, & formaliter consistit in actu voluntatis sese propter cognitam excellentiam alteri submittentis. Hæc esse potest vera adoratio sine illa, etenim veri adoratores adorant in spiritu & veritate, illa tamen nequit esse vera adoratio sine ista, sed vel est adulatio, vel hypocrisis. Utraque tamen est impendenda Deo, quia tam animam quam corpus à Deo habemus, neutra idolo, ut dictum est de signis externis protestativis fidei in quæstionibus de fide. Est autem adnotandum, pro varia populorum, temporum, & Ecclesiarum disciplina varios esse modos adorationis externæ, etenim apud Orientales mos est adorandi cooperto capite, apud Occidentales nudo & inflexo, & sic loquendo; adoratio tamen interna semper est eadem, atque eodem modo apud omnes. Hisce paucis declaratis,

ARTICULUS II.

An Christus ut homo adorandus sit cultu Latriæ.

5. Christo, ut Deo, latriæ cultum debitum esse, nemo negare potest, nisi vel negat Christum esse Deum, vel negat Deo debitam esse hujusmodi adorationem, contra Scripturam Sanctam dicentem Mat.4. *Dominum Deum tuum adorabis*: & ad Rom.1. *Soli Deo honor, & gloria*; Immerito igitur quæstio fieret de Christo juxta naturam Divinam, & merito instituitur de Christo secundum naturam humanam, non quidem vel mente præcisam, vel separatam, ut divinitus fieri posset, ab unione hypostatica, sed consideratam una simul cum unione cum Verbo Divino.

Dicendum; Christo, ut homini, seu humanitati Christi, ut unitæ Divino Verbo tribuendum esse cultum latriæ absolute talem, proinde unica, atque eadem adoratione cum Divinitate Verbi est colenda.

6. In hac nostra sententia convenerunt Appollinaris Discipuli, non tamen catholice, sed pessime ac diabolice; etenim ipsi ideo hoc dixerunt, quia duas naturas simul non convenisse existimarunt, sed ab ipso tantum carnem è Cœlo delapsam ejusdem substantiæ cum Patre assumptam dixerunt, sicuti in proprio loco demonstratum est; mirum igitur esse non debet, si ipsi unicam atque eandem, quam Deo, adorationem concesserunt. Propter hoc Catholicos admittentes veram naturam humanam irrisorie appellabant *hominicolas*, Catholici vero, ut justas vindicias facerent, illos vocabant *carnicolas*. Hujusce rei testis est Gregor. Nazianz. in ep. posteriore ad Cledonium, scribens, Hæreticos istos ædium suarum vestibulis hanc sententiam inscribere consuevisse. *Adorandum esse non hominem Dei gerum, sed Deum carnigerum*.

7. Convenit etiam Nestorius, qui licet duas non solum naturas, sed etiam hypostases fateretur, attamen dicebat, humanam naturam in consortium dignitatis & honoris ejusdem cum Verbo fuisse ascitam, atque ideo simul adorandam cum Verbo humanitatem asserebat; verum ista fraus, ac multa fraus erat Nestorii, ut aliquo pacto se cum Catholicis convenire, demonstraret,

ret; revera tamen, ficut in re ipsa hominem à Deo feparabat, ita etiam re feparabat utrique adorationem; nec alio pacto humanitati adorationem concedebat, nisi quo purpuræ vestique Regis concedimus, dum illa Rex indutus incedit; unde Facundus lib.9. c.2. ex Nestorii mente ita loquitur. *Propter gestantem, eum, qui gestatur, veneror; propter latentem, eum, qui apparet, adoro.*

8. Ex Catholicis vero fuerunt dicentes, Christi humanitati, etiam ut unitæ Verbo, non esse adhibendum cultum latriæ proprie dictum, sed in quadam latiori significatione. Pro hac sententia citatur Alex. 3. p. quæst. 30. art. 2. & ibi Rabanus, qui dicens: *Non adoramus eam in terram prostrati, nec sacrificamus, sicut Deo*, sentit, humanitatem adorandam esse cultu latriæ, sed non omni. In hanc devenerunt etiam Gabr. in 3. dist. 9. q. 1. art. 2. Corduba lib. 1. q. 5. dubit. 3. qui, licet concesserint, adorandam cultu latriæ propriæ dicta, de ipsa tamen loquuti sunt in concreto, idest supponendo pro persona, non tamen in abstracto, sicut procedit conclusio nostra. Doctores isti non discreparunt à Gilberto Porretano Episcopo Pictaviensi, cui à Gaufredo Claravallensi Monacho S. Bernardi Discipulo tribuuntur hæc verba in epist. ad Card. Albanensem. *Non illam dico adorationem, quæ latria est, quæ soli creatori debetur, sed illam, quæ dulia dignior est, Dulia enim adoratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur, quæ duas habet species; unam quæ hominibus indifferenter, alteram, quæ soli humanitati Christi exhibetur.* Utrum autem hæc dicta sint à Gilberto, nec ne, parum mea interest; non latet, Dionysium Petavium illum ab hac nota liberare, cum adducat librum ejusdem Gilberti manu exaratum, quem affert Gaufredus, & id minime se invenisse fateatur.

9. Interea ad probandam assertionem nostram sese exhibent nobis Scripturarum, Conciliorum, Sanctorumque Patrum testimonia, immo etiam rationes Theologicæ.

Ut à primis exordiar; sit illud Apost. ad Hebr. 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli ejus.* Quod jam & dixerat David ps. 96. in hoc autem loco de illa adoratione, quæ nec Angelis, nec ulli creaturæ, sed soli Divinitati conceditur, Apostolum loqui, nemo potest in dubium revocare, & illa verba Chrysost. hom. 3. in ep. ad Hebr. interpretatur de Christi humanitate dicens: *Non aliter introductus in mundum Dei filius dicitur, quam in carne, cum in mundo jam esset, ut ait Joannes. & mundus per ipsum factus est.* Et Theophilac. in ipsa ait. *Antequam carnem susciperet, nihil habebat commune cum creatura, quatenus sibi creatum aliquid univit, introductus esse dicitur in creaturam.* Clarius fortasse in rem nostram est alius textus Apostoli ad Philippen. 2. ubi exposita voluntaria Christi obedientia ac morte, prosequitur dicens: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.* Non fuit autem exaltatus Christus ut Deus, nec ipsi secundum naturam Divinam donatum est nomen, quod est super omne nomen, nec appellatus est Jesus, nec mortuus est, nisi secundum naturam humanam, quam assumpsit Verbum, ergo secundum hanc donatum est ipsi, ut ab omnibus creaturis suprema adoratio tribueretur. Tandem adversantium cæcitatem confundat cæcus ille ex utero Matris, qui Christo, à quo videns effectus fuerat, sciscitanti, *Tu credis in filium Dei?* respondit. *Quis est Domine, ut credam in eum? & dixit ei Jesus, & vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est, & ille ait, Credo, Domine, & procidens adoravit eum.* Joan. 9.

10. Quia vero respondere possent, hæc

hæc omnia vera esse de Christi persona, cui inerat natura Divina, non autem secundum naturam humanam, ideo, ut demonstremus, effugium hoc nullum esse, ad Conciliorum doctrinam, ad quæ spectat Scripturæ testimonia intelligere, & fidelibus declarare, operæ pretium est deveniamus. In Concilio Alexandrino præside Cyrillo, epist.3. ad Nestorium missa, ita statuitur. *Si quis audet dicere assumptum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere, & conglorificari, & non magis una reverentia veneratur Emanuel, unamque ei glorificationem impendit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit*. Quinta Synodus can.9. hæc habet; *Anathema sit, qui non una adoratione Deum Verbum Incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Ecclesiæ traditum est*. Syn. septima act.6. *Cum adoratur Christus, non separatur humanitas à Divinitate*.

11. Hæc porro constans ac perpetua fuit Sanctorum Patrum traditio. Athanas. in epist. ad Adelphium inquit. *Nos creaturam non adoramus, absit; Gentilium enim & Arianorum ejusmodi est error. Quamvis enim caro ipsa per sese pars est creaturarum, tamen Dei corpus facta est. Ac neque corpus ejusmodi per se dividentes, per Verbum adoramus, neque Verbum adorare volentes, ipsum longe à carne disjungimus*. S. Ambrosius lib.3. de Spiritu Sancto cap.12. in illa verba ps.98. *Adorate scabellum pedum ejus. Per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt*. Ambrosio mirifice in eadem verba consentit Augustin. dicens: *Cælum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum; ergo terram nos jubet adorare? & quomodo adorabimus terram, cum dicat aperte Scriptura, Dominum Deum tuum adorabis? Anceps factus sum: timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit Cælum & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia psalmus mihi dicit, adorate scabellum pedum ejus. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio, quomodo sine impietate adoretur terra; suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandum ad salutem dedit, nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit: inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccamus adorando, sed peccamus non adorando*. Denique, ne infinitus sim, affero Joan. Damascenum lib.3. de fide cap 8. assertionem nostram peregregie confirmantem. *Unus*, inquit, *igitur Christus est, Deus perfectus, & homo perfectus: quem adoramus cum Patre, & Spiritu unica adoratione, cum ejus immaculata carne. Neque tamen hoc agentes creaturæ servuimus; non enim velut nudam carnem adoramus, sed ut Divinitati conjunctam. Timeo carbonem tangere propter ignem, qui cum ligno conjunctus est. Adoro utrumque, quod est Christi propter Divinitatem carni copulatam. Non enim quartam aliquam personam in Trinitatem inculco. Longe à me istud absit. Verum unicam personam Dei Verbi, & carnis ipsius confiteor*. Et lib.4. cap.3. *Caro ex suapte natura, si subtilibus considerationibus id, quod videtur, ab eo separes quod intelligitur, non adorabilis est, utpote creata: verum, quia Deo est unita Verbo, propter ipsam, & in ipso adoratur*.

12. Ex hisce omnibus rationes Theologicas facile colliges. Unicam hic addam. Humanitas, ut conjuncta Divinitati sancta est una & eadem sanctitate increata, & habet eandem naturalem filiationem, qua est filius Verbum, ergo ipsi ita conjunctæ convenit eadem adoratio.

A R-

ARTICULUS III.

Refelluntur argumenta in oppositum.

13. Etsi prior sententia nostra communissime accepta sit apud Theologos S. Th. hic art. 1. & 2. Scotum in 3. q. 9. §. *De tertio articulo* Cajet. Henric. Suar. Vasq. & &c. aliqua tamen argumenta non desunt, quæ nobis solvenda proponuntur & pr. quamvis humanitas sit unita Verbo, attamen non est quid Divinum, neque quid Sanctum, sicut est Deus, ergo neque ipsi concedendus est cultus, qui conceditur Deo, non est igitur adoranda cultu latriæ. Secundo; Humanitas Christi, etiam unita Verbo, non est digna, ut super omnia diligatur, neque ei sacrificium offerri potest, cum in ea non sit excellentia ultimi finis, & supremi rerum omnium dominii, immo ipsa erat sub perfecto dominio Dei, cum Deo pro omnibus nobis meruerit, ac satisfecerit, ergo nec ipsi debitus est cultus omnium maximus, sicut est cultus latriæ.

14. Resp. Christi humanitatem, etiam unitam Verbo, non esse Deum, esse tamen substantialiter, & in unitate personæ conjunctam Deo, hoc pacto debitus est ipsi cultus latriæ, non quidem eo modo, quo tribuitur Deo, sed solummodo quantum ad substantiam; quod ut explicem, sciendum est, cultum quemcumque respicere posse motivum formale & primarium, & objectum materiale & secundarium; in primo sensu latria concedenda est soli Deo, in secundo vero etiam humanitati conjunctæ Deo; Ideo de Deo dicimus absolute, ipsum adorari, de humanitate vero dicimus, coadorari, ita ut una sit actio adorationis, sed dum tendit in Deum, est propter Deum, dum vero in humanitatem, non propter humanitatem, sed propter ipsum Deum, cui conjuncta hypostatice humanitas est; Res ista pluribus posset exemplis explicari; sed unum sufficiat in politicis, à quibus argumentum desumi potest ad sacra. Certe purpura Regis non est Rex, & tamen eadem adoratione tam purpuram adoramus, quam Regem; Corpus etiam alicujus eximii viri adoramus eodem cultu, quo anima, nec tamen corpus est anima. Ratio in nostro casu est eadem; quia sicuti purpura & corpus sunt quidem objectum terminativum, & materiale adorationis. Objectum vero formale est dignitas Regis, & excellentia animæ, ita humanitas Christi est objectum terminativum & materiale adorationis latriæ, dignitas vero suppositi Divini, per quod humanitas subsistit, est objectum formale, motivum primarium.

15. Dices. Ergo humanitas adoratur solum de secundario, & propter aliud; ergo adoratur cultu latriæ solum per accidens, & respective, non per se, & absolute, ut contendit conclusio nostra.

Sed contra. Si confundatur motivum secundarium & objectum materiale cum motivo per accidens, libenter assentior, sed erit quæstio solum de nomine; quæ tamen, ut evitetur, dicendum est, adorationem de secundario esse quid unum cum adoratione per accidens, quando, quod adoratur de secundario, per se non conjungitur illi, quod adoratur de primario, ut contingit in purpura Regis, quæ politice solum adoratur per accidens, dum Regem operit, quia ipsi solum per accidens unitur; Res autem non est ita in casu nostro. Etiam quod adoratur propter aliud, adoratur respective, quando illud aliud est diversum suppositum, quod in Christi humanitate non contingit. Adverte insuper, aliud esse, rem aliquam esse objectum per se, & aliud propter se.

16. Ad secundum propositum in argumento; potest concedi, & potest negari antecedens. Si concedatur disparitas est, quia actus dilectionis, est actus internus à cognitione directus, & ideo

ideo sic potest præscindere, ut respiciat tantum id, in quo summa bonitas reperitur, & quamvis etiam non præscinderet, attamen respicit objectum in motivo formali adorationis, adoratio autem est actus externus, & respicit omne id, quod maximæ excellentiæ est conjuctum, ut patet in exemplis adductis num. 14. Quod de dilectione dicitur, etiam de adoratione dicendum. Si autem negetur, ut revera, inter alios Doctores, negat Suarez, quod de adoratione diximus, etiam de dilectione pronuntiamus, ita ut humanitas Christi, ut conjuncta Verbo, diligi possit super omnia, non tanquam objectum formale & primarium, sed materiale, & secundariam & merito negari potest; nam qui amat v.g. CLEMENTEM XII. ob singularem ejus liberalitatem, & in sapientes homines studium, non tantum amat ejus animam, in qua resident hujusmodi virtutes, sed etiam ejus corpus, & omnia, quæ ipsi physice conjuncta sunt. Ita à pari.

17. Quod attinet ad sacrificium, Suarez affirmat, etiam humanitati Christi, ut in supposito Verbi, sacrificii honorem deferri de secundario, & materialiter; Hoc mihi tamen satis arduum videtur, nam, si ipse Christus, ut homo, est Sacerdos & Hostia, idest Sacrificium, certe sibi ipsi ut homini, offerri nequit; propter hoc melius existimo negandum esse, sacrificium proprie dictum, ut est sacrificium Missæ, offerri posse Christi humanitati, etiam ut conjunctæ Verbo; Hoc tamen non probat, humanitatem non esse objectum dignum, cui offeratur sacrificium, ut sacrificium est, sed tantum prout institutum est de facto propter rationem adductam, nam si alius fuisset institutus modus sacrificandi Deo, ut erat in lege veteri, potuisset sacrificium offerri non solum Deo, sed etiam Deo, ut homini; Quare cum in cultu latriæ non contingat, quod in sacrificio, fit, cultum latriæ ipsi, etiam ut homini, esse deferendum.

18. Quantum ad meritum & satisfactionem, aliqui Scotistæ citantes subtilissimum respondent; Christum orasse, proinde etiam meruisse secundum naturam humanam præcise sumptam, non ut Verbo unitam; sed, ut verum fatear, hæc doctrina non placet, etenim meritum & Christi satisfactio dicitur superabundans, quia valorem accepit à supposito Verbi Divini, ergo quia erat ab humanitate, ut unita Verbo. Quamobrem dico, per id solum probari, humanitatem ut unitam Verbo esse non posse objectum formale & primarium adorationis, non alio modo, quo superius dictum est.

19. Ob.2. Antequam incarnatio perageretur, Angeli adorabant Verbum, & nunc etiam cultu latriæ idem adorant, peto, est ne idem actus adorationis vel diversus? non idem, quia mutato objecto debet mutari actus, aut saltem addito objecto debet aliquid addi etiam actui; si diversus, ergo eadem adoratione non adoratur Divinitas, & humanitas conjuncta Divinitati.

Responsio communis est, esse actum numero diversum, non tamen esse actum inferioris adorationis, etenim prior actus respiciebat Divinitatem solam, secundus vero Divinitatem & humanitatem. Optime tamen juxta principia Scotica defendi potest, esse eundem actum, sicut esset eadem numero visio, si ad solam essentiam ferretur, non ad personas, ut possibile sustinent; & ratio est, quia ad mutationem actus requiritur variatio in objecto formali & primario, nec sufficit variatio in solo objecto materiali, secundario, & concomitanti, priori igitur actui, quo adorabant solam Divinitatem, additus est tantummodo novus respectus, quam appellant attingentiæ, ad humanitatem.

20. Ob. 3. Auctoritatem Damasceni orat. 1. de imaginib. in fine. *Non materiam, sed materiæ authorem adoro, qui pro me materia factus est, & in materia voluit habitare, ut per materiam mihi sa-*

salutem præberet, materiam vero, per quam mihi salus parta est, colere non desinam, non tamen ut Deum.

Resp. Damasceni mentem à nobis satis expositam esse; excludit itaque ab humanitate adorationem, cujus humanitas sit objectum formale, & primarium, non alio modo; & sic explico alios Patres, qui fortasse afferri possent.

ARTICULUS IV.

An humanitati Christi secundum se exhibendus sit aliquis cultus.

21. HIC consideramus humanitatem præcisam à Divinitate, ut pura humanitas est, prędita tamen donis supernaturalibus, ita ut ipsa sit formalis primaria & motiva causa adorationis. Hæc qnidem quæstio paucis à nobis resolvenda est, quamvis ab aliquibus Doctoribus per plura capita in examen vocetur, & hoc præsertim fit à Vasquio, qui contendit, indecens omnino esse, adorari humanitatem Christi dumtaxat sine adoratione Divinitatis & Verbi, proinde aut adorandam esse cultu latriæ, modo à nobis superius exposito, aut nullo modo. Pro sententia sua affert Walden. tom. 3. de Sacramentalibus cap. 119. Catherin. opusc. de adorat. imaginum, immo & S. Bonavent. in 3. dis.9. art.2. q.1. aliosque, quos apud ipsum invenies.

22. In oppositum tamen sunt omnes ferme celebriores Theologi tam veteres, quam recentiores. Hoc apertissimis verbis docet S. Th. 3.p. q.25. art.2. in corp., ubi habet hæc verba. *Adoratio humanitatis Christi dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut sit ejus, sicut rei adoratæ, & sic adorare carnem Christi, nihil est aliud, quam adorare Verbum Dei incarnatum, & secundum hoc adoratio humanitatis Christi est adoratio latriæ. Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi, quæ fit ratione humanitatis Christi perfectæ omni munere gratiarum, & sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriæ, sed duliæ.* Hoc tradit Scot. in 3. dis.9. §. *Quantum ad istum articulum*. De S. Bonavent. nihil est, quo alii glorientur, immo à Mastrio citatur pro assertione nostra; Ex recentioribus vero plurima turba est; sufficiat Suarez pro omnibus.

23. Certe si Vasquez laudatam S. Thomæ auctoritatem legisset, non acri adeo ingenio, ut plerumque sui moris est, contrarium proposuisset, aut saltem Doctorem Angelicum adduxisset, ut ipsi aliquam daret explicationem, ut in cœteris solet; adeo res clara est, ut oporteat, vel contrarium doctrinæ ejusdem docere, vel ejus doctrinam prorsus hac in re ignorare. Hac de re mihi arridet opinio illa, quæ humanitati Christi secundum se consideratæ cum donis supernaturalibus, & præcisæ à conjunctione Divini Verbi, cultum Duliæ, sed excellentioris ordinis, nimirum hyperduliæ, impendi posse, ac debere defendit.

24. Etsi nulla ratio hoc suaderet, sufficere posset authoritas Damasceni lib.4. de Fide cap. 3. ubi sic. *Si dividas subtilibus intelligentiis id, quod videtur, ab eo, quod intelligitur, inadorabilis est, ut creatura*, nunc inferas; atqui creatura inadorabilis est cultu latriæ, non duliæ, etiam excellentioris ordinis, ergo humanitas Christi sic præcisa &c. Posse autem sic dividi Christi humanitatem ab unione cum Verbo, esto non innueretur à Damasceno, ambigendum non est; si enim præscinduntur quæ re sunt eadem, magis hoc dicendum de illis, quæ tantum re sunt unita; & in hoc tantum promoveri poterit quæstio illa philosophica, an sit præcisio objectiva, vel formalis, quæ ad rem nostram non est.

25. Admissa igitur hac præcisione quod proposui demonstro; In Christi humanitate sic à Verbo præcisa reperitur objectum veræ adorationis, quæ sit hyperduliæ, reperiuntur enim dona su-

pernaturalia gratiæ & virtutum modo quodam peculiari & eminentiori, quid igitur prohibet ipsam cultu hyperduliæ adorari, & hominis voluntatem se ipsi submitti, certe motus voluntatis sequitur motum cognoscentis ac cogitantis intellectus, proponit iste excellentiam præcisam ab unione hypostatica Verbi, poterit igitur illa ferri in excellentiam priorem, quin in posteriorem feratur, & si possumus adorare unam personam Divinam cultu latriæ præscindendo ab alia persona, poterit etiam adorari humanitas Christi à propria unione nostra mente separata. Quod si etiam admitteremus, in actu cognoscente semper involvi conceptum unionis, adhuc nihil probaretur, unio enim hæc, quamvis involvat personam Verbi, remanet in ordine creato, cui propterea non est debitus alius cultus, quam perfectissimæ Duliæ, & diversis actibus potest voluntas se exercere erga diversas Christi perfectiones, v.g. dicendo, adoro te Christe ob increatam perfectionem tuæ Divinitatis, & erit actus latriæ; adoro te etiam ob tuæ gratiæ sublimitatem, & sic erit actus hyperduliæ. Quare ad summum probabitur, non posse adorari Christum solo hyperduliæ actu, excludendo cultum latriæ, non tamen simul utrumque actum successive proferendo, quod indicat S. Th. loco citato subdens. *Ita scilicet, quod una & eadem persona Christi adoretur adoratione latriæ, propter suam Divinitatem, & adoratione Duliæ propter perfectionem humanitatis.* Quid plura proferam? juxta doctrinam Vasquez & aliorum licite possumus laudare Christi humanitatem non laudato Verbo, ergo etiam licite possumus adorare Christi humanitatem Verbo non adorato. Neque dicant, nunquam ab Ecclesia dici, *Christe ora pro nobis*, sed tantum *audi nos*, *exaudi nos*. Etenim hoc solummodo probat, hujusmodi adorationem non esse in usu, non tamen aut esse impossibilem, aut illicitam, & ideo non dicimus, *Christe ora pro nobis*, quia supponimus Christum modo amplius non orare, sed solummodo priora sua merita, & orationes offerre; non est autem in usu hujusmodi adoratio, quia, ut hic docet idem S. Th. *terminus adorationis est suppositum.*

ARTICULUS V.

An, & quomodo Christi Crux sit adoranda.

26. IN resolvenda difficultate proposita plura à nobis inquirenda atque declaranda sunt. Primo; hæreses variæ recensendæ sunt. Secundo; statuenda catholica veritas. Tertio; de Crucis effigie. Quarto; de signo Crucis, ac ejusdem usu, additis nonnullis aliis ad Crucem spectantibus.

§. I.

Variæ hæreses circa Christi Crucem.

ICONOMACHI, de quibus alio in loco sermo noster continget, etsi in Sanctorum imagines diabolico furore debaccati sint, attamen Christi Crucem venerati sunt, ut colligitur ex S. Damasceno in lib. 2. de imaginibus orat. 2. & ideo ex Crucis adoratione etiam imaginibus cultum exhibendum esse inferebat, dicens: *Nonne materia est Crucis illud ter beatum ac fortunatum Lignum? nonne materia est augustus ille, sanctusque collis, qui Calvariæ locus dicitur? nonne materia est salutaris illa petra, nempe sepulchrum Domini, fons nostræ resurrectionis? &c. Aut igitur horum omnium cultum, adorationemque tolle, aut ecclesiasticæ traditioni etiam imaginum adorationem permitte.*

27. Primus, quem Christi Crucis usus & cultus hostem sustinuerunt, fuit Claudius Taurinensis Episcopus Felicis Urgellitani Discipulus, ut testantur Ivo Carnotensis in fine sui Chronici, & Jonas

Jonas Aurelianenſis in lib. de cultu imaginum. Secundi fuerunt Iſmaelitæ, ſeu Saraceni, poſt novam Mahumedis ipſis datam inſtitutionem, de quibus ait Euthymius in Panoplia tit.24. *Calumniantur nos, tanquam idololatras, eo quod Crucem adoramus, quam illi deteſtantur.*

28. Advenerunt deinde Pauliciani, ita dicti à Paulo & Joanne eorum Magiſtris, de quibus ſermo eſt apud Petrum Siculum p.18. Iſti ſub imperio Baſilii Macedonis cum filiis ſuis Conſtantino, & Leone, tam impie in Crucem ſe geſſerunt, ut de ipſis dixerit laudatus ſcriptor. *Quod figuram, & efficaciam, ac vim gratioſæ, vivificæque Crucis non recipiant, ſed infinitis contumeliis afficiant.* Mirabilius tamen de ipſis narrat Photius, magiſque abſonum; videlicet, ipſorum morbis aptatam eſſe Sanctiſſimam Crucem, atque ſanos effectos eſſe, nec tamen illius virtuti gratos ſe præbuiſſe. Ecce illius verba apud Euthy. in Panop. t 21. *Cum in vehementiorem aliquem morbum inciderint, prætioſam, ac vivificam Crucem ex Ligno factam, ſibi ipſis imponere: tum recuperata ſanitate, illam confringere, proculcare, & abjicere. Evangelium noſtrum adorare non dubitant; ſed non ea parte, in qua imago prætioſæ Crucis exarata eſt: verum in alia Codicis ejuſdem, ubi nulla eſt figura Crucis.*

29. Paulicianis addendi ſunt Bogomili, quorum hæreſis ex Manichæorum, & aliarum ſectarum colluvione conflatam eſſe aſſerit Euthym. in Panop. tit.23. quique Divinam Crucem contemptui habuerunt, quia fuit Salvatoris interfectrix, quod eſt argumentum primum, quod ſibi opponit S. Th. q.25. art.4. ubi dicit, nullus pius filius veneratur contumeliam Patris ſui, ſed Chriſtus in Ligno Crucis opprobrioſiſſimam mortem paſſus eſt ſecundum illud ſapientiæ 2. *Morte turpiſſima condemnemus eum*, ergo non debemus Crucem venerari, ſed magis abhorrere.

30. Fortaſſe ab iſtis veluti impietatis Magiſtris, alii didicerunt; fuerunt iſti tempore Sancti Bernardi, & Petri Cluniacenſis, Petrobuſiani, ſeu Bruiſſiani, qui à Petro de Bruis nomen acceperunt, inter quorum plurimos errores in epiſ. contra ipſos à Cluniacenſi ſcripta iſte recenſetur. *Ad inauditam Divinitatis contumeliam, magno de Crucibus aggere inſtructo, ignem immiſiſtis, pyram feciſtis, carnes coxiſtis, & ipſo paſſionis Dominicæ die Paſchalem Dominicam præcedente. invitatis publice ad talem eſum populis, comediſtis.* Fuerunt inde etiam Wicleffiſtæ, ut narrat Th. Vualden. tom.3. cap.106. Valde mirum fuiſſet, ſi Calviniani, aliique poſteriorum temporum perditi viri, errores iſtos non excitaſſent; ſed profecto id fecerunt, ut videri poteſt apud Calvinum lib. inſtitut. cap.11. §.7. Centuriatores centuria 4. cap.4. quorum argumenta, quantum ad hanc rem pertinet, diluemus; inter iſtos Claudium Salmaſium profeſſorem præterire non poſſum, utpote præter modum arrógantem Virum, ac fabuloſum. Hic in epiſ. ſua prima ad Thomam Bartholinum, hæc habet. (Hæc refero, non quia ad rem, in qua de Cruce agimus pertinet, ſed ut, quanta fides huic haberi debeat, oſtendam) *Hodie, ſi vera narrantur, quotannis feſto die mortalium, ni fallor, aliquis ex junioribus Cardinalibus in Cœmeterio D. Petri ſtat, curat effodiendum cadaver aliquod temere oblatum, cujus oſſa jam caro reliquerit; prolata inde oſſa accipit. Petentem Sancti alicujus reliquias interrogat, cujus Sancti velit, ſi reſpondet, Divi Petri, partem oſſiculi detracti baptizat in nomen Petri, & ei dat. Idem in aliis facit, qui cupierint habere, aut Pauli, aut Barnabæ &c.* Quid hoc ſtolidius dici poterat? aliud veritatis non habuit, niſi priora verba *ſi vera narrantur* aut enim falſo narratum eſt, aut hoc ſibi inter pocula finxit.

31. Armeni vero in hanc demen-

tiam inciderunt, ut Crucem Christi veneratione prosequerentur, non tamen priusquam eam lavarent, &, clavum in ea figendo, sacrificii Sanguine tingerent, ante enim hasce cœremonias eam rem communem, & immundam arbitrabantur. Narrat hoc toties laudatus Euthym. tit.20. Panopl. cap.14. Faustus Manichæus omnino oppositum doeuit, & tantum honoris detulit Cruci, ut omnem arborem veneratione dignam esse existimaret, & inde factum est, ut ejus Discipuli fructus ab arboribus decerpere seu colligere formidarent; narrat hoc S. August. lib.20. contra Faustum cap.11. & ex S. August. Vualdens. tom.3. cap. superiori 160. Quidquid tamen dixerint isti vel alii.

§. II.

Statuitur Catholica veritas.

32. Dicendum pr. Christi Cruci impendendam esse adorationem.

Ad veritatem hanc declarandam validiori argumento uti non possumus, quam eo, quod multis retro sæculis à toto orbe Christiano receptum esse non præterit, atque in consuetudine positum esse inficias iri non potest; Hoc si quis negaret, merito pro scelesto, ac nefario habendus esset. Ita autem est in re nostra, ut à Constantini tempore, quo Crux Christi adinventa fuit, semper eam adorandam esse, omnes Sancti, doctique viri crediderint, atque aliis id voce scriptoque proposuerint.

S. Ambrosius tom.5. col.124. *Sapiens*, inquit, *Helena, quæ Crucem in capite Regum levavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur*. Paulinus Nolæ Episcopus in epist.11. postquam multa disseruerit de Crucis inventione, & dignitate, quanto in honore Lignum illud habitum sit, narrat hisce verbis. *Digno ambitu consecratur, condita in passionis loco Basilica, auratis corusca loquearibus, & aureis dives Altaribus, arcano positam sacrario Crucem servat; quam Episcopus Urbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipse venerantium promit. Neque præter hanc diem, qua Crucis ipsius mysterium celebratur, ipsa, quæ Sacramentorum causa est, quasi quoddam Sacræ Solemnitatis insigne profertur: nisi interdum religiosissimi postulent, qui hac tantum causa illo peregrinati advenerint, ut sibi ejus revelatio in præmium longinquæ peregrinationis deferatur &c.* Rusticus Diaconus in Dialog. contra Acephalos, sic scribit. *Clavos, quibus confixus est, & Lignum Venerabilis Crucis, omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat*. Denique Damascenus lib.4. cap.12. hanc profert sententiam. *Pretiosum reipsa Crucis Lignum, & venerandum, in quo semetipsum in Sacrificium pro nobis obtulit Christus, tanquam Sancti Corporis, & Sanguinis tactu sanctificatum, merito est adorandum, necnon clavi, Lancea, Vestes &c.*

33. Pauca hæc protuli Patrum monumenta, cum in ipsis expressa fiat mentio adorationis, plura potuissem afferre, in quibus Crucis lignum, tanquam vexillum salutis, Christi triumphus, palma vitæ æternæ, remedium immortalitatis attollitur, & prædicatur, plura, in quibus miracula per Crucem perpatrata recensentur. Unum tantum referre placet, quo respondeamus inquirentibus, quo pacto tot Sanctæ Crucis fragmenta in toto orbe terrarum dispersa sint, *ut tanta sit lignorum illorum multitudo, ut ei sufficere vix posset cædua Sylva*. Hæc sunt verba Salmasii. Paulinus autem superius laudatus ibidem hæc habet. *Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat: quotidie dividuam sumentibus, & semper*

per totam venerantibus. Sed istam imputribilem virtutem, & indeteribilem soliditatem de illius profectò carnis sanguine bibit, quæ passa mortem non vidit corruptionem, neque hoc adeo Salmasio risu excipiendum videri debet, nisi etiam mentis figmentum dicat; quod refert Sulpitius Severus in 1. lib. Historiæ Sacræ de eo loco, unde Christus ascendit in Cœlum, nimirum, cum quotidie confluentium fides certatim calcatum pulverem diriperet, damnum tamen arenam non sensisse, & eandem adhuc sui speciem, velut impressis signatam vestigiis terram custodisse.

34. Potest autem Theologica ratio ad confirmandam catholicam veritatem à nobis stabilitam desumi ex variis Scripturæ textibus. Christus enim se Patri obtulit in ligno crucis, tanquam in altari; ad Hebr. 7. Cruci affixit chirographum decreti; quod erat contrarium nobis, & in ea spoliavit principatus & potestates; ad Colos. 2. Pacificavit per sanguinem crucis ejus quę in cœlis sunt, & quæ in terra. Ad Colos. 1. Peccata nostra pertulit in ligno crucis. 1. Petri 2. Cur igitur crux, tanti sacrificii altare, tanti triumphi instrumentum, tantæ pacis & redemptionis pignus, non erit adoratione excipienda?

35. Nunc aliqua opponam, non quidem quia aliqua responsione digna sint, sed ne hæreticorum deliramenta aut ignorare, aut præterire videamur. Primum argumentum est illud, quod sibi proponit S. Th. de quo supra; nimirum, crucem Christi fuisse instrumentum passionis & mortis Christi, non est igitur adoranda, nemo enim adorat patibulum, in quo Pater suus mortuus est. Hoc certe non opposuissent, si ipsis perpendere datum esset non crucis ignominiam, sed victoriam, *cum enim exaltatus fuero*, scilicet in cruce dixit Christus, *omnia traham ad me ipsum*. Propter Crucis mortem donatum est illi nomen, quod est super omne nomen, & factus principatus super humerum ejus; Hac diabolum profligavit, hac humanum genus redemit, merito igitur à piis filiis hæc adoratur, quæ dilectissimo Patri tantam protulit gloriam, sibi vero tantam utilitatem; Quanquam quid crucis ignominiam opponunt? Fuisset hæc Christo ignominiæ, si propter peccata propria pertulisset, at solum pro alienis, ut opera diaboli dissolveret, eam pertulit; lignum certe, quo gloriosius nihil; Nonne filii patibulum & instrumentum Patrum suorum jure optimo servarent, & tamquam insigne domus attollerent, si pro liberanda Patria occubuissent? Hac in re præclare S Ambros. in Luc. 6. col. 94. *Crux Christi ut Judæis olim & Gentilibus, scandalum est & opprobrium? Nullum hoc majus Divinæ est personæ testimonium, nihil est, quod magis esse ultra humana videatur, quam toto se unum obtulisse pro mundo, hoc vel solo plene Dominus declaratur.* Præclare etiam Augustin. de sym. cap. 5. *Crux illa fidelibus non est opprobrium, sed triumphus, Crux illa vexillum nostrum est contra adversarium nostrum diabolum.* Fuit olim Crux homines perimendi instrumentum, nunc facta est instrumentum perimendi diabolum.

36. Secundum argumentum illud est, quo utuntur Wicleffistæ, quia si Crux adoranda est, ideo hoc conceditur propter contactum, quem habuit corpori Christi, at hæc ratio non probat, quia secus, etiam labia Judæ, quæ deosculata sunt Christum, & manus Malchi, quæ Christum percussit, digna forent adoratione. Respondet Thomas Waldensis, & cum eo alii Theologi, non omnem contactum sufficientem esse ad adorationem, sed solum contactum innocentem ac religiosum, aliter enim pars tangens est pars hominis impii, qualis fuit Judas, & ideo si labia Judæ adorarentur aut &c. adoratio ipsi Judæ exhiberetur, quod enim est honor partis fit honor totius. Responsio tamen hæc aliam patitur instantiam, quia saltem sequeretur, quod homines pii, ac

Mu-

Mulieres devotæ, quibus datum est Christum tangere, adorandi essent hoc solo titulo, sicut adoratur crux; Quapropter dico, non adorari præcise crucem propter tactum simpliciter, sed propter tactum ad instar instrumenti, in quo Christus triumphavit, & sua morte mortem omnium devicit, & alia, de quibus superius dictum est.

Alia plura non oppono, quia conveniunt cum aliis, de quibus infra dicendum occurret.

37. Quia tamen omnia corruerent, si Crucis inventio in dubium revocari posset, aut negaretur, ut revera faciunt Centuriatores cent. 4. cap. 16. ideo operæ pretium est, ejusdem inventionis historiam proferamus, ac tueamur. Crucem imperante Constantino Helenæ ejusdem Matris studio, industria, & magis pietate, immo peculiari supremi numinis ductu, atque illustratione apud Jerosolymam inventam esse, tot testes habemus, quot scriptores. Totam rem uberrime, atque eleganter describit S. Ambrosius in oratione funebri Theodosii Imperatoris, nec eam omittit Paulinus Nolanus Antistes in epist. 11. ad Severum Sulpitium. Invenietur apud Ruffinum lib. 1. Historiæ cap. 8., Socratem lib. 1. cap. 13. Theodoret. lib. 1. cap. 18., Sozomen. lib. 2. cap. 1., qui omnes, etsi in aliquo accidentario modo inter se discrepent, attamen in eo, quod ad rem attinet, unanimi sensu conveniunt. Id etiam disertis verbis descripserunt Eusebius Cæsariensis lib. 3. de Vita Constantini cap. 27. & Eusebius Jerosolym. in epist. ad Constantium; & primus tanta admiratione crucis ad inventionem prosequitur, ut nullum orationis cultum præsentis miraculi dignitatem assequi valere, & omnes quotquot per orbem universum videntur esse sapientes, si in unum convenirent, & dignum aliquid eloqui re tanta vellent, ne cum minima ejus parte certare posse fateatur *tantum quippe*, sunt ipsius verba, *naturam omnem humanæ intelligentiæ capacem vincit illius magnitudo miraculi, quanto cœlestia constat humanis esse potiora*. Quanvis vero ab hisce duobus postremis nulla mentio fiat Helenæ Imperatricis, parum refert; primo quia, necesse non est, omnia ab Historicis referantur; Secundo quia, licet non fuisset Helenæ studio ac pietate conquisita & inventa, adhuc inventam fuisse non potest negari; Tertio tandem quia, quod ab utroque Eusebio prætermissum est, ab aliis fuit summis laudibus celebratum, præsertim vero à S. Ambrosio hæc habente. *Beatus Constantinus tali parente, quæ imperanti filio Divini muneris quæsivit auxilium, quo inter prælia quoque tutus assisteret, & periculum non timeret. Magna fœmina, quæ multo amplius invenit quod Imperatori conferret, quam quod ab Imperatore reciperet &c.* Videant igitur hæretici quantum desipiant, & sua malitia delirent, dum vel Christi crucem adorandam non esse, temere prædicant, vel nunquam inventam fuisse, fingunt, & persuadere contendunt.

38. Difficultas, etiam inter Catholicos fieri posset, quo cultu sit adoranda.

S. Th. hic qu. 25. art. 4. verba sunt ista. *Respondeo dicendum, quod honor, seu reverentia non debetur nisi rationali naturæ: creaturæ autem insensibili non debetur honor, vel reverentia, nisi ratione rationalis naturæ. Et hoc dupliciter. Uno modo, inquantum repræsentat rationalem naturam: alio modo, in quantum ei quocumque modo conjungitur. Si ergo loquamur de ipsa cruce, in qua Christus crucifixus est, utroque modo est à nobis veneranda, uno scilicet modo, in quantum repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea, alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc, quod ejus sanguine est perfusa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriæ. Et propter hoc etiam crucem alloquimur, & deprecamur quasi ipsum crucifixum.*

39. Oppositum docuerunt post Bellar-

larminum. lib. 2. de imaginibus Sanct. cap. 22. recentiores Theologi, & præ aliis momentis afferunt auctoritatem Concilii Nicæni, nempe septimi generalis act. 7. ubi hæc à Patribus statuuntur. *Ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam Divinam naturam decet, impartiendam; ita ut istis, sicut figuræ pretiosæ ac vivificæ Crucis, & Sanctis Evangeliis, & reliquis sacris monumentis, incensorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur.* Hisce addunt testimonium S. Ambrosii oratione de obitu Theodosii, ubi de Helena Constantini Matre sic loquitur. *Invenit ergo titulum* (nempe Crucis) *Regem adoravit, non lignum utique, quia gentilis hic error est, & vanitas impiorum: sed adoravit illum, qui pependit in ligno, scriptum in titulo.*

40. Hæc tamen omnia, & si quæ sint alia, unica arbitror distinctione posse servari; Vel enim lignum crucis ita adoramus, ut mente nostra conjungamus Christum, & ita adorandum est cultu latriæ, qui per se primo respicit Christum, & tantum concomitanter & per accidens lignum, & ita explico Sanctum Thomam, in quo sensu loquutus est etiam S. Hieronym. epist. 17. ad Marcellam, ubi ait. *Venerabantur Judæi propitiatorium; nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum? quod quotiescumque ingredimur, jacere in Sindone cernimus Salvatorem.* Si vero lignum Crucis mente nostra à Christo separemus, aut de Christo non cogitamus, tunc non adorabitur cultu latriæ propriæ, sed solum respectivæ, quam hyperduliam vocavit S. Th. in 3. dist. 9. qu. 1. art. 2. Miror tamen à recentioribus Theologis, præsertim à Tornelio adduci doctrinam illam Septimi Concilii generalis, cum ibi sit tantummodo sermo de figura pretiosæ, ac vivificæ Crucis, non de ipsa vera Cruce; Huic autem concedi potest & debet cultus major, quam ejusdem figuræ.

§. III.

De Crucis effigie.

41. Ut amplius contra hæreticos, qui de Christi Cruce tam impie ac nefarie senserunt, rem peragamus, etiam de ejus effigie disserendum, paucis juxta morem nostrum, aggredimur. Porro à Constantini tempore repetenda res est. Primus iste fuit, cui Crucis effigies apparuerit, cum hac inscriptione, *Hoc vince*. Et primus etiam, qui victrici signo honorem contulerit, ita ut ad ejus, quod viderat, similitudinem aliud ex auro, gemmisque pretiosissimis elaborari præceperit, ex quo vexillum factum est, cui *labari* nomen imposuit, quo tanquam tutissimo præsidio contra hostiles copias in præliis uteretur, & quo, jam devicto Maxentio, Romam triumphator ingressus hoc monimentum in medio foro constituit, latinis litteris exarata inscriptione, qua fateretur. Hoc se salutari signo Civitatem, & S.P.Q.R. à tyrannide liberasse, ac deinceps semper in galea gestare consuevit. Narrant hæc omnia Euseb. lib. 9. hist. cap. 9. Socrates lib. 1. cap. 2. Sozomen. lib. 1. c. 4. Niceph. lib. 7. cap. 29.

42. Hæc Constantini pietas, & grati animi declaratio ad alios etiam pios Reges ac Imperatores pertransiit, & plura monumenta ex Sanctis Patribus producere non prohibemur. *Reges, deposito diademate, Crucem suscipiunt, mortis illius signum. In purpureis Vestibus Crux inest, in diadematibus Crux, in armis Crux, in sacra mensa Crux, & ubique terrarum Crux Sole ipso clarius refulget.* Scribit Jo. Chrysost. hom. 61. *Quia honoratus ipse*, Deus, *erat fideles suos in fine hujus sæculi, prius honoravit Crucem in hoc sæculo, ut terrarum Principes, credentes in eum, prohiberent, aliquem nocentium crucifigi, & quod cum magna insultatione persecutores Judæi Domino procurarunt, magna fidu-*

fiducia servi ejus etiam Reges in fronte nunc portant ait August. serm.18. de verbis Domini. Hinc Prudentius in Apotheosi.

Jam purpura supplex
Sternitur AEneadæ Rectoris ad atria Christi;
Vexillumque Crucis summus Dominator adorat.

quamquam quid plura? plura, quam à me scribi vel dici possunt, reperies in sexta Synodo can. 73. & in septima act.7. in definitione fidei.

43. Præterire tamen non possum hæc tria. Primum; Theodosium legem tulisse, qua prohibuit; signum Crucis humi dipingi. Pr. lib. Codic. titulo 8. incipit, *Cum sit nobis*. Secundum; Tiberium Imperatorem, qui Justino successit, cum in Palatio deambularet, & in tabula marmorea, pavimento substrata, signum Crucis vidisset, eam attoli præcepit. Ita ex Paulo Diacono lib.3. Historiæ Longobardorum cap.6. Ultimum; Arcadium auream monetam cum signo Crucis incudi jubentem, ut affirmat Prosper lib. de prædictionibus, & promissionibus p.3. cap.34.

44. Neque vero absque matura consideratione, & insano, vel superstitioso modo id actum à Principibus est, ut sine prudenti, ac justissima causa tantum honoris Crucis signo delatum fuerit. Jam de Constantini causa prænotavimus, de quo scripsit Sozom. lib.1. cap.8. *Etenim Divinæ Cruci multum venerationis adhibebat, tam propter subsidia in bello contra hostes gerendo ex ejus virtute sibi allata, quam propter Divinam de ea sibi oblatam visionem.* Sunt tamen & alia Crucis prodigia, quæ venerationem hominum sibi merito postulabant. Antequam aliqua, ex innumeris proferam, videant Hæretici, quanto honore priscis etiam temporibus Christi Crux habita sit, neque nos aut stolidos, aut superstitiosos reprehendant, si Crucis effigiem & ubique attollimus, & ubique veneramur.

45. Nunc aliqua, ex innumeris salutiferæ Crucis signi, prodigia proferam. Sed jam protulerunt Eusebius de Vita Constantini lib.2. cap.9. Zonaras tom.1. Annal. Sozomen. lib.1. hist. c.4. Eutropius lib.11. rerum Romanarum. Unum est; quod, cum sub Flavio Constantino vexillifer quidam ferme profligato exercitu, fugam arriperet, atque alteri labarum, cui insculpta Crux erat, tradidisset, statim telo confossus occubuit, alter vero, cui traditum fuerat, inter enses & tela incolumis fuit præservatus, ut hastæ labari ictus omnes manerent infixi. Aliud est; Licinium tyrannum, cum experimento, damnoque suo didicisset, quantum virtutis Crucis signo donatum esset, milites suos admonuisse, ne oculos suos in illud conjicerent, sed quantum fieri posset, ab eo declinarent. Timeant igitur Crucis signum Hæretici, si venerari audacter recusant; & meminerint, hoc signum Crucis in Cœlo futurum, cum Dominus ad judicandum venerit.

46. Neque vero calumnientur, sic à nobis Cruces omnes adorandas esse, ut olim Cœcilius Gentilis Christianos exprobabat, nam illis respondebimus cum Octavio apud Minucium Felicem, Cruces nec colimus, nec optamus, nisi illas, quæ Christi figuram repræsentant; urgent tamen, & dicunt, quod si Crucis signum aliqua dignum esset veneratione, etiam qualibet Lancea, quodlibet flagellum, omnesque clavi sine veneratione non forent, immo & quodlibet Lignum, quod Crucis figuram potest exprimere, præsepia etiam omnia cultu prosequemur, quia in præsepe natus est Christus.

Ut video, res nostras, revera sacras, irridendas esse, ut solent, Hæretici vellent ostendere, & quod aut rationibus, aut Patrum authoritatibus non possunt, contendunt nugis evincere. Multifariam respondent Catholici; sufficiat tamen responsio S. Th. nimirum, Crucis signum non ad alium usum

uſum deputatum eſſe à Chriſtianis, quam ad repræſentandam Chriſti paſſionem, e contra vero Lanceas, clavos, ſpongiam &c. in alios uſus familiares venire; quapropter in aliquibus circumſtantiis, in quibus hæc ad illam repræſentandam aſſumuntur, etiam hæc cultu ac veneratione, ſeu honore ſunt afficienda. Aliam reſponſionem exhibet Athanaſius in quæſtionibus ad Antiochum qu.16. ubi inquirit, quare à nobis Crucis fiant imagines, non ſic clavorum, ſpongiæ, vel arundinis, & reſponde. *Figuram Crucis ex duobus Lignis compingentes conficimus, ut ſi quis infidelium reprehendat nos, quod Lignum veneremur, poſſumus ei perſuadere, Ligna illa diſſolvendo, & inutilia reputando, nos non colere Lignum, ſed figuram, in aliis vero id oſtendere non poſſumus.*

§. IV.

De ſigno Crucis, & ejuſdem uſu.

47. Usque modo de ſigno Crucis, quod permanens dicitur, ideſt de Crucis imagine, vel effigie; nunc vero de Crucis ſigno, quod tranſiens appellatur, nimirum de illo, quod quis ſibi in fronte, vel in pectore manuum miniſterio aptat, aliquid agendum eſt. Revera non multum agendum eſt contra Hæreticos, cum & ipſi hoc admittendum eſſe cenſeant, ut Petrus Martyr & Hieronymus Zanchius, cum Iſaaco Caſanbono, quamvis nullam ipſi in ſe ipſo concedant virtutem, ſed tantum piam exiſtiment cœremoniam, quæ orationi adjuncta, animos fidelium ad Chriſti Crucem evehat conſiderandam; A' nobis in propoſita re plura perpendenda eſſe exiſtimamus.

48. Primo ſignum hoc Crucis apud Veterem Eccleſiam in uſu fuiſſe, nemo in Patrum doctrina verſatus ire poteſt inficias. Celebre ſatis eſt dictum Tertulliani lib.3. contra Marcion c.22. quod eſt hujuſmodi. *Ad omnem progreſſum, ad omnem aditum, & exitum; ad veſtitum, calciatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia; quocumque nos converſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus.* Ambroſii tempore, & Auguſtini id peractum eſſe, celeberrimi iſti Doctores teſtantur, & quidem in fidei proteſtationem. Primus in lib. de iis, qui initiantur cap.4. hæc habet. *Credit autem etiam Catechumenus in Crucem Domini Jeſu; quia & ipſe ſignatur.* Secundus vero tract.11. in Joan. *Si dixerimus Catechumeno, credis in Chriſtum? reſpondet, credo, & ſignat ſe Cruce Chriſti. Portat in fronte, & non erubeſcit de Cruce Domini ſui.* Et in pſ.141. *Uſque adeo de Cruce non erubeſco, ut non occulto loco, ſed in fronte eam ponam. Inſultet ille crucifixo Chriſto, videam ego in frontibus Regum Crucem Chriſti.* Ita hoc tenendum eſt, ut non alio externo ſigno Moſaycæ legis profeſſores à Chriſti cultoribus ceſſerentur diſtingui, atque ideo dixit Euſebius Cæſarien. lib.9. de demonſtrat. Evangelica. *Hos ipſos manifeſtos fore, dum pro eo more, qui apud nos receptus eſt, vultum ſignant Chriſti ſigillo; ac doceantur, haud amplius legem Moyſis diſcere.* Omittam alia plura, & ſatis me dicturum exiſtimabo, ſi etiam apud Gentiles ſtudioſos, ac ſapientes Crucis ſignum adhibitum eſſe, demonſtravero; hoc autem dicit Auguſtin. tom.10. in fragm.8. hæc ſcribens. *Ut plurimi etiam ex ſapientibus ſæculi, quibus videbatur ignominioſa Crux Chriſti, ea in fronte ſignantur, & de qua erubeſcendum putabant, nobiſque inſultabant, eam in pudoris arce,* ideſt fronte, *conſtituant.*

49. Neque vero id ſine æquiſſima cauſa actum eſt, quippe quod noverint omnes, quantum huic Crucis ſigno virtutis ineſſet, præſertim vero ad Dæmones expellendos, eorumque fraudes eludendas, tum etiam ad plura hujus vitæ commoda conferenda. De primo puncto ſic ait Athanaſ. in lib. de Incarnat.

nat. Verbi Dei, *solo Crucis signo utens fraudes illius repellis*. Deinde provocans Gentiles ad hujusce rei experimentum, addit. *Utatur signo Crucis, quam irridere solet, ac videbit, quemadmodum per ipsum Dæmones quidem fugiunt, oracula cessant, porro magica vis omnis, & venefica irrita redditur*. Hinc Sanctus Antonius, ut se invisentibus arma tutissima, quibus Diabolum vincerent, exhiberet, *signate*, dicebat, *vos, & abite securi*. Chrysostom. vero hom.21. ad populum. *Crucem fronte imprime, sic enim nec ipse Diabolus lædere poterit*. Et orat.5. contra Judæos de Christiano Synagogam intrante ait: *Quomodo vero intrabis in Synagogam? si vultum tuum signes; statim nequam virtus avolabit, quæ habitat in Synagoga. Sin minime signaveris, statim ab ipsis foribus armaturam abjeceris: unde nudum, & inermem te Diabolus excipiens, infinitis malis afficiet*. Plura sunt in hac re, quæ Scriptores Sacri tradiderunt exempla; illustre est illud, quod refert Greg. Nyssenus orat. de S. Greg. Thaum. nimirum, quemdam hujus Discipulum balneas, quas homicida Dæmon occupaverat, signo Crucis munitum securum, & illæsum adiisse. Aliud, & hoc pro secundo puncto, est, quod Augustinus narrat lib.22. de Civit. c.8. videlicet, Innocentiam, unam ex primariis fœminis, cum in mamilla cancro torqueretur insanabili, signo Crucis signatam confestim sanitatem acquisivisse. Hinc Prudent. hymno sexto Cathemerinon.

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile
Frontem locumque cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen.
Fugiunt Crucem tenebræ,
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

50. Est igitur Crux munimen nostrum, atque validissima defensio, quo Martinus protectus hostes securus penetrare non trepidavit, & quo factum est Theclæ incendio damnatæ, ut ignis naturæ suæ oblitus, Virgini thalami potius loco fuerit, quam fornacis, ut scribit Basilius Seleuciensis lib.1. de vita ejusdem. Quare merito dixit Cyrill. Jerosolym. Catech.4. *In omni negotio, comedens, bibens etiam signa te in fronte*. Et Hieronym. epist.22. ad Eustoch. de custodia Virginit. *Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat Crucem*. Hæc intelligant Hæretici, & Crucis signum honorent; sin minus, saltem ut Dæmones timeant.



DI-

DISPUTATIO ULTIMA.

De adoratione adhibenda erga Sanctos.



ULLUS est ex Theologis celebrioribus, qui post statutam adorationem impendendam erga Christum, etiam de illa, quam erga Sanctos profiteri debemus, plurima non proponat, & merito quidem, cum & antiquissimis temporibus, & postremis etiam infensos hostes in hac re perpessa sit Christiana Religio; Quare id à me etiam præstandum esse satis intellexi, nec aptiori loco id à me fieri posse, quam in præsenti, existimavi. Quamobrem

QUÆSTIO PRIMA.

An Sancti sint adorandi.

CAPUT PRIMUM.

1. 

E civili cultu, qui etiam impenditur apud homines erga aliquem virum virtute, dignitate, vel alia excellentia præstabilem, nulla quæstio est nos inter ac Novatores, sed de illo, qui ad religionem pertinet, quo Sanctorum præclara merita, in fide constantiam, in cruciatibus fortitudinem, in charitate fervorem, in singulare tuendæ, ac propagandæ religionis studium, atque alia supernaturalia dona honore prosequimur ac veneratione. Neque etiam de latriæ cultu sermo noster instituitur, hunc enim uni Deo, tanquam supremo omnium Domino, à quo quidquid in Sanctis insigne ac admirabile refulget, acceptum donatumque esse profitemur, debitum esse, quilibet Christianus agnoscit. Rursus de illis Sanctis tantummodo loquimur, quos in Beatis sedibus receptos esse, non dubitamus.

2. Si cum ethnicis, ac Mahumetanis res tantum peragenda foret, nihil certe à me diceretur, cum nec Scripturas, nec Patres, nec Concilia afferre liceret; Sed Hæreticos in hac disputatione aggressurus, validissima non nulla subjiciam. Primus, qui inter eos Sanctorum adorationem negavit, notatur Eustathius Sebastiensis ab Alphonso de Castro lib. adversus hæres. verbo *Sancti*; & Patreolo verbo *Eustathius*. Et facile etiam deduci potest ex definitionibus Concilii Gangrensis, præsertim vero in præfatione. Idem error tributus deinde fuit Vigilantio apud Hieronym. ep. 53. & Fausto Manich. apud August. lib. 20. contra ipsum cap. 21. Res tamen prorsus incerta est; nam quamvis isti Sanctorum reliquiis omnem venerationem adimerent, non tamen ex hoc sequitur, omnem adorationem etiam Sanctis ipsis ademisse, quod contingit etiam in nostrorum temporum novatoribus, qui etsi temere dicant, crucem, ac Christi imagines nullo cultu esse afficiendas, non tamen negant, Christum adorandum esse.

3. Quod igitur pro certo habere possumus, est, Julianum Apostatam primum fuisse, qui Sanctis cultum omnem abstulit, ac negavit, & hoc satis indicant Cyril. lib.6. contra ipsum, & Nazianz. orat.3.num.17. Nunquam tamen tam acriter & barbare in Sanctos actum est, quam tempore Leonis Isaurici, & Constantini Copronymi, de quibus infra disseremus. Errores istos excitarunt Wiclefistæ penes Waldensem tom. 3. cap. 118. & tandem immanius etiam Calvin.lib.1. instit.cap.11.§.11. & Centuriatores cent.1. lib.2. cap.4. Contra quos.

4. Dicendum: Dogma Fidei esse, Sanctos adorandos esse minori cultu, quam sit Deus, majori vero, quam sint homines, quem cultum nos Catholici appellamus duliam.

Hoc primo loco demonstramus ex iis, quæ in Scripturis Sanctis enarrantur. Quid dicitur de Jacob Gen. 18.? *Cumque elevasset oculos apparuerunt ei tres viri stantes post eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum, & adoravit in terra?* Quid de Loth 19.? *Cum vidisset eos, surrexit, & ivit obviam eis, adoravitque pronus in terram.* De Balaam num.22. legitur. *Vidit Angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram.* De Josue cap. 5. habetur. *Levavit oculos, & vidit virum stantem ante se, perrexitque ad eum, & ait: Noster es, an adversariorum? qui respondit; nequaquam; sed sum princeps exercitus Domini. Cecidit Josue pronus in terram, & adorans ait &c.* Nunquid Saul 1. Reg. cap. 28. non inclinavit faciem suam in terram, & adoravit Samuelem? Numquid non Abdias Eliam 3. Reg. cap. 18.? Quid igitur novi à nobis fit, si Sanctos adoraturi prosternimur?

5. Secundo loco afferre possem Concilia, in quibus hæc veritas declarata, ac statuta est, & Sanctos Patres, qui pro Sanctorum adoratione diserte scripserunt; sed cum hæc adducenda sint, ubi de cultu erga Sanctorum reliquias agetur, libenter modò prætereo. Unum vel alterum testimonium tantum exponam. Eusebius lib.7. Hist. c.19. hæc habet postquam de S.Jacobi Hierosolymitani cathedra sermonem habuerit. *Satis perspicue declarantes, qualiter tum antiquiores, tum nostri temporis Christiani, viros Sanctos ob ipsorum erga Deum amorem, debito semper honore venerati sunt, & hactenus venerantur*, S. Hieronym. in epist. ad Riparium de erroribus Vigilantii. *Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait, qui vos suscipit, me suscipit*, Augustin. lib. 20. contra Faustum cap. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat.*

6. Honorem autem hunc esse veram adorationem, nec solum cultum civilem, & politicum, hac potest ratione demonstrari. Adoratio aliud non est, quam submissi animi testimonium & nota erga excellentiam alicujus, quanto igitur excellentia crescit, tanto crescit adoratio, atqui in Sanctis est excellentia major quacumque excellentia civili, & humana, sunt enim filii & hæredes Dei, cohæredes Christi, ergo.

7. Non sunt hic prætereunda momenta illa, quibus oppositum hæretici contendunt ostendere, sed illa tantum, quæ cultum adimere videntur, nam quæ ad Sanctorum invocationem pertinent ad suum locum reservabimus.

Primo opponunt ex Scriptura. Deuteron.6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Quo textu usus est Christus Dominus Math.4. Dæmoni ab ipso adorationem poscenti inquiens, *scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis &c.* postulavit autem Diabolus non latriæ cultum, sed inferiorem, ergo nullus cultus adhiberi potest in creaturam sine crimine idololatriæ. Paulus 1. ad Timot. 1. *Soli Deo honor & gloria*; & ad Galat.4. illos admonet, *iis, qui natu-*

tura non sunt Dii; *serviebatis*. Igitur nemini, præter Deum, exhibenda adoratio est.

8. Respondemus, hęc omnia vera esse, loquendo de cultu latriæ, non autem de cultu inferiori, licet religioso, qui non sistat in eo, cui impenditur, tanquam in fine, sed ulterius dirigatur ad Dei honorem, sicuti supra ex Ambrosio dictum est, & adverte in primo laudato textu dictum quidem fuisse, *illi soli servies*, non autem. *Dominum Deum tuum solum adorabis*. Pro secundo textu, licet Dæmon postulavit solum adorationem, quæ secundum secuilibet adorationis generi communis est, attamen superbus ille, qui olim altissimo similis fieri stultissime appetiit, latriæ adorationem postulavit. Optime respondit itaque Christus, solum Deum adorandum esse, ut sic illum magis confunderet, & exprobraret; Quamvis sic Christus respondere poterat, qui revera nulli alteri cultum debebat, quam Deo, omnes enim creaturæ Christo erant inferiores; Non inferas tamen ex hoc, posse Dæmoni aliquem cultum offerri, quippe qui inter omnes abjectissimus est, & Dei apertissimus hostis: Pro tertio textu, dubium non est, ibi sermonem esse de honore & laude soli Deo tribuenda, agitur enim ibi de Christo, qui in hunc mundum venit, ut salvos faceret peccatores, inter quos erat Paulus, qui inquit, se misericordiam consequutum esse, ut foret fidelis. Et quia hoc à sola Dei liberalitate progredi poterat, ideo dixit, *soli Deo honor, & gloria*. Cœterum idem Apostolus honorem, & gloriam inferioris ordinis aliis, quos bene operantes noverat, concedit; ait enim ad Rom. 2. *gloria, & honor omni operanti bonum*. Pro quarto textu, non est, cur aliquid addam; colebant enim prius Galatæ falsos Deos, sicut verum Deum, itaque adorationem lautreticam excludit. Verum de hac re ampliorem Doctrinam juxta Patrum, quibus adhærendum est, mentem, ubi de Sanctorum reliquiis, & imaginibus disputatio instituetur, exponemus.

9. Secundo opponunt quædam Sanctorum Patrum testimonia. Sed pro nunc sufficiat nobis illos explicare, sicut Scripturas expendimus, nimirum ab ipsis excludi cultum latriæ. Etiam de hac re infra.

Potius ergo confugiant ad Concilium Laodicenum, vel ad Adrianum in epist. ad Constantinum, & Irenen. Illud enim can. 35. sic dicit. *Non oportet, Christianos derelicta Ecclesia abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere*; *quicumque autem inventus fuerit occultæ huic idololatriæ vacans*, *anathema sit*. Adrianus vero de Sanctorum adoratione inquit. *Qualis iste est adorationis honor? profecto non alius, quam is, quo nos peccatores quoque invicem prosequimur*, *salutantes nos inter nos per honorationem, ac dilectionem*. Atqui nos inter nos utimur tantum adoratione civili, non religiosa, ergo.

Sed si hæretici mihi opposuerunt canonem 35. illius Concilii, ego opponam illis canonem 34. in quo cultus Sanctorum Martyrum ab eodem conceditur; prohibetur ergo in illo canone cultus erga Angelos malos, ad quos plures magiæ causa dirigebantur, ut fatetur Tertull. in Apologet. cap. 23. Neque etiam Adriani epistolam produxissent, si, quod prius dixerat, non dissimulassent; affirmaverat siquidem, Sanctos colendos esse propter justitiam & sanctitatem, quæ excellentia major est quacumque civili; Hoc igitur nomine cultum illum appellavit per respectum ad cultum latriæ, non per respectum ad illum, quo erga alios homines utimur.

10. Tertio opponunt exempla tam in lege veteri, quam in nova. In illa id est quod Esther 3. legitur, nempe Mardochæum noluisse genu flectere Amano, & propter quid? sic alloquens Dominum se explicat; *Scis, quia non pro superbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem*

rem Aman superbissimum, libenter enim pro salute Israel vestigia pedum ejus deosculari paratus essem, sed timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quenquam adorarem excepto Deo meo. In nova; cum Act. 10. Cornelius adoraret Petrum, respondit iste. *Surge, & ego ipse homo sum.* Act. vero 14. cum Sacerdos cum civibus vellent Paulo & Barnabæ immolare, isti *conscissis vestibus suis exilierunt in turbas clamantes, & dicentes; Viri, quid hac facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines.* Denique Apocal. 19. cum Joannes vellet Angelum adorare, dictum ei ab Angelo fuit. *Vide, ne feceris, conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum, Deum adora.*

11. Primo exemplo respondent aliqui cum S. Th. 2. 2. qu. 84. art. 1. & Lyrano in eum locum; Amanum latriæ adorationem postulasse, aut saltem postulare Mardochæum putavisse, ideo dixit, *sed timui, ne honorem Dei mei &c.* tanta enim viderat ipsum superbia elatum, ut etiam plusquam Regem se adorari velle existimaret; Quod enim alia adoratio Mardochæo licita foret, nemo merito dubitabit, cum nec lege prohibita foret, & à pluribus in lege Sanctis fuerit adhibita. Ipsa Esther adoravit Assuerum, Ruth Booz, Judith Olofernem, Abigail, & Miphibosеth Davidem &c. Vere igitur Mardochæus putavit, ab Amano peti adorationem latriæ.

Respondent vero alii cum Cajetano 2. 2. q. 84. art. 1. quod, etsi cultus ille esset secundum se mere civilis, tamen ex consuetudine genu flectere quotidie sine aliqua magna necessitate soli Deo debitum erat, & ideo dixisse Mardochæum, *sed timui, ne honorem Dei mei &c.*

12. Exemplo secundo respondet S. Joan. Chrysost. in eum locum. Petrum ex modestia honorem illum noluisse, ut pluries etiam inter homines contingit, quamvis ipsis talis honor debitus sit. Gregorius Magnus 31. Moral. tomo 1. sic ait. *Adversatus ei, quia procidit ad pedes Petri, quod soli Deo, non homini facere licuisset, sed suspectam mentem habebat, ut puto, viri Romani, qui sic solebat leviter coram illis, idolis immolare &c.* Beda in actuum expositione, sic loquitur. *Gestu corporis præmonstrat Cornelius, quid intus in corde devotionis habuerit; Obviam enim suo auctori venit auditor, qui mundo pectore, & intenta sedulus aure, atque inhianti desiderio verbum Dei suscipit. Nam qui tarde ad credendum pertrahitur, quasi à Doctore jacens erigitur, sed qui de suæ vitæ maculis erubescens, procidendo in faciem, humilitatis pariter & pudoris judicia præfert, jure à suo Præceptore meretur erigi.*

Tertio exemplo non est, cur respondeamus, agebatur enim ibi de Sacrificio, quod certe nulli creaturæ offerri potest; & certe tanquam Diis existimaverant Licaonii immolare, dixerant enim, *Dii, similes facti hominibus, descenderunt ad nos, & vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium.*

13. Ad quartum dicit Augustinus qu. 61. in Genes. Angelum tanta majestate apparuisse, ut pro Deo adorari posset, ideo, inquit, *corrigendus fuit adorator.* Existimo tamen à Joanne fuisse Angelum cognitum; Quare aptior videtur expositio Bedæ, Richardi, Anselmi, & Ruperti in ea verba; Sic ab Angelo dictum esse, ut indicaret, tantam esse dignitatem Apostolatus, ut nihil foret in Angelis, quod Apostolos præemineret, atque ideo non fore à Joanne adorandum.

CAPUT II.

An Sancti sint invocandi.

14. Punctum hoc pertinacissime negant Sectarii, contra quos agit Concilium Tridentinum sess. 25. hisce verbis. *Mandat Sancta Synodus omnibus Epi-*

Episcopis, ut juxta Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ usum, à primævis Christianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum consensionem, & Sacrorum Conciliorum Decreta in primis de Sanctorum intercessione, invocatione fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum, atque utile esse, eos suppliciter invocare &c. Illos vero, qui negant, Sanctos, æterna felicitate in cœlo fruentes, invocandos esse: aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare: vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel stultum esse, in cælo regnantibus voce, vel mente supplicare, impie sentire. Vides ex hac doctrina, inferri quidem utilem esse ac piam Sanctorum invocationem, non tamen necessariam omnino ad salutem, quamvis gravi culpa non careret, qui vel ex incuria, vel ex contemptu, & multo magis, nunquam Sanctos invocaret.

15. Hoc melius demonstrare non possum, quam hoc argumentum proponendo. Illi pie, ac utiliter sunt invocandi, qui pro nobis plurima bona à Deo intercedunt, sed Sancti plurima bona à Deo intercedunt, ergo Sancti sunt invocandi.

Minorem probaturus non aliunde possum momenta desumere, quam ex iis, quæ perpetua Sanctorum Patrum traditio ad nos detulit, quæve in pluribus probatissimis, & antiquis monumentis leguntur. Prius tamen Scripturas Sacras non præteribo, juxta quas suas Patres protulere sententias. Et primo si de Angelis loquamur, Loth Genes. 19. supplex ab Angelo postulavit, ne Urbs Segor incendio deleretur, quod etiam obtinuit; respondit enim Angelus: *Suscepi preces tuas, ut non subvertam Urbem, pro qua loquutus es.* Gen. 32. Jacob, post luctam cum Angelo, efflagitavit & obtinuit benedictionem; c. 48. Idem benedicens filiis Joseph ait; *Deus, in cujus conspectu ambulaverunt Patres mei Abraham, & Isaac, Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem, Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Et profecto cur pium, ac utile non erit Angelos invocare, quorum curæ ac tutelæ Deus homines commisit, juxta illud ps. 90. *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te &c.* Et illud Pauli ad Hebr. 1. *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Et revera Angelus Raphael ad Tobiam c. 12. dixit: *Quando orabas cum lacrymis &c. ego obtuli orationem tuam Domino.*

16. Si autem de Sanctis Viris loquamur. Jerem. 15. legitur. *Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ezech. 14. *Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.* Machab. 15. *Onias visus est manus protendens orare pro omni populo Judæorum*, qui & demonstravit Jeremiam dicens; *Hic est fratrum amator, & populi Israel, hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate, Jeremias Propheta Dei.* Denique si valde pium, ac utile est, etiam ad viros sanctos, qui adhuc in terris degunt, confugere; ut fecerunt Judæi 1. Reg. 7. Samuelem alloquentes; *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos.* Et Apost. ad Rom. 15. inquit: *Obsecro vos fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum* cur pium, utile, licitumque non erit, sanctos, qui jam in cœlis cum Christo triumphant, invocare, eorumque intercessionem ac patrocinium exposcere?

17. Nunc jam ad Patrum doctrinam exponendam devenio. Cyprianus in epist. ad Cornelium; *Si quis istinc nostrum prior Divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio. Pro fratribus, & sororibus nostris apud misericordiam Patris,*

tris, non cesset oratio. Sed inquies, utquid rogare beatum, ut perseveret in dilectione, cum, si in hac non perseveraret, beata vita foret indignus? Sed scito, aliud esse de dilectione, quæ in affectu animi consistit, & charitas dicitur, loqui, aliud de effectu & fructu dilectionis, qui in eo situs est, ut pro certis hominibus beneficia impetrent; semper beati diligunt homines, non illis tamen semper dilectionem opere exprimunt, quam multoties exprimunt rogati; Quod etiam dicitur de Deo, qui licet diligat homines, istis tamen gratias rogatus concedit, non rogatus minime largitur.

18. Gregorius Nazianz. in orat. 18. de S. Cypr. Martyre sic concludit. *Tu vero nos è cælo benignus aspice, & orationem nostram, ac vitam guberna*. Et in 20. de S. Basilio, sic illum alloquitur. *Tu vero è cælo nos aspice .... totum vitæ nostræ curriculum ad id, quod maxime conducibile est, dirige*.

Gregor. Nyss. in orat. in S. Theor. sic eum invocat, & ejus auxilium efflagitat. *Intercede pro Patria apud communem Regem. Timemus vexationes, expectamus pericula .... tanquam miles pro nobis pugna, pacem postula*. Et paucis interjectis. *Quod incolumes sumus servati, tibi acceptum referimus ...... Quod si majori advocatione, & intercessione opus est, fratrum tuorum Martyrum chorum congrega, & cum omnibus deprecare. Admone Petrum, excita Paulum, nec non Joannem Theologum, & dilectum discipulum, ut pro fundatis à se Ecclesiis solliciti sint*. Quæ omnia forent inania, & insipienter dicta, si Sancti invocandi non forent, neque nostras preces audirent.

Plurima proferre possem ex SS. Joanne Chrysostomo, & Ambrosio; sed duo sufficient. Primus in homiliis de Sanctis Berenice, & sociis sic effatur. *Non solum in hoc die festo, sed in aliis etiam diebus ad illas adhęrescamus, deprecemur eas. Magnam quippe fiduciam apud Deum obtinent, non viventes dumtaxat, sed etiam mortuæ: immo mortuæ multo magis. Nunc enim stigmata Christi portant; Hæc porro stigmata monstrantes, nihil non Regi persuadere possunt*. Ex hoc intellige, quonam merito à Deo gratias, quas elargiuntur, obtineant, non denuo merendo, sed præterita merita Deo exhibendo. Secundus vero in lib. de Viduis, ubi describit Socrum Simonis, quæ magis febribus tenebatur, à Christo sanitati restitutam, & pro qua rogaverunt Petrus, & Andreas; deinde concludit. *Nunc jam possunt pro nobis, & pro omnibus impetrare. Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium donati sunt: Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis patrocinium vindicare. Isti enim sunt Dei martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum; Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere &c*.

Renuent fortasse hæretici audire Hieronymum. Hunc certe proferrem in epist. 25. ad Paulam de obitu Blęsillæ, ubi scribit. *Pro te Dominum rogat, mihiqui, ut de ejus mente securus sum, veniam impetrat peccatorum*, & in lib. contra Vigilantium, ubi sic eum cogit; *Dicis in libello tuo, quod, dum vivimus mutuo pro nobis orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio. Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias, & triumphos*? Quod est argumentum meum num. 16. in fine.

Audiant tamen Augustinum, quem & ipsi tanti faciunt. Hic autem ferme simili argumento in serm. 1. de S. Stephano hæc habet. *Commendemus non ergo orationibus ejus, multo magis enim nunc exaudietur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est tunc pro lapidatoribus suis*. Idem prosequitur in serm. 51. de diversis, & lib. 22. de Civit. cap. 8. ita ut dicat: *Si miracula sanitatum, ut*

alia

alia taceam, ea tantummodo velim scribere, quæ per hunc Martyrem, idest gloriosissimum Stephanum, facta sunt in Colonia Calamensi, & in nostra, plurimi conficiendi sunt libri.

19. Nunquam huic dicendi modo finem imponerem, si omnes Sanctos Patres in medium proferre contenderem. Libenter igitur alios præteribo, & tantummodo dicam, ritum Sanctos invocandi antiquissimum fuisse, atque in omnibus liturgiis tam latinis, quam græcis reperiri; De primis nihil dicam, sed satis sit, legere librum Sacramentorum Sancti Gregorii Papæ, & ordinem Romanum de Divinis Officiis. De postremis vero, sufficiat illa, quæ Sancto Jacobo inscribitur, & affertur in tom.6. Bibliot. ubi leguntur hæc verba: *Sanctissimæ Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, ac justorum memoriam faciamus, ut precibus, & intercessionibus ipsorum omnes misericordiam consequamur.* Altera Sancti Joannis Chrysost. ubi hæc alia. *In honorem, & memoriam benedictæ gloriosæ Dominæ nostræ Dei genitricis, cujus intercessionibus suscipe Domine &c.* possem tamen afferre Chalcedonense Concil. in quo act.11. de S.Flaviano dicitur. *Post mortem vivit; Martyr pro nobis oret.* Ac prius Ephesinum, cujus Præses Cyrill. Beatum Joannem invocat in oratione, quam die habuit illi Sacra.

20. Ex Conciliis afferam tantummodo septimam Synodum generalem, in cujus act.4., præter alia, sunt ista. *Cum timore omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Virginis, item Sanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum.*

Prætereo gratias, & miracula Sanctorum invocatione hominibus concessa. Hæc enim si perpendere, vel explicare vellem, instituti mei leges excederem; Si scirent hæretici, quantum curæ, studii, diligentiæ, inquisitionis adhibeatur antequam aliquis, ut Sanctus declaretur, in suo errore non persisterent, ut videntes non viderent, & intelligentes non intelligerent.

21. Adeo manifesta, ac prosus irrefragabilia sunt, quæ diximus, ut nihil, quod reponere possint Novatores, videatur, & si fortasse aliquid sit, jam resolutum fuerit, ac rejectum. Nihilo tamen minus, ut omnia expressa fiant, nonnulla subdemus.

CAPUT III.

Proponuntur Hæreticorum argumenta, & refelluntur.

PRimo inquiunt; equidem plures Patres à nobis adduci pro admittenda sanctorum invocatione; sed nulla fides in hac re ipsis adhibenda; etenim tribus prioribus Ecclesiæ sæculis nullus fuit ritus, nulla pro sanctis invocandis consuetudo; quarto vero sæculo ritum prorsus ignotum alii introduxerunt. Ita Dallæus Calvinista.

Existimaveram, benignum Lectorem meum satis superque Patrum testimoniis tædio affecisse; provocat me tamen Hæreticus iste; sed quamvis nullus mihi Pater occurreret, qui, sanctos invocandos esse, doceret, parum evinceret, siquidem ipsi responderent. Tu à me petis Patres primi, vel secundi sæculi, qui hoc tradiderint, ego à te peto Patres, qui hoc negaverint; hoc Patres pro me dixisse satis aptum, immo invictum argumentum habeo, cum dixerint alii Patres successores, qui immediate post vixere, & hoc à majoribus sibi traditum fuisse potest, ac debet existimari; si oppositum prius contigisset, reclamassent profecto, erant enim Præsules, ac pastores optimi, fidei, atque ecclesiasticæ disciplinæ fortissimi propugnatores; reclamavit nemo, docuerunt omnes; quid ergo sentiendum? mirum autem esse non debet, ex prioribus illis sæculis nobis testimonia deesse. Tyrannorum persecutiones & crebræ, & diuturnæ id prohibuerunt; tem-

pus tunc erat pro fide moriendi, non scribendi; tunc incipiebant sancti, quos invocaremus, non qui à nobis invocandi, nobis præscriberent, vel nos suaderent. In actis tamen Martyrii Sancti Ignatii, qui post Evodium fuit in Antiochena Sede successor, & S. Polycarpi, qui fuit Discipulus Joannis, legimus hos Sanctos Martyres ab illis fidelibus invocatos fuisse. Sanctus etiam Irenæus, qui obiit an. 201. lib. 5. contra hæres. cap. 19. loquens de Eva, & Maria inquit, *Sicut illa seducta est, ut effugeret Deum, ita hæc suasa est obedire Deo, ut Virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata*. Eusebius, qui floruit sub initio tertii sæculi lib. 13. præparationis Evangelicæ cap. 11. sermonem habens de hominum Deo charissimorum obitu, ait: *Eorum sepulcra celebrare, & preces ibi votaque nuncupare, & beatas illarum animas venerari consueverimus, idque à nobis merito fieri statuimus*.

22. Secundo opponunt ex Scripturis. Ad Rom. 10. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* At in sanctos non credimus, sed in Deum, itaque sancti non sunt invocandi. Christus orationis & invocationis formam præscribens, inquiit Mat. 6. orantes dicite, *Pater noster, qui es in Cœlis &c.* Luc. 11. *Petite, & accipietis*. Vanum igitur est ad sanctos confugere; sicut si Rex paratissimus esset ad conferendam dignitatem petenti, frustra alterius admitteretur intercessio, & qui haurire posset aquas à fonte, perperam rivulos adiret.

Resp. textum Apostoli esse de invocatione alicujus, per quem oporteat hominem salvum fieri, & qui invocetur ut Deus, & omnium donorum author, ideo prius dixerat, *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Præterea; possunt illa verba sic aliter explicari, ut quemadmodum non possumus invocare Cstristum, de quo præcipue ibi est sermo, nisi quis eum noverit, & crediderit, ita non possumus invocare sanctos, nisi eos noverimus, & credamus, eos esse Dei amicos, qui plura possunt ab ipso pro nobis impetrare; quare aliud est, aliquem invocare, ut nobis cœlestem opem, qua indigemus, conferat, & aliud, ut nobis impetret; tantum pro hoc secundo sanctis effundimus preces, eosque invocamus; sed falsum est etiam, nos in sanctos non credere, non quidem tanquam in objectum primarium, sed tanquam in unum ex secundariis, unde Paulus in epist. ad Philem. ait: *Gratias ago Deo meo, audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jesu, & in omnes sanctos*.

Ad secundum, ex illa orandi forma, quam Apostolis Christus præscripsit, male inferunt Novatores, non esse invocandos sanctos, aliter sequeretur, quod cum oratio illa dirigatur ad Patrem, nec filius, nec Spiritus Sanctus invocari possent, ac deberent, dici autem potest, ibi Christum Apostolos docuisse, non tam de eo, quem orarent, hoc enim optime noverant, sed de rebus, quas in oratione postulare deberent, de istis enim dubitabant, cum ibidem dixerint; *Doce nos orare*.

Respondent Magdeburgen. lib. 1. cent. 1. cap. 4. posse ac debere Filium, & Spiritum Sanctum invocari, quia id exempla nos docent, atque ex ipsa forma baptismi colligi potest. E' contrario sanctos invocandos esse, nec est præceptum, nec est exemplum, nec Sanctorum invocationi aliqua facta promissio.

Sed si hoc verum est, neque sancti orabunt in Cœlis pro tota Ecclesia in genere, quod tamen ipsi in apologia concedunt. Sed falsum omnino est, quod assumunt; si loquamur de præcepto, id nos asserimus, alioquin sanctorum invocatio foret necessaria necessitate præcepti, quod nullus Catholicorum dicit, nec Tridentinum declaravit. Si autem de exemplis, hæc innumera sunt, & satis constat ex iis, quæ diximus, ex quibus etiam patet, promissionem factam esse, quæ etiamsi deesset;

esset, attamen sanctos invocandos non esse, non probaretur; ut enim merito justeque invocentur, satis est, si eorum intercessionibus Deus plura concedat, etiamsi non promiserit. Certe plerumque nos confugimus ad aulicos vel amicos Regis, beneficium aliquod à Rege obtenturi, quamvis suis aulicis, vel amicis Rex se id facturum non promiserit.

Ad ultimum. Deus paratissimus est ad bona conferenda, nec tamen propterea negant Hæretici, nos adhibere posse preces viventium; plura tamen non concedit, nisi per preces alicujus Sancti; sic Gen.20. Abimalech nonnisi per Abrahæ preces potuit sanari; & si Deus in Sodomis invenisset decem viros justos, propter istos non delesset.

23. Tertio opponunt. Sanctorum ivocationem adhiberi non posse, quin maxima Christo fiat injuria; iste enim. Pr. ad Timot.2. *Unus est mediator Dei & hominum*. Alios igitur mediatores adhibere, est illius dignitatem arripere vel imminuere. Unde Augustinus lib. 2. contra Parmenianum cap.8. *Si Joannes ita diceret, hæc scripsi vobis, ut non peccetis, & si quis peccaverit, mediatorem me habetis apud Patrem, ego exoro pro peccatis vestris, quis eum ferret bonorum, atque fidelium christianorum? quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur?*

Respondeo. Nullam in hoc injuriam fieri Christo; nec enim, quando sanctos invocamus, illos mediatores nostros constituimus, eo pacto, quo fuit mediator Dei & hominum Christus Jesus, hic enim fuit mediator solvendo debitum creditori pro debitore & pro ipsis etiam sanctis, isti e contra sunt mediatores, tanquam amici Dei, & intercessores nostri, & quidem dependenter à gratia & meritis Christi, quod omnes Catholici, dum ipsos invocant, optime noscunt, & profitentur. Augustinus bene sentit in eo, quod contra Parmenianum scribit; etenim Donatistæ, contra quos res agebatur, existimabant valorem, & gratiam Sacramenti pendere à Ministro, ita ut bonitas ministri baptizantis sanctum efficeret baptizatum, malitia vero coinquinaret, atque ideo Sacerdotem constituebant, tanquam verum mediatorem, & redemptorem, Sanctus vero Doctor, ut plebem tutam efficeret, sive bonus, sive malus minister baptismum conferret, dicebat, nullo pacto esse ambigendum, quia unus est mediator Dei, & hominum Christus Jesus. Sed iterum miror. Hoc mediatoris munus ab Hæreticis negari sanctis in Cœlo regnantibus, & concedi illis, qui adhuc inter nos degunt.

24. At inquies, disparem esse rationem, quia viventes nostras preces audiunt, miserias, & pericula nostra vident, ideo nobis adjumentum afferre possunt; at qui in Cœlo sunt, non tam longas, sunt verba Calvini, aures habent, nec ea vident, quibus indigemus; præsertim hoc dicendum est de precibus, quas sola mente & corde interne fundimus; istas enim nemo videre potest, nisi Deus, qui scrutatur renes, & corda, de quo 3. Reg.8. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum*.

Proh stultissimam responsionem, tanquam si auribus, vel oculis corporeis indigerent sancti, ut nostra audiant, & videant; audiunt profecto & vident non solum externas nostras voces & preces, sed etiam internas nostras cogitationes & suspiria, dummodo ad eos dirigantur, immo si de Angelis loquamur, docent Scotistæ, eos cordis secreta virtute propria videre, non tamen eo modo, quo videt Deus, quia huic convenit cognitio, quam Scotus appellat authoritativam, & judiciariam. De hac sanctorum cognitione secundum rem dubitare non possumus. Elias enim post obitum suum Joram Regem per litteras corripuit, ut legitur Paralip.2. cap.21. Abraham novit Epulonis apud inferos cruciatus, & tormenta; de Jeremia &

Onia jam dictum fuit, sicut & de aliis. Dubium tantum est apud Doctores, quo pacto nostras preces audiant, ac indigentias videant. Aliqui enim dicunt, eas cognoscere per ministerium Angelorum, aliqui in ipso Deo omnia videre, quæ ad ipsos pertinent, proinde etiam orationes, quæ ad ipsos diriguntur. Aliqui, per revelationem ipsis à Deo factam, sicuti pluribus hominibus à Deo fuisse concessum plerumque in Historiis legendum reperimus. Quo pacto, vero id fiat, nostra parum interest, dummodo id fieri, concedi debeat. Atque juxta doctrinam datam explica alias scripturas, & Patres, qui de hac re dubitare visi sunt; negarunt enim tantummodo vel naturalem conversationem, vel naturalem cognitionem.

Hos tamen Sanctos Patres, qui in hac re dubitatione aliqua loquuti esse videntur, non est prorsus incongruum expendamus. Horum primum, immo unicum, affert Petrus Molinæus Gregorium Nazianzenum, qui in fine orationis pro Gorgonia sorore sua ita loquitur; *Si tibi aliqua nostri sermonis est ratio, & hoc sanctis animis à Deo munus, ut talia rescifcant, suscipe nostrum sermonem multorum epitaphiorum loco*. Alii legunt sic. *Quod si quam rerum nostrarum rationem ducis, & hoc sanctis animis præmii loco divinitus conceditur, ut ista sentiant, hanc nostram orationem suscipias velim*. Dubitat ergo, inquit, Nazianzenus, an revera audiant qui ut sancti coluntur, preces nostras. Potuisset tamen præter istum afferre etiam Origenem, qui lib. 2. in epist. ad Romanos, ait. *Si extra corpus positi, vel sancti, qui in Christo sunt, agunt aliquid, & laborant pro nobis &c. habeatur hoc quoque inter occulta Dei, neque cartulæ committenda mysteria*.

Fallitur tamen more suo pessimus iste Doctor, atque phrasim non solum scripturæ, sed etiam communis naturalisque modi, quo in loquendo homines utuntur, homine minor ignorat. Sunt quædam particulæ, quæ aliquando dubitantem animum indicant, interdum vero affirmantem. Hujusmodi est particula *forsan*, sicut dictum est alibi; si cognovissent me, forsan cognovissent & Patrem meum, dixit Christus. Hujusmodi in nostro casu est particula *si*, cujus rei exemplum tradit Apostolus 2. ad Thessalonic. cap. 6. dicens, *Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini*. Et tamen hoc pro certo tenebat Paulus; præclara in hunc locum sunt Chrysostimi verba hom. 2. *Vox illa* si tamen, *hoc loco posita est* pro quoniam, *quod ad res valde certas, & confessas, & quibus contradici nequit, exprimendas usurpare solemus, quasi diceret, admodum est justum*. Hoc & homines persæpe dicunt, nec tamen dubitant; exempla non fero cum quotidie in loquutionibus nostris id contingat; & sic Virgilius in primo Æneidos.

Dii tibi, si qua pios respectant numina; si quid
Usquam justitiæ est, & mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant.

Pariter Origenes dubitavit de modo, quem habendum esse inter occulta Dei, neque cartulæ committendum esse affirmavit; hoc satis apte dictum est, cum de hoc inquirere scrupulosius nihil afferat utilitatis; quod & in aliis fidei nostræ mysteriis fateri debemus, nec à nobis postulantibus curiosius modum, quo res aliqua peracta sit, vel peragatur, respondeamus oportet. Si enim quis à me peteret, quomodo una & indivisibilis essentia Divina sit in tribus personis, aut quomodo duæ naturæ integræ & perfectæ in una persona Christi inveniantur, oratione declarare non possem, & tamen usque ad sanguinis vitæque profusionem pro hac fide decertarem. Sed de hoc satis.

25. Quarto opponunt plurima dicta Sanctorum Patrum. Istos proferam, non juxta temporum seriem, sed juxta

juxta majorem virum, quam pro Hæreticis habere videntur. Horum primus sit Theodoretus; qui in ea Apostoli verba ad Colos.2. *Nemo vos seducat volens in humilitate & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo &c.* hæc scribit. *Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes per eos legem datam, mansit autem hoc vitium diu in Prygia, & Pisidia. Quo circa Synodus quoque, quæ convenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos, & in hodiernum usque diem videre licet apud istos, & eorum finitima Oratoria S. Michaelis: illi ergo hoc consulebant, utique humilitate utentes, dicentes universorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri, & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.* Hæc dicendo Catholicorum responsioni Theodoretus occurrit, etenim Catholici dicunt, Angelos beneficia non impertiri, sed tantum impetrare, quod idem est, ac divinam benevolentiam hominibus conciliare. Aliud vero habet idem testimonium lib.8. ad Grecos circa finem, in quo demonstrat, id à Catholicis fieri, quod olim gentiles faciebant erga Jovem, & Liberum; en ejusdem verba. *Suos mortuos Dominus Deus noster in templa pro Diis vestris induxit. Pro Jovis, liberique Patris solennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ &c. Solemnitates peraguntur.* Sancti igitur juxta hæc pro Diis habentur.

Resp. Apostolum, & Theodoretum explicandos esse juxta ea quæ diximus num.9. ubi Canonem Concilii Laodiceni exposuimus. Liceat tamen ampliora proferre; juxta hæresim Simonis Magi, quidam Angeli adorandi erant tanquam minores Dii, qui mundum condiderint, & per Prophetas loquuti fuerint, atqui isti ita se haberent, ut non nisi per istos placari posset summus Deus, qui invisibilis est; Narrant hoc Irenæus lib.1. cap.20. & Epiph. in hæresi Simonis; similem adorationem excludit Apostolus, & in hoc sensu loquitur Theodoretus, immo & Joan. Chrysost. qui hom.7. ad Colos. ait: *Sunt nonnulli, qui dicunt, non oportere per Christum reconciliari, & ad Patrem accedere, sed per Angelos.* In eumdem sensum devenit S. Hieronym. q.10. ad Algasiam. Epiphan. vero hæresi 60. & Augustin. hæresi 39. notant, olim fuisse hæreticos *Angelicos* ita appellatos, quia Angelos cultu latriæ soli Deo debito adorabant. Baron. tandem ad an. Christo 60. n.15. censet, Apostolum, Concilium Laodicenum, & Theodoretum loqui de malis Angelis, quibus nulla adoratio, & invocatio exhibenda est, sed omnino contemnendi sunt, atque evitandi.

Quod vero inquit Theodoretus de oratorio Sancti Michaelis, duplici modo potest intelligi, vel per hoc, quod Michael ibi coleretur juxta Simonis hæresim cultu latriæ, vel quod oratorium prius exstructum ad honorem malorum Angelorum, conversum fuerit à Catholicis in honorem Sancti Michaelis, sicut de aliis templis falsis Diis primum extructis, deinde in templa Martyrum, aliorumque sanctorum conversis, ut patet in templo Romæ, vulgo *Rotunda* quod prius dicatum erat omnibus falsis Diis, nunc vero Mariæ Virgini, & omnibus sanctis. Plurima hujusce rei exempla invenies apud Theodoret. lib.8. de Martyribus, Gregor. lib.2. Dialog. cap.8. &c. In alio ejusdem textu nihil contra Catholicos; indicatur enim tantummodo, solennitates Jovis, Liberi, aliorumque nunc esse solennitates sanctorum, non tamen eodem modo, quo ab ethnicis celebrabantur; non enim Martyres, aut sanctos pro Diis habemus, sed tantum veri Dei amicos; & in aula cœlesti felicissimos proceres; sed perpendantur priora verba, idest, *suos mortuos Dominus Deus noster in templa pro Diis vestris induxit.* Et satis intelligetur bene id actum esse, si à Domino

mino actum est; quod enim Regis ministri honore afficiantur, honor est Regis.

26. Patrum secundus sit S. Ambrosius in caput 1. ad Romanos sic dicens: *Solent pudore passi neglecti Dei, misera uti excusatione dicentes; per istos posse ire ad Deum, sicut per comites pervenitur ad Regem. Age, nunquid ita demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, ut honorificentiam Regis vendicet comiti, cum de hac re si qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei damnentur majestatis? & isti se non portant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conservos adorant, quasi sit aliquid plus, quod servetur Deo; nam ideo ad Regem per tribunos, aut comites itur, quia homo utique est Rex, & nescit, quibus debeat Rempublicam credere, ad Deum autem promerendum suffragatore non opus est, sed mente devota.* Vides Ambrosium negare quod toties dicunt Catholici, nimirum sicut per Aulicos supplicationes nostras exhibemus Regi, ita per sanctos vota nostra exponimus Deo, & sicut illi apud Regem impetrant, ita sancti apud Deum; vides ulterius, ab ipso excludi quemcumque intercessorem, seu suffragatorem, ergo.

Resp. ibi apertissime Doctorem sanctum agere contra ethnicos, qui sydera colebant, atque ipsis, quæ creaturæ sunt, proinde conservorum nomine appellari debent, sicut verum Deum adorabant; ideo dicit, honorem nominis Dei deferri creaturis, & quemadmodum majestatis reos censeremus, qui honorem debitum Regi, deferrent comitibus, ac proceribus, sic illos peccasse asseruit, qui creaturam colebant, sicut creatorem. Hanc fuisse Ambrosii mentem, dubitare nequaquam possumus, cum eo loci talis fuerit & mens Apostoli; inquit enim. *Ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Hoc igitur pacto reliquebant Dominum, ut non tantum conservos suos, sed etiam eos, qui inferioris erant naturæ; adorarent. Quod autem addit; *nam ideo per tribunos & comites itur ad Regem, quia nescit, quibus debeat Rempublicam credere.* Hoc in eo sensu intellige, quo superius dictum est de hæresi Simonis Magi, nimirum, nonnisi per sanctos Deum summum placari posse, quod nos omnino negamus; supponamus tamen Regi omnia nota esse, & scire, quibus deberet Rempublicam credere, nonne adhuc plures gratias concederet amicis suis? si hoc negas, leges amicitiæ negas, aut dices sanctos non esse amicos Dei, & sic negas, sanctos esse sanctos; proinde inquirentibus, an sancti invocandi sint, paucis verbis negandum erit suppositum. Tandem illa verba; *Ad Deum promerendum suffragatore non opus est.* Nihil contra Catholicos probant, qui non dicunt, necessariam esse sanctorum invocationem, sed tantummodo piam, utilem, & licitam. Certe devota mens fidelium plus fidelibus proficit, quem sanctorum intercessio; immo hæc ad Deum promerendum non prodest, si illa deficiat; & ad summum prodest, ut illam fidelibus Deus ex sua misericordia, largiatur, gratiam, per quam fit devota, concedendo. Hanc exoravit Stephanus vivens & lapidibus obrutus pro Saulo, & obtinuit; Hanc etiam exorare potest Stephanus, & quilibet alius Sanctus, in cœlis gaudens & beatus, & Deus concedet; juxta tamen suæ voluntatis propositum, quod semper manet, & à quo Sanctorum preces, & intercessiones nunquam recedunt. Novit Deus quid facturus sit, novit tamen, se plura per sanctorum preces, quos homines invoca-

vocaverint esse facturum; sicut fecisse nos demonstravimus. Fateor, argumentum ex hac Ambrosii auctoritate desumptum plurimi ab hæreticis fieri posse, nec aliter refelli posse, affirmare non erubesco. Illud apud omnes, qui de hac re pertractant, leges, sed non in omni sui parte resolutum invenies.

27. Postremo ex Patribus afferam ex græcis Joan. Chrysost. in hom. de profectu Evangelii, ubi sic ait. *Non opus tibi patronis apud Deum, neque multo discursu, ut blandiare aliis, sed licet solus sis, patronoque carens, & per temetipsum Deum preceris, omnino tamen voti compos eris, neque enim tam facile Deus annuit, cum alii pro nob's orant, ut cum ipsimet oramus, et iamsi plurimis plenissimi malis.*

Nunquam juxta hæreticorum sensum loquutus Chrysostomus est, sed dumtaxat loquitur de illis, qui mortalium precibus se commendant, ipsi vero nunquam ad orandum vel aperiunt labia, vel mentem attollunt, horum segnitiem voluit excutere, atque obtinendi beneficii certiores reddit, si per semetipsos oraverint; quam si solummodo alii pro ipsis. Mentem suam explicat hom. 5. in Mat. hisce verbis. *Non igitur quasi oscitantes, & desides ex aliorum meritis pendeamus, habent quidem vim pro nobis, & quidem maximam orationes, supplicationesque Sanctorum, sed tunc profecto, cum nos quoque id ipsum per pœnitentiam postulamus.* Et hom. 1. in primam ad Thessalonic. post plura. *His itaque cognitis, nec Sanctorum preces contemnamus, nec totum in illas projiciamus.*

Prætereo alias hæreticorum ineptias, quæ si proponantur, facillime refellentur.

CAPUT IV.

Sanctorum Corpora & reliquias esse adoranda.

28. PRimum, qui sanctorum corporibus, ac reliquiis adorationem exhibendam esse, negavit, fuisse Eunomium, & post eum Vigilantium, testis est S. Hieronym. in libro contra eundem, quamvis horum hæresis reduci possit ad illam Gnosticorum, dicentium, justum non esse pro Christo subire martyrium, contra quos scripsit Tertullianus librum, quem inscripsit, *Scorpiacum*. De Judæis vero & Samaritis nihil dicam, cum isti omnia corpora immunda, ac contemnenda esse censerent.

Acrius in sanctorum corpora, & reliquias se gesserunt Imperatores duo, Leo videlicet Isauricus, & Constantinus Copronymus, de quibus paulo infra dicemus, dum de imaginibus habebitur sermo. Sequuti sunt Wiclefistæ, ut refert Thomas Waldensis; Novissime vero Calvinistæ, Lutherani, & Centuriatores.

Catholica veritas est, sanctorum corporibus, ac reliquiis adorationem esse impendendam. Hoc probaturus, hujusmodi argumentum expono. Id asserendum, quod vetus Ecclesiæ commendat consuetudo, quod Conciliorum statuunt definitiones, quod unanimi consensione tradunt Patres, sed sanctorum corporibus, ac reliquiis adorationem esse impendendam, hæc omnia suadent, ergo. Omnes partes singillatim ostendo.

De veteri Ecclesiæ consuetudine ambigendum non est, sive perlegamus ea, quæ facta sunt in Ecclesia Hebræorum, sive in ea quæ nostra est, & quam Christus acquisivit sanguine suo, suaque doctrina fundavit. Si prima licet exponere; Deus ipse Moysis corpori honorem deferri voluit, quod per Angelos sepeliri mandavit; Elisæi corpori tanta virtus concessa fuit, ut mortuum tangen-

gendo ad vitam revocaverit; Josias Rex, cum omnem idololatriam & superstitionem evertere vellet, deletis delubris, combustisque pluribus corporibus, quæ fuerunt in monte reperta, ossa Elisæi, ac alterius Prophætæ servavit intacta. Si vero quod in Ecclesia Christi peractum sit, proferamus, plurima sese nobis exhibent. Mulier illa Emorrhoissa solam fimbriam Christi tetigit, & sanata est. Mat. 9. Populi certatim, ut umbram Petri attingerent, ægros adducebant, qui sanabantur omnes. Act. 5. Alii sudaria ac cinctoria Pauli deferebant ad ægrotos, & obsessos; *& languores ab eis, & spiritus nequam egrediebantur*. Act. 19. Olim de Christi sepulchro dictum fuit Isaiæ 11. *In eum gentes sperabunt, & erit sepulchrum ejus gloriosum*, sed Christus, Sanctorum, & Martyrum caput, hanc suam gloriam in ipsos etiam, tanquam in membra, voluit derivare; Gloriosa certe fuerunt Martyrum sepulchra, cum Christiani per festos dies, ipsis dicatos, illa frequentare solerent, atque ibi sacros ac religiosos habere conventus, ut fidem facit Joannes Chrysost. hom. 8. Gloriosa; Cum Imperatores ipsi pro sepulchris basilicas condiderint, atque in ipsis sepeliri viventes elegerint, ut ita orationum, quas ad sanctorum honorem fideles detulissent; adjumentum perciperent, ut fecit Constantinus ille Magnus; qui in Urbe, quæ suo nomine nuncupatur, in honorem duodecim Apostolorum basilicam extruxit, de quo scribit Euseb. Cæsarien. lib. 4. de ejusdem vita cap. 60. *Ut post obitum suum particeps fieret orationum, quas, ad honorandos Apostolos, fideles ibi essent postea facturi*. Gloriosa; Cum apud ipsa tot miracula Divina providentia protulerit, ut apud omnes Historicos admirantes legimus & gaudentes, quod in Sanctis suis appareat Deus mirabilis. Verba tantum afferam Theodoreti oration. 8. contra Gen. quæ sunt ista. *Quod compotes illorum fiant, qui cum fide postulant, palam testantur illorum donaria, curationem indicantia*; *Nam alii oculorum, alii pedum, alii manuum effigies offerunt, & has nonnulli ex auro, alii ex ære fabricatas. Hæc autem proposita morborum depulsionem indicant*; *Ea sepultorum virtutem prædicant &c.* Celebre in hac re est id, quod de sepulchro Sancti Felicis refert S. August. ep. 137. nimirum, ut qui falsum aliquod scientes defenderent, eo adducti convincerentur, & ad veritatis confessionem compellerentur.

29. Sed jam ad secundam primi argumenti partem, quæ ad Conciliorum definitiones pertinet, proficiscamur. Occurrit statim Nicænum 2., quod postquam actione 3. vocaverit reliquias Sanctorum salutares fontes, quibus Deus populis beneficia plurima diffudit, præcipit definitione ultima actionis septimæ, deponendum esse clericum, & excommunicandum laicum, si Martyrum reliquias contempserit, aut male tractaverit. Concilium Gangrense, coactum contra Eustathianos, anathema illis dicit, qui Martyrum memorias, seu loca, in quibus eorum reliquiæ collocatæ sunt, detestantur. Martyrum autem memoriæ loca illa appellabantur, quia, ut ait Rupertus lib. 9. de glorificatione Sanctæ Trinitatis, & processione Spiritus Sancti; *Solemus basilicas Martyrum appellare memorias eorum pro eo, quod ibi psallendo, & confitendo memoramus martyria illorum*.

30. In Africa Concilium Carthaginense 5. can. 14. præcipit, ne aliquod erigatur altare, nisi in eo reposita sint aliquæ sanctorum reliquiæ, aliter erectum evertatur, ne detur locus superstitioni; ex quo sic argumentum confici potest; daretur locus superstitioni, si absque sanctorum reliquiis altare erigeretur, ergo datur locus religioni, si cum reliquiis erigatur, ad cultum itaque religionis spectabunt reliquiæ.

31. Omitto Concilium Braccarense 3. decernens can. 5., ne in supplicationibus reliquiarum theca ab alio, quàm

quàm ab Episcopo gestari debeat, aut saltem ab aliquo Sacerdote populo præcedente, ac sequente. Concilium Epannense, prohibens can.25. poni reliquias Sanctorum in Ecclesiis ubi non sint Clerici, qui pro psallendo frequentes non sint; Concilium Moguntinum tempore Caroli Magni; in quo can. 51. decernitur, ne sine consilio Episcopi, & facultate Sanctæ Synodi reliquiæ de loco ad locum transferantur; Hæc autem omnia procul dubio honorem non exiguum ipsis exhibendum esse, declarant.

41. Ultimum locum teneat Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap.62., ubi cautum est, ne propter fraudum periculum nullus publice incipiat reliquias venerari sine Summi Pontificis auctoritate; atque in hac re habemus legem canonicam, cap. *Cum ex eo, de reliquiis &c.* & legem civilem Cod. de *Episcopis* & *Clericis* l. *Decernimus*.

42. Superest, ut tertiam partem argumenti propositi probatam exhibeamus, quæ ad unanimem Sanctorum Patrum consensionem revocatur. Eusebius lib.7. Historiæ cap. 15. de lignea S. Jacobi Apostoli sede ait: *Servatur eum ingenti studio velut à majoribus tradita memoria sanctitatis, & cum magna veneratione habetur?* Cur igitur irrident Lutherani, dum Cathedram ligneam Sancti Petri audiunt à fidelibus adorari? S. Basilius epist.409. rogans, ut ad se reliquiæ mittantur, inquit; *Recte autem feceris, si & Martyrum reliquias ad patriam tuam miseris; si modo, quod ad me scripsisti, persecutio, quæ illic grassatur, etiam Domino Martyres adhuc facit*. Gregor. Nyssen. in orat. de S. Theodoro Martyre. *Nos quidem o beate, benignitate creatoris anniversariam circuli vicissitudinem assecuti, publicum tibi conventum coegimus, sacrum videlicet amantium Martyrum cœtum, tum communem adorantes Dominum, tum & triumphalem certaminum tuorum memoriam peragentes*. Et rursus. *Si quis etiam pulverem, quo conditorium, ubi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat, pro munere pulvis accipitur, ac tanquam res magni pretii, condenda terra colligitur, nam ipsas attingere reliquias, si quando aliqua hujusmodi prospera fortuna contingat, ut id facere liceat, quam id sit multum desiderandum, & optandum, ac summarum precum donum, sciunt experti, & ejus desiderii compotes facti*. Gregorius Nazianz. in oratione prima adversus Julianum; *Quorum*, idest Martyrum, *vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, sive manibus contrectentur, sive honorentur, quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora; Hæc non colis?* Et orat.6., quam in solemni Martyrum festo recitavit; *Sic convenimus, aut concurrimus, revera hunc diem festum secundum Christum celebramus, revera Martyribus honorem detulimus, aut deferemus, revera triumphalem choream agimus*. Eusebius Emissen. hom. de S. Blandina. *Ubi sunt, qui venerationem sanctis Martyrum dicunt deferendam non esse corporibus?* Si nostris hisce temporibus viveret, facile scelestos viros istos inveniret. Isti omnes sunt Patres græci, pro quibus omnibus concludat Joan. Chrysostomus serm. de SS. Inventio, & Maximo; *Sæpius*, ait, *eos invisamus, tumulos adoremus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionem aliquam assequamur*.

43. Sequuntur modo Patres latini; quam multa vero, & quam eleganter in hac re non scripsit S. Ambrosius?. satis equidem ea essent, quæ de Sanctorum Gervasii, & Protasii corporibus, quæ ipse invenit & in Basilicam suam magna pompa, ac fidelium Mediolanensium cultu transtulit, nobis reliquit in epist. 54. ad Marcellinam sororem suam de quibus in concione hæc habet. *Succedant victimæ triumphales in locum, ubi Christus hostia est.... Condamus ergo reliquias sacrosanctas, & dignis ædibus evehamus, totumque diem fida devotione cele-*

celebremus. Et ferm.93. de SS. Nazario, & Celso sic finem imponit. *Quod si mihi dicas, quid honores in carne jam resoluta, atque consumpta? honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viventis memoriam perennitate virtutis, honoro in cineribus semina æternitatis, honoro corpus, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur & dæmones? honoro itaque corpus, quod Christum honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo*. Vides, hæreticos pejores esse dæmonibus.

Ambrosio succedat Augustinus, qui ferm. 256. de tempore ait; *Adhuc amplius agendæ sunt gratiæ Deo nostro. Hanc enim Ecclesiam, quam fecit nomini suo construi, fecit etiam Sanctorum Martyrum reliquiis honorari*. Et epist. 103. ad Quintianum scribit; *Portant sane reliquias beatissimi, & gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut & nos fecimus, quàm convenienter honorare debeatis*.

Quid vero dicendum foret de Sancto Hieronymo? oporteret totum librum contra Vigilantium producere; ne in adducendis Patribus prolixior sim, Ruffini Historia lib. 11. cap.28., ubi narrat, quomodo Gentiles jussu Juliani ossa Sancti Joannis Baptistæ apud Sebastem cremarent, negotium absolvat. Hæc porro sunt ejusdem verba. *Quidem, cum tantum nefas fieri viderent humanis quidem manibus, sed mente ferina, mori gratius habentes, quam hujuscemodi piaculo funestari, inter eos, qui ossa ad exurendum legebant, mixti, diligentius, ac religiosius congregantes, furtim subtraxere, & ad religiosum Patrem Philippum venerandas reliquias pertulere*.

Firmum igitur est argumentum meum initio propositum, cui quidem confirmando plura alia addere possem; sed si quæ dicta sunt ad convincendos hæreticos nequaquam sunt apta, & ad fideles in veneratione firmandos idonea, alia quæcumque superflua scriberentur.

CAPUT V.

Refelluntur Hæreticorum argumenta.

44. INania certe sunt ea omnia, quæ contra catholicam à nobis statutam veritatem producunt hæretici, ea tamen operæ pretium non prætermittenda esse judicamus, ut magis eorum insania, atque impietas agnoscantur.

Primum argumentum promovet Calvinus in admonitione de reliquiis in caput ultimum Deuteron. ubi legitur. *Mortuusque est ibi Moyses servus Domini in terra Moab jubente Domino, & sepelivit eum in Valle Terræ Moab contra Phogor, & non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem*. Hoc autem non alia de causa à Divina dispositione factum est, nisi ad evitandum cultum, quem illi hæbrei præstitissent; unde & in epistola Judæ habetur, diabolum voluisse Moysis corpus detegere, ut illud hebræis adorandum exhiberet, sed hoc ab Archangelo Michaele prohibitum fuisse; Si autem illius corpus adorandum non erat; neque corpora aliorum, quos nos Catholici sanctos existimamus.

Si ex quo Moysis corpus fuerit absconditum, ne à Judæis cultum acciperet, infert Calvinus, sanctorum corporibus non esse cultum deferendum, ergo ex quo tot aliorum Martyrum Dei admonitu reperta fuerint, ut de Sanctis Gervasio & Protasio, nec non de Sancto Stephano legimus, recte nos inferemus, eorum corpora esse adoranda. Quare autem id actum fuerit de illo, variæ sunt Sanctorum Patrum expositiones. Fuerunt aliqui, existimantes mortuum non fuisse, sed translatum sicut de Henoch & Elia traditur. Ita S. Hilar. in cap. 17. Matth. & Ambros. lib.1. de Cain cap. 2. cum Gregor. Nisseno de vita Moysis. Hoc tamen prorsus con-

contrarium scripturæ videtur, ut patet, si perpendantur laudata verba Deuteronomii. Aliqui arbitrati sunt, per Moysis corpus non esse intelligendum illius cadaver, sed mystice totum Israeliticum populum, atque prælium illud, de quo disserit Judas in epistola sua, simile illi esse, quod Zacharias cap. 3. describit; ita Beda in illum locum Judæ, qui alios etiam affert pro hac sententia. Quidquid tamen dixerint alii, ita indulgere volo Calvino ut concedam, corpus Moysis fuisse mortuum, sepultum, nec inventum, ne à Judæis adoraretur. Sed aliud est, loqui de illa adoratione, quam judaicus populus Moysis corpori præstitisset, & de ea, quam nos Catholici sanctorum corporibus exhibemus; Populus enim ille valde propensus erat ad idololatriam, & qui tali cultu adoraverat vitulum aureum in deserto, atque idola, facile etiam Moysis corpus adorasset, à quo tot prodigia facta esse, noverat experimento. Hac de re adnotarunt quidam insignes Scriptores, ut Cajetanus, & Gagnejus juxta Chrysost. hom. 5. in Matth. Dominum noluisse, ut per Moysen in promissionis terram populus ille duceretur, ne tanti beneficii magnitudinem non Deo tribueret, sed Moysi, quod quidem haud temere dictum est, siquidem in illa peregrinatione Moysen quidem frequenter invocaverunt, nequaquam Deum. Tali pacto, subdit ibidem Chrysost. *ut omnes hujusmodi amputaretur occasio, ipsum quoque ejus est occultatum sepulchrum*. Hoc autem periculum in colendis sanctorum corporibus in populo Christiano nec imminet, nec timetur; hunc enim docet Ecclesia, quæ, tanquam columna, & firmamentum veritatis cultum sanctis exhibendum à Divino & distinguit, & præcipit. Omisi explicationem aliorum, qui dixerunt, ideo Moysis corporis occultum retentum esse; ne ab artis magicæ Sectatoribus ad vitam revocaretur; sed hoc fabulosum existimo.

45. Sed inquies. Si Hebræi Moysen viventem, tanquam Deum, minime coluerunt, cur mortuum, tamquam Deum, adoratione Dei propria prosequuti essent? Si hoc de Moyse dicas, idem dicendum erit etiam de Sanctis.

Res ita non est. Moyses vivens, Minister Dei, ac Propheta, Dei tantum honorem populo prædicabat, immo & vindex fuit, dum populum, qui vitulum adoraverat, interfici jussit; Unum igitur Deum colendum esse docebat, atque ideo viventem ipsum nequaquam ita coluissent; at eo mortuo, sublatoque Magistro, facile in errorem hunc prolapsus populus esset. Vis hoc videre clarissime? Ecce. Vivente Moyse aspiciebant Judæi in serpentem æneum, ut legitur num. 21. & curabantur, nec tamen illum, ut Deum adorabant, cum illum Moyses proposuerit tanquam signum. *Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo*. Et tamen 4. Reg. 18. serpentem illum tamquam Deum adoraverunt, & ideo ab Ezechia confractus est; Quod secundo loco dicitur, apud fideles locum non habet, etenim Moyses apud nos semper vivit, nimirum Pontifex, & Ecclesia, quæ semper nos docet.

46. Secundum argumentum Calvini desumitur ex illo Apostoli 2. ad Corint. 5. *Etsi novimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus*, ex quo infert, quod, si nunc caro Christi agnoscenda non est, multo minus agnoscenda sunt corpora Sanctorum, ergo multo minus aliquo cultu honoranda.

Quod ita Calvinus velit Pauli textum exponere, ut illam illationem deducat, mihi prorsus ignotum est. Quam Patrum affert expositionem! quod fundamentum proponit? Novimus Christum secundum carnem, quia Verbum caro factum est, & quidem caro passibilis, & mortalis, nunc jam non novimus, quia post mortem & resurrectionem suam ejus caro facta est impassibilis & immortalis, *Christus enim resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra* non

non dominabitur ad Rom. 6. Hæc est interpretatio & expositio septimæ Synodi act. 6. Hoc tradiderunt SS. Patres Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Anselmus. Atque est juxta mentem ejusdem Apostoli, qui loquens de Christo adhuc mortali, ejus tempus appellat dies carnis. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque obtulit &c.* ad Hebr. 5.

Aliter etiam extra sensum omnino Calvini eadem verba declarare possumus. Expectabant Judæi Messiam, qui temporali Regno dominaturus esset, ac eos à quacumque captivitate vel subjectione liberaret, noverant igitur, idest crediderant, illum ut Regem carnalem atque terrenum, in quo sensu etiam discipuli euntes in Emaus dicebant Luc. 24. *Nos autem sperabamus, quod redempturus esset Israel.* Et filii Zebedei matris ore Math. 20. petierunt sedere unum à dextris, alterum à sinistris in Regno suo; Cum itaque Paulus prius Judæus esset, ita Christum noverat secundum carnem, at post misericordiam illam, quam, ut ipse testatur, consequutus erat, ut esset fidelis, non amplius Christum secundum carnem noverat, sed secundum spiritum, idest ipsum esse verum Messiam, qui à peccati servitute liberaret, ac in cœlesti spirituali Regno esset verus Rex, & hoc pacto fuisse in Scripturis sanctis promissum; Cœterum, Christum adhuc cognoscendum esse secundum carnem, satis inquiit Christus Joan. 6. *Caro mea vere est cibus &c. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, & idem Paulus 1. ad Corint. 11. affirmat, Sacramentum Eucharisticum in mortis ejus memoriam fuisse institutum. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.*

47. Tertium argumentum proponit ex illo Pauli ad Colossen. 2. in quo capite damnatur cultus hominum arbitrio inventus, atque institutus, qui etiamsi speciem habeat pietatis ac religionis, vere tamen etiam in textu græco stultitia appellatur, atqui cultus erga reliquias ab hominum voluntate introductus est, nequaquam à Deo institutus, ergo.

Jam huic argumento satisfecimus num. 9. ubi explicavimus canonem 35. Concilii Laodiceni, in quo sensu etiam Paulus laudato loco scribit. *Nemo vos seducat volens in humilitate, & religione Angelorum &c.* Adoratio igitur superstitiosa hominum arbitrio, dementique judicio adinventa fuit, hæc reprobatur à Paulo, nequaquam illa, quam nos erga sanctorum reliquias defendimus, & quam aprobant Scripturæ, Concilia, & Patres, ut à nobis demonstratum est; Probet igitur Calvinus, cultum hunc esse superstitiosum, & tunc in hac re manus conjungemus.

48. Quartum argumentum desumit à 34. canone Concilii Eliberitani, in quo prohibetur cereorum accensio ante Martyrum sepulchra, quot autem cereos nos non accendimus? atque in hac re affertur epis. S. Hieronymi 53. contra Vigilantium, cui opponenti, idololatriam esse, hujusmodi cereos àccendere, respondet. *Cereos clara luce non accendimus; sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris: Quod si aliqui propter imperitiam, & simplicitatem secularium hominum, vel certe religiosarum fæminarum, de quibus vere possumus dicere: Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam: hoc pro honore Dei faciunt: quid inde perdis?* Censuit itaque Hieronymus, cereorum cultum vanum esse, & sola simplicitate ac ignorantia excusari, & tantum accendi ad tenebras depellendas, non ad sanctorum corpora honoranda. Augustinus etiam in lib. de moribus Ecclesiæ c. 34. sepulchrorum adoratores reprehendit.

Resp. à Concilio Eliberitano prohiberi cereorum cultum juxta morem Gen-

Gentilium, existimabant enim, corpora mortuorum aliquid adhuc sentire, & , cum essent in sepulchri tenebris clausa, cereorum lumine illustrari; subdit vero Concilium rationem, propter quod id prohibuit, idest, *inquietandi Spiritus Sanctorum non sunt*. Quia cum superstitiosus ille cultus sanctis displiceret, inquietari dicebantur, sicut ad Ephesios 4. inquit Apostolus, per opera mala Spiritum Sanctum contristari; ego vero existimarem, per Spiritus Sanctorum intelligendas esse animas hominum pie sancteque viventium, qui tali superstitioso cultu perturbabantur, sicuti modo fidelium mentes & spiritus perturbat Hæreticorum impietas.

Aliqui vero possent Concilium aliter explicare, videlicet, Concilium prohibuisse morem evocandi cereis accensis defunctorum animas per magicam artem, sicut scribunt Plinius 28. histor. cap.2. & Sveton. in Tiber. c.98. sic autem spiritus inquietari dicebantur. Unde 1. Reg.28. anima Saulis, evocata à Pytonissa, respondit. *Quare me inquietasti, ut suscitarer?*

Si autem quæras, quare ante Martyrum sepulchra cerei accendantur, respondeo, hoc primo fieri, quia ignis lætitiæ signum est, vere autem fideles pro sanctorum gloria lætantur. Secundo, quia per ignem indicatur gloria, & ideo teste Herodiano lib.1. Imperatoribus Romanis faces præferebantur. Tertio quia sic explicatur gloria & vita, vere autem sanctorum animæ gloria perfruuntur, corpora vero immortalem vitam in resurrectione recipient.

49. Pro explicando Hieronymi testimonio satis sit dicere, ita illum loquutum esse de illis, qui ex simplicitate & ignorantia putabant verum esse, quod alii falsò & pertinaciter asserebant, mortuorum corpora per accensos cereos illuminari, ideo dicit, hoc non agere secundum scientiam, attamen excusari, & affectu bene agere, quia hoc pro honore Dei faciunt; quod vero Heronymus bonum existimaverit, ante Martyrum reliquias cereos accendi ex eodem lib. contra Vigilantium aperte declaratur, ait enim: *Causabantur quondam & Apostoli, quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt, neque enim Christus egebat unguento, nec Martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honore Christi fecit devotioque mentis ejus recipitur: & quicumque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem*. Atque ut ostendat, se tantummodo reprobare accendi lumina superstitioso modo, infra addit. *Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est, hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est.*

Respondens autem illis verbis, *cereos clara luce non accendimus* non perinde improbat usum accendendi cereos etiam horis diurnis, sed tantum ut afferret Vigilantio rationem aliquam, qua intelligeret, non accendi nocturno tempore, ut viderent corpora mortuorum; de hujusmodi cereis ampliorem sermonem facit septima synodus act.7. in decreto fidei, & si foret superstitio eos accendere coram reliquiis, esset etiam eos accendere, cum Evangelium legitur, aut cum mortuus ad tumulum defertur, & tamen hanc consuetudinem fuisse in tota orientali Ecclesia ibidem refert Hieronymus, & in libro de Vita Paulæ narrat, in ejusdem funere etiam Episcopos cereos prætulisse.

50. Ad locum Augustini breviter dico, ab illo reprehensos esse sepulchrorum adoratores generatim loquendo, non autem, si constet, esse sepulchra sanctorum; vel, & hoc magis ad mentem S. Doctoris, reprehendit morem illum, qui tunc apud plures invaluerat, plures enim tunc ad mortuorum sepulchra cibos ferebant, & inde pleno ventre ac ebrii discedebant. Ecce illius verba. *Novi sepulchrorum adoratores, novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuis bibant, & epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos se ipsos sepeliant*,

liant, & voracitates, ebrietatesque suas deputent religioni. Hoc etiam prohibuit Ambrosius Mediolani; nunquam tamen morem istum dixit fuisse idololatriam, nisi fieret more Gentilium, qui epulas illas in sacrificia sacrilege offerebant.

51. Quintum argumentum proponit. Pr. quia si liceret adorare sanctorum corpora, vel eorum ossa, & cineres, immo ex ossibus & cineribus pulverem, licitum etiam esset, eadem in vermes conversa venerari, sed hoc omnino incongruum & ridiculum est, ergo. Secundo; major reliquiarum pars supposititia est, & plerumque contigit pro sanctorum corporibus nobis proponi latronum ossa vel canum; unde & Augustinus in lib. de opere Monachorum cap.28. cum dixisset, Monachos quosdam membra Martyrum circumferre, addidit, *Si tamen Martyrum*. Tertio; quia tam multæ reliquiæ ejusdem Martyris reperiuntur, ut dicendum sit, vel plura habuisse corpora, vel plures esse falsas.

Resp. ad primum; si nobis constaret, corpus sancti conversum esse in illos vermes, istis adorationem adhibendam esse, dignitas enim, & excellentia, cui cultus tribuitur, in sancto residet, & propter hanc ejus reliquiæ venerationis sunt objectum; sed quia, ob tot trasmutationes agnoscere non possumus, vermes istos ex sanctorum corporibus prodiisse, ideo adorandi non proponuntur. Argumentum tamen hoc generatim non concludit; nam quid dicendum esset de corporibus, & reliquiis, quæ nulli corruptioni subjectæ fuerunt? Ad secundum, ea est Divina providentia erga Ecclesiam, ut hoc nequaquam permittatur, aut si forte unquam errare posset fidelium pietas, hujus erroris subtraheretur occasio. Hoc factum esse legimus in vita S. Martini Turonensis Episcopi scripta à Severo Sulpicio ejus familiari. Ut clarius res exponatur, afferantur Historici verba cap.8. *Erat*, inquit, *haud longe ab oppido proximus Monasterio locus, quem falsa hominum opinio velut consepultis ibi Martyribus sacraverat, nam & altare ibi à superioribus Episcopis constitutum habebatur. sed Martinus non temere adhibens incertis fidem, ab his, qui majores natu erant, Presbyteris, vel Clericis, flagitabat sibi nomen Martyris, vel tempora passionis ostendi, grandi se scrupulo promoveri, quod nihil certi constans sibi majorum memoria tradidisset.. Quodam die paucis secum adhibitis fratribus ad locum pergit, deinde super sepulchrum ipsum astans, oravit ad Dominum, ut quis esset, vel cujus meriti sepultus ostenderet. Tum conversus ad lævam, vidit prope assistere umbram sordidam, trucem; imperat nomen, meritumque ut loqueretur: nomen edicit, de crimine confitetur, latronem se fuisse, ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cum Martyribus esse commune, cum illos gloria, se pœna retineret. Martinus jussit ex eo loco altare submoveri, atque ita populum superstitionis illius absolvit errore*. Quod Martini tempore fecit Deus, faceret etiam nostris si opus esset, est enim eadem Ecclesia, sunt iidem ritus; interea notent Hæretici, quod si erat probata fides alicujus reliquiæ, tunc etiam cultus exhibibebatur. Semper autem adhibita maxima diligentia fuit in veris reliquiis discernendis à falsis, nec sine Episcopi facultate aliquam adorare licitum unquam fuit, ideo Optatus Milevitanus lib.1. narrat, quamdam fœminam à Cæciliano Archidiacono correptam fuisse, quod cujusdam hominis mortui, etsi Martyris, sed nondum vindicati, libare diceretur. Adeo autem hujusmodi diligentia crevit, ut non liceat publice reliquias adorandas exponere, nisi ex Romani Pontificis authoritate vel immediata; vel mediata, ut colligitur ex cap. *Cum ex eo* de reliquiis, & veneratione sanctorum. Quamvis tamen concederemus, in hac re errorem aliquem con-

contingere posse, adhuc adorantis devotio suo fructu non careret, quia non adoratur hæc reliquia, ut hæc, sed ut talis Martyris, vel sancti, quod ad meritum sufficit; neque vero opus est ad conditionem confugere, sicut, cum quis Hostiam adorat, quam putat esse consecratam, non dicit, adoro, si est consecrata, satis enim est, si prudens judicium habeatur. Quod autem inquit Augustinus nihil contra nos probat, siquidem tunc sermo erat de reliquiis quæ nulla publica authoritate circumferebantur in qua re caute procedendum est, immo reprehendendi qui talia agunt. Ultimum parum refert, si attendamus mox dicta; duo tamen hic adverto, primum; in pluribus locis esse partem aliquam ejusdem corporis, à parte autem aliquando denominatur totum, ita scribit Basilius in orat.40. Martyrum, qui tunc in variis urbibus esse dicebantur, quia in singulis aliqua pars eorum erat. Secundum, quod sit idem nomen, quamvis non idem sanctus; ut tamen eum adoratione afficiamus, sufficit si sanctus sit, quamvis non sit idem.

52. Nunc opponere possent, argumentum nostrum petitum à Patribus, quod potissimum à nobis existimatur, nullum esse, vel quia nullum Patrem primi vel secundi sæculi adduxerimus, vel quia, etiam Patres ipsi, utpote homines in errorem induci potuerint.

Quam inane sit primum, constat ex iis quæ diximus sub initio cap.3.& ulterius rejicitur, nam, si quod ab hæreticis profertur, tanquam verum accipiendum esset, omnia profecto celebriora Concilia nullius momenti censenda forent; In Ephesina Synodo act.1. definitum fuit, non simplicem hominem, sed hominem Deum natum esse de Maria Virgine, nec tamen ex aliquo primi vel secundi sæculi Patre id probatum est, sed antiquior ex recitatis fuit Cyprianus, cœteri vero erant ex recentioribus. In Chalcedonensi, ad duas in Christo naturas affirmandas inscripti sunt Patres vix uno sæculo anteriores, & quamvis potuisset Concilium producere Clementem Romanum, Ignatium Martyrem, Justinum, Irenæum, attamen satis Catholicum Dogma probari per alios existimavit. Quinta Synodus se in omnibus sequi, dixit, Athanasium, Hilarium, Basilium, Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, priorum sæculorum Patres non memorando; Cur igitur dogma nostrum de cultu erga reliquias velint contemnere, quod per nullum ex Patribus primi, vel secundi sæculi probaverimus?

Si vero secundum, quod opponebant, faciendum esset, jam nullum fidei dogma ex Patrum traditione demonstrari poterit, cum idem argumentum confici possit, & dici, Patres ipsos, utpote homines, errare potuisse; Fortasse si hoc diceretur de uno, vel altero, manum darem hæreticis, at ubi omnes in eandem sententiam conspirant, nemo tam impius est, ac importunus, sed melius dicerem, insipiens, qui velit, id non esse probandum, atque recipiendum; Unde ait Lanfrancus in lib. contra Berengarium tom.6.Bibliot.col.209. quod etsi illam excellentissimam auctoritatis arcem non obtineant, qua donatæ sunt Propheticæ, seu Apostolicæ Scripturæ, *hoc tamen probare sufficiunt, quod hanc fidem, quam nunc habemus, omnes fideles, qui nos præcesserunt, à priscis temporibus habuerunt*. Sed si res est, sicut inquiunt hæretici, cur Theodorus Beza in epistola nomine Genevesium Pastorum conscripta ad Nicolaum Razucilum inquit, tanti faciendam esse auctoritatem Augustini, quanti omnium Africanarum Ecclesiarum? Si hoc de Augustino, quid de Augustino additis totaliis, quos in probando asserto nostro produximus? Videant igitur hagiomachi, machinas suas prorsus corruere, nec nisi contradictionibus se ipsos defendere, in quas quidem plurimas incidisse Magdeburgenses, luculenter

ter possem ostendere, sed de hoc postremo satis Bellarminus.

53. Superest modo argumentum aliud perpendere, quo utitur Wiclef. sumitur autem ab illo Lucæ 11. *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum, Partes autem vestri occiderunt illos, profecto testificamini, quod consentitis operibus Patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem eos occiderunt, Vos autem ædificatis eorum sepulchra*. Redarguuntur igitur Pharisæi, quod Prophetarum monumenta ædificarent, nec minor culpa tribuitur filiis, qui hæc ædificaverant, quam Patribus, qui Prophetas occiderant.

Quot responsiones huic argumento aptari possint, non à me, sed à Patrum expositionibus evincatur. Et primo Ambros. in illa verba, sic ait. *Propheticorum ædificatione tumulorum sceleris eos, qui occiderant, arguebant, & similium æmulatione factorum se esse quoque declarabant paternæ iniquitatis hæredes*. Non igitur sepulchrorum ædificatio, sed similium factorum æmulatio arguebatur. Clarius Beda lib.4. super Lucam cap. 4. dicens: *Non monumenta Prophetarum ornare, sed interfectores Prophetarum imitari sceleris est*. Rabanus vero explicans eadem verba Matt. 23. hæc habet. *Simulabant quidem se ob favorem vulgi captandum Patrum suorum horrere perfidiam, memorias Prophetarum, qui ab eis occisi sunt, magnifice ornando, sed in ipso opere testificantur, quantum Paternæ nequitiæ consentiant, Dominum, qui ab eisdem prophetis est prænuntiatus, injuriis agendo*. An non consenserunt Judæi operibus Patrum suorum, Christum crucifigendo, Stephanum lapidando, Apostolos occidendo, vel ejiciendo?

54. Hæc quidem optime dicta sunt; sed, si juxta litteram textum explicare velimus, non prohibemur, est autem textus Lucæ comparandus verbis aliis Mat.23. ubi sic reperitur. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum, & dicitis, si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum; Itaque testimonium estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt, & vos implete mensuram Patrum vestrorum*. Hypocrisis igitur vitium erat in Pharisæis, quia cum ædificarent sepulchra Prophetarum, intus tamen pleni erant dolo & iniquitate, immo erant & homicidæ, propterea & quærebant ipsum Christum, quem jam animo occiderant, & ita operibus Patrum suorum consentiebant, propterea dixit Christus, *implete mensuram Patrum vestrorum*. Non itaque reprehendit eos, quod sepulchra ædificarent, sed animum, quo ædificabant; atque ideo dixit, eos esse sepulchra dealbata, quia cum foris pii, ac religionis cultores apparerent, intus erant pessimi ac fraudolenti.

55. Denique Cajetanus satis apte id exponit, dicens; occisum sepelire, duplici fine fieri posse, vel ut mortuo honorem deferat, vel, ut compleat actum homicidæ. Judæi vero ædificantes sepulchra Prophetarum, quamvis dicerent, se id facere pro honore deferendo, revera tamen faciebant pro secundo fine, ut constat ex iis, quæ postea faciebant, alios Prophetas, & omnium Prophetarum caput occidendo.

CAPUT VI.

De adoratione Imaginibus exhibenda.

§. I.

Aliqua prænotantur.

56. Ntequam de hac adoratione aliquid dicendum, vel statuendum aggrediamur, aliqua præmittenda sunt, quibus præcognitis faciliorem viam cœteris aperiamus. Et primo videamus oportet, quid idoli nomine, quid imaginis significetur. Fuerunt aliqui, inter quos præsertim Henricus Stepha-

phanus in suo libro, qui linguæ græcæ thesaurus inscribitur, affirmantes, per hanc vocem *Idolum* significari omne simulacrum, aliquod numen, quod cultu & honore prosequentur homines, repræsentans, atque ita nullum discrimen ponitur inter idolum,& imaginem, ut patet ex definitione exposita, & ex verbis, quæ idem addit; subdit enim; *Ex quo sequitur, apud Ecclesiasticos* (hos appellat Iconomacos, Calvinum, Lutherum, aliosque) *imagines Sanctorum, Christi, & Trinitatis esse idola*. Si enim pro Ecclesiasticis indicare voluisset Sanctos Patres, & Scriptores illos, quos Ecclesia vera accipit, suosque defensores profitetur, falsum omnino dixisset, etenim in septima Synodo act. 5. & 7. dictum est anathema illis,qui imagines appellant idola.

57. Est igitur aliquod discrimen inter idola, & imagines afferendum, quod quidem multiplex à Sacris Doctoribus affertur, & nos paucis, quantum fieri poterit,explicabimus. Origenis homil.8. in Exodum, & Theodoreti q.38. pariter in Exodum, explicantium illud Exodi 20. *Non facies tibi sculptile, & omnem similitudinem*, sententia fuit, hoc interesse discrimen, quod imago, sic dicta ab imitando, sit veræ rei similitudo, ut quando pingitur homo, leo &c. idolum vero sit similitudo rei falsæ, & quæ nec extitit, neque existit, & ita se habent statuæ Jovis, Mercurii &c. cum repræsentent Deos, qui nunquam fuerunt, neque extituri sunt; quamobrem imagines, seu statuæ Sanctorum, Christi, & Sanctissimæ Trinitatis nequaquam idola esse, quia reprehesentant ea, quæ sunt, aut saltem exprimunt formam sub qua apparuerunt, aut aliquas ipsorum proprietates. Hæc Origenis explicatio Apostoli sensui dicentis 1. ad Corint. 8. *Idolum nihil est*; satis cohæret. Theodoretus vero, idem explicans, affert exempla græcorum, atque ægyptiorum, qui effingere solebant Tritonas, & Centauros, quos ipse vocat *Idola* quia tantum mente formabantur, nomen propterea sumptum à verbo græco *Idos* ideſt per ideam humanam effectum. Alii vero, ut Hesichius juxta Aristarcum, & Theodorum idolum appellarunt umbram, & Eustathius phantasma.

58. Juxta hanc considerationem *Idolum* est figura rei minime existentis, aut possibilis, imago vero est alicujus rei subsistentis, aut possibilis similitudo; Attamen S. Augustin. lib.6. quæst. veteris testamen. qu. 41. & Tertul. lib. de idololatria cap.4. dicunt, *idolum* repræsentare posse rem non solum possibilem, sed etiam existentem, attamen tali modo, ut ipsi hujusmodi repræsentatio non conveniat, neque secundum naturam, neque secundum gratiam, & ita adorare dæmonem est adorare idolum, quamvis revera dæmon sit, imago è contrario sit verum exemplar, & nobis repræsentet id, quod alteri convenit. Hoc afferendum videtur, si verum est id, quod narrant, unde idolorum origo adinventa est; nimirum, cuidam raptum fuisse filium, & nimio dolore affectum rapti filii imaginem fecisse, & eum, tanquam Deum, cœpisse colere, ac venerari. Etiam juxta hanc doctrinam, aliud est idolum, aliud est imago, quod nobis sufficit adversus hæreticos, volentes imaginum cultum esse cultum idolorum, proinde idololatriam.

In ampliori etiam quadam significatione usurpatum est hoc nomen Idoli, ita ut hujusmodi diceretur, quidquid non esset Deus, sed tanquam Deus coleretur, sive esset imago, sive simulacrum, sive quæcumque alia res; atque hoc desumitur à S. Augustino lib.20. contra Faustum cap.5. ubi ait, Manichæos pejores fuisse gentilibus, etenim illi adorabant Deum malum, qui non est, gentiles vero colebant ea, quæ sunt, quanvis pro Deo colenda non sint, ut, Solem, Lunam, Stellas, elementa, & hujusmodi. Sic loquitur etiam Athanasius in oratione contra idola, sic Tertullianus lib. de idololatria cap.3. atque

juxta hanc doctrinam idolum differt ab imagine, nam idolum est, quidquid colitur ut Deus, imago vero est similitudo alicujus veri exemplaris, quæ si rem aliquam exprimat adoratione dignam, cum ipsa re colitur atque honoratur, dicitur autem similitudo à nomine Græco *Ikon* quod est sumptum à verbo *Iko* quod significat *assimilo*.

59. Quanvis juxta dicta idolum complectatur simulacrum, hoc tamen illo communius esse videtur, & ideo Lactantius lib.6. Divinarum institutionum, sive de vero cultu, cap.10. appellat hominem simulacrum Dei, nomen hoc dicit à similitudine sumptum esse, in quo sensu quæcumque vera imago dici potest simulacrum. Waldensis vero tom.3. cap.157. inquit, simulacrum dictum esse à simulando, idolum vero à dolo, videlicet hominum falsitate repertum; Scripturis tamen sanctis inhærendo semper simulacra sumuntur pro idolis, ut patet in ps.113. pr. Joan. ultimo; & S. August. in laudatum psal. asserit, quod à Græcis dicitur idolum, à Latinis appellari simulacrum. Exposita itaque hac distinctione inter cultum idolorum, & cultum imaginum, rem nostram prosequamur.

§. II.

De Imaginum Hostibus.

60. PRimos Iconomachiæ Patres, fuisse Judæos, ac Mahumetanos, ab omnibus scriptoribus traditur, sed de istis à nobis nihil referendum est. Itaque de Hæreticis Iconomachis, seu Iconoclastis, qui imaginum cultum prorsus delere contenderunt, erit nostet hic sermo.

Fuisse Marcionistas & Manichæos, testatur Sanderus lib. 1. de imaginib. cap. ultimo, nec leve fundamentum desumitur ex septima synodo act. 11. ubi Tharasius de Iconomachis sic effatur. *Imitati Hebræos, Saracenos, Gentiles, Samaritas, item Manichæos, Phantasiastas, Sanctorum Imaginum usum prohibere voluerunt*. Et in act.1. post fragmentum Epistolæ Athanasii ad Ruffinianum, sic loquitur. *Invenimus, & Manichæos respuisse imagines, sed præter hos Marcionistas, & eos, qui confundunt duas naturas*. Quare juxta hæc postrema verba inter Iconomachos recensendi sunt etiam Eutichiani, seu Theopaschitæ. His addendum esse etiam Faustum, censet idem Sanderus ex illis verbis ejusdem Fausti penes S. Augustinum lib.20. contra eundem cap.3. quæ sunt ista. *Item Pagani, aris, delubris, simulacris, victimis, atque incenso Deum colendum putant, Ego ab his in hoc quoque multum diversus incedo, qui me ipsum, si modo sim dignus, rationabile Dei templum puto: vivum vivæ majestatis simulacrum &c.*

61. Non me latet, nonnullos ex recentioribus ab hac nota velle Manichæos ac Faustum vindicare, cum isti tantummodo rejicerent imagines Dei, quem nullo modo pingi posse aut debere existimabant, nec unquam Augustinus Manichæos reprehenderit, eo quod sanctorum imaginibus carerent; Parum mea interesset id concedere, non enim punctum hoc pro una vel altera parte sustinere contendo, sed solum quid alii dixerint referre. Attamen si attendantur superiora verba, facile colligi potest opinio Sanderi; Ita enim Faustus à Paganis recedebat, ut nequaquam uti vellet simulacris, sed sola oratione, atque se solo contentus esse, itaque quascumque imagines rejiciebat; Augustinus autem eos in hac re non reprehendit, quia si punctum præcipuum, de quo contra ipsos controversia erat, evicisset, reliqua erant consectaria.

62. Neque prætereundus Xenajas natione Persa, conditione servus, qui, relicto Domino, à Calendione Antiochenam Cathedram tenente primum acceptus fuit, sed cum Clericum ageret nondum baptismo regeneratus, fuit ab eodem inde pulsus, sed iniquis hominibus

nibus in hoc mundo arridente fortuna, si tamen hoc dici potest, à Petro Cnapæo Antiochiæ Episcopo Hieropolitanus Episcopus creatus fuit, dictus postea Philoxenus. Contigit hoc an. Christi 485. imperante Zenone. De hoc Theophanes, Cedrenus, & Anastasius Bibliotec. ad an. Zenonis 16. hæc nobis demendarunt. *Xenajas Satanæ Servus, Dominicam imaginem, & sanctorum non esse recipiendam docebat.* Nicephorus vero lib. 16. cap. 17. hunc Principem Iconomachorum appellat. Hujus mentio fit in 7. synodo act. 5.

63. Nunquam tamen acriter adeo, & sacrilege in sanctorum imagines decertatum, atque actum est, quam sub Leone Isaurico, quem obscuro genere natum, ac vilibus exercitiis addictum, à Zonara & Cedreno accepimus. Hic Judæorum fabulis fidem suam non mediocriter committebat, imperium ab ipso sperandum, una cum centum annorum vita promiserant, illud obtinuit ipsis non parum faventibus, ac stipulantibus, statim vero eorumdem suasionibus, atque instigationibus Christi, Beatissimæ Virginis, sanctorum figuras non solum abolere, sed etiam comburere præcepit, immo Salvatoris imaginem, quæ supra portam æream collocata erat, per suos satellites dejecit; restiterant pro viribus S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, & Gregorius Papa hoc nomine secundus; sed frustra Pharaonem obduratum deprecati sunt Moyses isti; primus centenarius Episcopatu se abdicavit, secundus habito Romano Concilio Leonem, cæterosque illius hæresis labe coinquinatos authemate percussit, atque illam Italiæ partem, quæ sub Græcorum ditione supererat, illi obtemperare, ac tributa rependere vetuit. Quot damna Ecclesiis, claustris, quot cædes religiosis viris intulerit, referunt Zonaras, Cedrenus, Paulus Diaconus, Baronius aliique.

64. Leo, contra mendacem Judæorum prædictionem, expleto sui imperii anno 16. æternas subiturus pœnas, extremum mortalis vitæ diem obivit; dira tamen ab ea commota persequtio finem non accepit; ut Patris imperium, ita & iniquitas transivit in filium; Constantinus iste fuit, qui quam rebus sacris futurus fuisset infensus, dum in sacro fonte ablueretur, prædixit eventus, sacras enim undas stercore emisso fœdavit, appellatus propterea stercoreus, idest Copronymus. Multa cultores imaginum piique viri mala sustinuerunt, atque inter cætera conciliabolum 333. Episcoporum collegit, in quo sacrorum imaginum cultum damnavit, obstrictis etiam juramento subditis, quo confirmarent, nullam se imaginem adoraturos, teste Cedreno; anno imperii sui 35. spiritum Diabolo commendavit impietatem suam in Beatam Virginem, non ad salutem, sed ad æternum interitum coacte execratus, ac se ejus rei causa damnatum iri desperata voce contestans. Imperio successit Leo ejusdem filius, & post annos quinque defuncto regnare cæpit Constantinus cum Irene matre pia ac catholica fœmina. Electus tunc fuerat ob sui pietatem ac constantiam Patriarca Constantinopolitanus Tarasius, qui nunquam ad dignitatem illam capessendam passus est adduci, nisi prius de cultu imaginum restituendo Concilium generale haberetur; initum de hac re cum Imperatore Consilium erat, à quo, datis epistolis ad Adrianum Summum Pontificem, & Roma missis legatis duobus, qui ambo Petri nomine appellabantur convocatum est Concilium 350. Episcoporum in Urbe Constantinopolitana, sed cum ab Episcopis Hæreticis conflata fuisset seditio, ad Nicænam urbem Patres se transtulerunt, atque ibi Nicænam synodum, ordine septimam auspicati sunt, in qua sacris imaginibus restitutus est cultus, damnatique qui illas frangerent, vel respuerent, confirmatione accepta ab Adriano.

65. Non tamen tanto plausu acceptum fuit sub initio Concilium hoc, quin immo aliqui occidentalis Ecclesiæ reclamarunt. Præsertim vero sub Pipino, & Carolo Magno. Ab hoc synodus Francofurti ad Mænum habita est, de qua peculiaris suo loco erit sermo, tum scripti sunt quatuor libri, Carolini dicti, quos infra non omittemus.

Post pacem iterum bellum, hoc innovatum fuit à Leone Armenio Imperatore, & prosequuti sunt Michael Balbus, necnon Theophilus successores, quos improbissimos fuisse, & postremum Judaicæ sectæ, & Necromantiæ professorem, scribunt Cedrenus, & Zonara in vita ipsorum.

Prætereamus tamen antiquiora sæcula; ennumerandi forent Wiclefistæ, & Hussitæ, illorum mentionem facit Thomas Waldensis, istorum Joannes Cochlæus tertio libro eorumdem Historiæ. Posterioribus temporibus excitata sunt semina perditionis, & orta Zizania. Carolstadius, Lutherus, Zuvinglius, Melancton, Calvinus, hi omnes feræ pessimæ, & homines incendiarii, imagines abradunt, frangunt, comburunt. Hisce expositis ad Historiam spectantibus rem nostram peragemus.

§. III.

An licitum sit imagines Dei, Angelorum & Christi dipingere.

66. Judæi primum, deinde hæretici plures, contra quos præsens controversia dirimenda est, dixerunt, nullo modo licitum esse dipingere, & habere imagines, de quibus titulus inquirit; sed quod pertinet ad imagines Deum repræsentantes, fuit etiam quorumdam Catholicorum opinio asserentium, Deum ac Trinitatem pingere expediens non esse. Ita Durandus in 3. dis.9.q.2. qui & fatuum hoc dicit. Abul. c.4. Deuteron. q.5. Henric. quodlibet 10. qu.6. de Ayala de traditionibus 3. parte tract. de imagin. cap. de earum antiquitate.

67. Fundamentum hujus sententiæ ex variis capitibus desumi potest. Primo ex Scriptura. Exodi 20. habetur. *Non facias tibi sculptile, neque omnem similitudinem &c.* Clarius vero Deuteron.4. ubi legitur. *Memento, quod Dominus loquutus sit tibi in monte Oreb, vocem verborum audivisti, imaginem nullam vidisti, observa ergo te ipsum, ne forte deceptus, facias tibi ullam similitudinem.* Isaiæ etiam 40. habetur. *Cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Tandem act. 17. *Genus ergo cum simus Dei, non debemus existimare, auro, vel argento, aut lapidi artis sculpturæ, & cogitationis hominum Divinum esse simile.*

68. Secundum argumentum desumitur à Calvino, quia juxta Græcorum sententiam imagines sunt libri ignorantium, imagines autem ab Jeremia c.10. dicuntur *doctrina vanitatis.* Et Abac.2. conflatilis dicitur *doctor mendacii.* Quocirca ex imaginibus, sicut ex statuis, facile homines pertrahi possunt in errorem.

69. Tertio argumentari possunt auctoritate, præsertim Lactantii lib. 2. de origine erroris c.2.ubi sic loquitur. *Imaginum ratio idcirco ab hominibus inventa est, ut possit eorum memoria retineri, qui fuerunt vel morte subtracti, vel absentia separati. Sed Deus non moritur, & ejus spiritus, ac lumen ubique diffusum abesse nunquam potest.* Illum igitur velle pingere est illum; aut mortalem, aut absentem credere vel demonstrare.

Denique id ratio suadet, siquidem Deus omnino incorporeus est, nec ullam habet figuram, aliqua igitur imagine repræsentari non potest, aut id fiet non sine ipsius injuria, quemadmodum inquit Seneca, qui reprehendit eos, qui Deos sculpebant in habitaculis hominum, cujus sententiam approbat S.Augustin. lib.6. de Civit. cap.10.

70. Nihilo tamen minus dicendum est, usum pingendi Deum aut Sanctissimam Trinitatem ex natura sua licitum esse, nec sine magna temeritate posse negari, hoc ultimum addo, quia existimant aliqui, id non esse tenendum tanquam dogma pertinens ad fidem.

Antequam id probem, advertendum censeo cum Cajetano hic art. 3. trifariam similitudinem Dei à nobis effingi posse. Primo ita ut velimus ipsius naturam & formam ad vivum exprimere; & hoc maximæ dementiæ tribuendum foret. Secundo ad exprimendam aliquam figuram corpoream, in qua hominibus apparere aliquando dignatus est, & sic aliqua historia nobis exhibetur. Tertio ut ex sensibili figura possit intellectus noster ad invisibilem Dei naturam ascendere. Assertio nostra procedit tantum de imaginibus Dei in secundo vel tertio sensu. Et sic probatur.

71. Primo, Licitum est ita Deum nostris oculis objicere, sicut Deus semetipsum hominibus objecit, aliter, sicut nos injuriam in hæreticorum sensu facimus Deo, ita Deus injuste in semetipsum fecisset, atqui Deus semetipsum objecit hominibus sub aliqua figurà, sub qua nos ipsum efformamus, ergo. Ad probandam minorem plurima sunt scripturæ loca, in quibus hujusmodi Dei apparitiones nobis indicantur; Ipso sub mundi exordio, dicitur Deus deambulans in Paradiso ad auram post meridiem; & additur. *Abscondit se Adam, & uxor ejus à facie Domini Dei*. Genes. 28. de Jacob legitur. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ dicentem, Ego sum Dominus Deus &c.* Porro esse innixum scalæ sine figura corporea fieri non potest. Exodi 33. dictum fuit Moysi à Deo; *tollam manum meam, & videbis posteriora mea faciem autem meam videre non poteris*. Vidit igitur Moyses manum & humeros. Quid de Isaia? nonne cap. 6. fatetur, se vidisse Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum? Quid de Amos? non ne cap. 9. affirmat, se vidisse Dominum stantem super Altare? Quid de Daniele? ecce illius verba, quibus describitur Deus. *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum ejus candidum, quasi nix, & capilli capitis ejus, quasi lana munda, thronus ejus flammæ ignis &c.* Denique Mat. 3. Spiritus Sanctus apparuit *in forma Columbæ*. Vides igitur probatam minorem argumenti.

72. Secundo idem demonstro. Id licitum est per imaginem, & similitudinem exprimere, quod Deo tribuit Scriptura Sacra, sed Scriptura Sacra tribuit Deo, etsi summe incorporeo, corpus, membrorumque distributionem, ergo. minor manifesta est cuicumque illam legenti, quoties enim non legitur, dextera, brachium, caput? eadem autem prorsus in utroque casu est ratio, nam ideo hoc fit à scriptura, ut ex sensibilibus rebus ad invisibilem Deum aliquo modo agnoscendum pertrahamur tanquam per similitudinem analogicam, sive metaphoricam, ac mysticam, idem autem in pictura contingere nos profitemur, nec aliud à nobis intenditur. Quod si Scriptura membra tribuit Deo absque periculo, ut reponit Calvinus, quia simul docet, Deum esse omnino incorporeum, etiam nos pingendo Deum, docemus, Deum omni membro & parte carere; atque hoc est, quod Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 2. præscribit hisce verbis. *Quod si aliquando historias, & narrationes Sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit &c.*

73. Hoc potiori jure affirmandum est de imaginibus, quæ Christum repræsentant, Christus enim fuit verus homo, atque ideo in hoc puncto hostes non lia-

habemus nostrorum temporum hæreticos, qui etsi dicant, Christi imagini nullum cultum esse deferendum, de qua re non est præsens disputatio, attamen pingi posse, non negant. Validius autem hoc probari non potest, quam afferendo plurima exempla ex historiis, quibus Christi imaginem habitam fuisse, ac remansisse, declaratur. Prima fuit illa, de qua scribunt Euagrius lib.4.c.26. Metaphrast. in vita Constantin. Damasc. orat.1. de imagin., cujus scilicet ipse Christus suo vultu, suoque pretiosissimo Sanguine pictor fuit, quamve misit ad Abagarum Regem; secunda, quam aliis præpono, illa est, quæ Taurini magno splendore reservatur, ac religione colitur, nimirum Sindon, qua corpus Christi mortuum involutum fuit, & in qua sui corporis figuram reliquit. Tertia sit illa statua, quam commemorant Euseb. lib.7. cap.18. Sozom. lib.5.c.20. Damasc. lib.1. de imag. aliique, ea videlicet, quam in accepti beneficii memoriam, ac grati animi signum Mulier Luc.8. à fluxu sanguinis liberata apud Paneadem erexit; cui statuæ prodigium hoc etiam adscribunt, quod ad ejus pedes herba quædam exorta, cui usque ad pallium excrescenti cujuscumque generis morbos sanandi virtus collata esset. Plures alias Christi imagines mihi priora tempora proferrent, sed adductæ sufficiant.

74. Magis dubitare solent, an Christus pingi possit in forma agni, ad id indicandum quod Joannes digito demonstrando Christum, dixit, Ecce agnus Dei qui tollit peccatum; difficultatem facit quidam Canon sextæ Synodi n. 82. propter quem Bartholomæus Carranza indicavit, non posse sic repræsentari; verba Canonis sunt ista. *In sanctarum imaginum picturis agnus digito præcursoris indicatus; expressus est, qui in formam acceptæ gratiæ, nobis per legem agnum Christum Deum nostrum ostendit: veteres igitur typos, & obumbrata veritatis symbola, præfigurationesque Ecclesiæ traditas amplectentes, gratiam imprimis curantes, & veritatem, tanquam legis plenitudinem acceptamus. Quo igitur perfectius, & in colorum varietate omnium oculis subjiciatur character ille, quo secundum hominem, agnus Christus Deus noster, qui abstulit peccata mundi, effigiatus est, posthac in imaginibus, pro veteri agno, erigi debere declaramus.* Canonem hunc legitimum esse, contendit Vasquez præsertim ex eo, quod Adrianus Papa, Tharasius Patriarcha, & Synodus septima eo utantur ad suam sententiam de cultu imaginum confirmandam. Ratio autem, qua prælaudatus doctor movetur, est, quia præsenti veritate debent figuræ cessare, agnus autem erat figura Christi, ergo non ultra Christus in figura agni est exprimendus.

75. Alii tamen arbitrantur, hoc adhuc licitum esse, atque in illo canone non prohiberi imaginem Christi sub illa figura, sed tantum præferre imaginem Christi in forma humana; ego vero existimo, id actum esse, quia tunc temporis nimia erat consuetudo pingendi Christum sub forma agni, & multo frequentior, quam in figura humana, non autem absolute, quod quidem satis probat usus, qui, post canonem illum, etiamsi receptum in Ecclesia Latina, perseveravit, & hic Romæ in pluribus Templis, opere Mosayco minus antiquo, quam sit illa Synodus sub illa figura conspicitur Christus.

Neque vero ratio illa producta quidpiam probat, etenim quamvis agnus in veteri testamento fuerit Symbolum Christi, attamen figura agni nunquam pro Christo sumpta fuit in antiqua lege, sed incæpit in nova occasione desumpta ex illis verbis Joannis: *Ecce agnus Dei.* Procul dubio autem magis errat Carranza, dum dicit etiam prohibitum esse, pingere Spiritum Sanctum sub specie columbæ, etenim in canone de hac re nihil exprimitur, & hæc non fuit aliquo modo in testamento veteri typus Spiritus Sancti, sed solum fuit in lege Evan-

gelica, quando Spiritus Sanctus apparuit.

76. Ex iis, quæ prænotavimus n.70. facile propositis argumentis possumus respondere, prohibitum nempe esse, efficere imagines Dei in primo sensu. Arbitror tamen, testimonia Exodi, & Isaiæ sic esse accipienda, ut prohibeantur simulacra, quæ pro Diis haberentur, ideo Isaias ait, cui similem me feciſtis? quasi diceret, vos colitis simulacrum ligneum tanquam Deum, cum ergo ego sim etiam Deus, fecistis me similem ligno. Sed hoc melius declarabitur in sequenti. Potest enim aliqua res secundum se esse licita, quæ tamen justis de causis prohibetur.

77. Imagines etiam sunt doctrina vanitatis, & conflatiles sunt Doctores mendacii, quando eorum opera habentur pro Diis, aut existimarent se revera naturam Divinitatis exprimere; imago autem Dei & Trinitatis nobis est doctrina veritatis, cum per analogicas & mysticas similitudines in aliquam Dei & Trinitatis notitiam nos promoveat.

18. Ad tertium ex Lactantio, cui Calvinus addere potuisset Origenem lib.7. contra Celsum, Eusebium lib.1. de præparatione evangelica cap.6. Damascen.4. de fide cap.17. immo & Patres septimę synodi act.4.dicentes Christum pingi posse, quia est homo, Deum autem pingi non posse: Lactantius ibi argumentatur contra Gentiles, qui simulacra proponere ad cultum religiosum necessarium esse existimabant, eos autem sic colebant, quos mortuos esse arbitrabantur, illos igitur refellit, ostendens, Deum verum, cui cultus debetur, semper vivere, & ubique esse; neque vero nos dicimus, opus esse aliqua similitudine, ut in Deum cultum nostrum impendamus, sed tantum valde utile esse, ut illius, quem semper vivere, ac ubique esse credimus, nec tamen videtur, aut nobis apparet, memores simus. Ceteri loquuntur de imaginibus in pr. sensu à nobis exposito.

79. Quantum ad rationem, jam dictum fuit pingi posse res incorporeas, & quavis figura carentes. Augustinus vero approbat illam Senecæ sententiam, quia putabant, vel simulacra esse Deos, vel Deos similes esse simulacris.

Contra Christi imaginem efficiendam, illud tantummodo opponebant Iconomachi, non licere, quia cum Divinitas nulla figura exprimi possit, sola humanitas pingitur, & sic à Divinitate separatur. Huic objectioni jam respondit Epiphanius Diaconus act.6. nomine totius synodi dicens. *Cum Catholica Ecclesia Christum pingit humana figura, non dividit eum à Divinitate illi unita, magis autem deificatam illam credit, quemadmodum aliquis hominem dipingens, non inanimatum hominem facit, sed ille animatus manet, & imago, ipsius imago, ab eo quod illum imitetur, dicitur.* Ratio autem hujus est, quia sicut licet anima in se ipsa pingi non possit, attamen qui videt imaginem hominis depicti, recordatur etiam ejus dignitatis, & animæ, ita qui videt depictam Christi humanitatem in memoriam revocat etiam ipsius animam ac Divinitatem, perinde &c.

De Angelorum imaginibus nihil addendum censeo, cum ferme iisdem rationibus, quibus demonstratum est, Deum depingi posse, probetur etiam, posse Angelos, unice dicam quod de modo ipsos depingendi tradit S. Dionys. de cœlesti Hierarchia cap.2. *depingitur*, inquit, *Angelus juvenili ætate, ut robur ipsius, quod semper viget demonstretur, alis, ut ejus celeritas declaretur, in humana forma, quia sæpe ita apparuit, & quia hæc nobilior est.*

§. IV.

§. IV.

An statuæ, & imagines in veteri testamento fuerint prohibitæ.

80. Ex hujus resolutione magis patebit, quod num.76. dictum est, ut primo argumento responderemus. Non fuisse prohibitas statuas vel imagines sive rerum spiritualium sint, sive corporalium in antecedente demonstratum est, non prohiberi in lege evangelica, immo licitum ac utilem esse ipsarum cultum inferius ostendemus. Superest ergo inquiramus, an in lege veteri fuerit illi populo aliqua prohibitio à Deo imposita; in hac controversia dirimenda plures sunt, & maximæ notæ pro utraque parte Doctores. Non fuisse hanc prohibitionem, aperte insinuat Beda in libro de templo Salomonis cap.19. quod etiam indicat Jonas Aurelianensis lib.1. de cultu imaginum; sequuntur Burgensis in 2. additione ad Lyranum in verba Exodi cap.20. *Non facies tibi sculptile &c.* Walden. tom.3. cap.152. Cajet. in eadem Exodi verba, Alphonsus de Castro contra hæreses verbo, *Imago* hæresi prima, Pamelius, Turrianus; immo S. Th. qu.25. art.3. inquit ad 1. *Dicendum, quod non prohibetur illo præcepto facere quamcumque sculpturam, vel similitudinem, sed facere ad adorandum*; Unde subdit, *non adorabis ea, neque coles*. Ex quibus recte infertur, statuas & imagines absolute, & secundum se nequaquam Divino jure fuisse prohibitas.

In contrariam partem videntur inclinare Albert. in 3. dist.9. art.4. Bonavent. qu.2. art.1. Paludanus ibidem, Marsilius, Henricus, Catherinus, Sotus, Abulen. in cap.4. Deuteron. Ego utriusque sententiæ fundamenta proponam, ut inde quod probabilius existimabit, eligat sapientissimus Lector.

81. Pro sententia, negante hujusmodi prohibitionem, est argumentum, quo utitur Beda laudato loco de templo Solomon. cap.19. ad quod videntur cætera revocari, quæ proferri possent; ecce ipsius verba; in quibus & ratio continetur. *Sunt qui putent in lege Domini prohibitum, ne vel hominum, vel quorumlibet animalium, sive rerum similitudines sculpamus, aut depingamus in Ecclesia, vel alio quolibet loco, eo quod in Decalogo legis dixerit, non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in Cælis desuper, & quæ est in terris deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra, qui nequaquam hoc putarent; si vel Salomonis opus ad memoriam revocassent, qui & in templo intus palmas fecit, & Cherubim cum variis cælaturis in columnis illius malgranata, & rete, in mari quoque æneo duodecim boves, & sculpturas bistriatas; sed & in basibus laterum, sicut & in sequentibus legitur, Leones cum bobus, palmas, aves, & rotas cum Cherubim, & vario picturarum genere fecit; vel certe si ipsius Moysi opera considerassent, qui jubente Domino, & Cherubim prius in propitiatorio, & postea serpentem fecit æneum in eremo, cujus intuitu populus à verorum serpentium venenis salvaretur*. Jam vides per Salomonem facta fuisse sculptilia, & imagines, vides per ipsum Moysem, legis Divinæ promulgatorem, factum esse serpentem, & Cherubim, cur ergo dices, id absolute Dominum prohibuisse? dices igitur, Salomonem tunc, & Moysem in legem peccasse.

82. Secundo possunt sic argumentum exponere. Præcepta Decalogi sunt tantummodo decem, sed si prohibitum esset, imagines, & statuas facere, essent plusquam decem, siquidem primum fuisset, *Non habebis Deos alienos*. Secundum vero, *non facies tibi sculptile*. Nam duo fuissent peccata, unum *habere Deum alienum*, aliud, *facere sculptile*. Ergo à Deo prohibitum fuit sculptile ad adorandum, non vero ex se, & natura sua; & certe Salomon nunquam reprehensus fuit à Domino, quamvis sine aliquo Domini præcepto fecerit leunculos, & alia

alia hujuſmodi. Adde inſuper cum Cajetano, non dictum fuiſſe, non *facies ſculptile* ſed *non facies tibi* ideſt ut adores, & colas; præciſa igitur adoratione non erant prohibita ſimulacra, & imagines, & quidem adoratione debita Deo, ideſt latriæ, nam aliquo pacto figuras Cherubim fuiſſe licitum Judaico populo adorare, inſinuat Damaſcenus lib.4. de fide cap.17. ubi contra Iconomachos opponit conſuetudinem Judæorum, qui tabernaculum manu factum, quia erat rerum cœleſtium ſimilitudo, & Cherubinorum figuras, quæ erant in propitiatorio, adorabant, & ſic loquitur. *Si populus ille Cherubinorum figuras adorabat, cur Chriſtiani non poterunt imagines Dei, & Sanctorum venerari? Scriptura Divina eos, qui ſculptilia adorant, Dæmoniiſque victimas offerunt, inſectatur.*

83. Hiſce addere poſſumus. Imaginem Cæſaris apud Judæos fuiſſe receptam, Mat. ſiquidem 22. fecit ſibi Chriſtus oſtendi numiſma, & interrogavit, *cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?* reſponderunt autem; *Cæſaris*. In hunc locum optime ait Chryſoſtom. hom.70. *Tu autem cum audieris, redde, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, illa ſcito dicere eum ſolummodo, quæ in nullo pietati nocent, & quia ſi aliquid tale fuerit, non adhuc Cæſaris, ſed Diaboli vectigali tributum, quod tale eſt; imaginem Cæſaris non improbavit Chriſtus*. Profecto, ſi ſculptura hæc fuiſſet contra illud; *non facies tibi ſculptile*; prohibuiſſet ſtatim tanquam illicitum, unde Beda loco laudato c.10. *Si fuiſſet hoc lege vetitum*, inquit, *Dominus tentantibus Phariſæis de tributo Cæſari reddendo, in quo & imaginem Cæſaris impreſſam eſſe dicebant; nequaquam reſponderet, reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo; ſed potius corrigeret eorum errorem dicendo, non licet vobis in percuſſura auri, & argenti veſtri imaginem facere Cæſaris, quia talem ſculpturam lex Divina prohibet*.

Poſtremo dici poteſt, concedendo, non fuiſſe prohibitas Judæis ſecundum ſe imagines & ſtatuas, ſubtrahimus Hæreticis argumentum unum, quod nobis opponunt, videlicet, eas Domino olim fuiſſe odio & abominio.

84. Pro alia ſententia plura etiam momenta non deſunt, & pr. proponuntur ea, quæ ex gravioribus Hiſtoricis colligere poſſumus. Ex Joſepho Hebræo lib.1. contra Appionem de templi Jeroſolymitani deſcriptione inter alia hæc dicit *Simulacrum vero, aut aliquid anathema ibi nequaquam eſt*. Et Appioni opponenti Judæis, quod ſtatuas Imperatoribus non erigeret, reſpondit, *Potius eum debere admirari magnitudinem, modeſtiamque Romanorum, quoniam ſubjectos non cogunt, patria jura tranſcendere*. Erat igitur patrium jus ſtatuas non efficere. Cornelius Tacitus lib.5. Hiſtoriæ refert, *Judæos mente ſola, unumque numen intelligere, ac venerari, & profanum habere, imagines Deorum mortalibus materiis in ſpecies hominum effingere, ideoque nulla ſimulacra in eorum urbibus, & templis eſſe*. Hac de cauſa Lucan. lib.2. ait, *incerti Judæa Dei*. Appellat autem Deum incertum, quia nulla ſimilitudine, nec certo nomine Deum ſuum mente adorarent.

85. Neque deſunt plures Patres, qui idem tradiderunt. Origenes lib. 4. contra Celſum ferme ſub initio de Judæis hæc habet. *Apud quos nullum aliud numen erat receptum, quam Deus hujus rerum univerſitatis præſes, procul ablegatis omnibus ſimulacrorum opificibus, nam in Civitate eorum nullus pictor admittebatur, nullus ſtatuarius, legibus totum hoc genus arcentibus, ne qua occaſio præberetur hominibus craſſis, neve animi eorum à Dei cultu avocarentur*.

Hoc clare expoſuit etiam Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 22. poſtquam enim dixiſſet, Moyſen, & Eliam fuiſſe agnitos à Petro in transfiguratione loquentes cum Jeſu, nec prius ha-

habuisse Petrum aliquam eorum similitudinem, aut effigiem, rationem reddit hisce verbis. *Nec enim imagines eorum, vel statuas populus habuisset, lege prohibente.* Neque dici potest lege prohibitum esse, cultum latriæ imaginibus, tanquam diis præbere, nam Tertulliani ratio nulla esset, cum hoc lege naturali vetitum sit, & tamen hac non obstante tot sunt statuæ Regum, Principum, aliorumve, potuissent igitur etiam tunc esse effigies Ducum, ac insignium Prophetarum.

86. Præter Scripturam toties laudatam, *non facies tibi sculptile &c.* affert Pater Vasquez aliam rationem, nimirum, nunquam Deum se ipsum Judæis sub aliqua figura ostendisse, quod, ut ipse inquit, quilibet, mediocriter in Scripturis versatus, facile concedet. Hinc Absalon, qui, ut legitur 2. Reg. cap. 18. *Erexerat sibi, cum adhuc viveret titulum, qui est in Valle Regis vocavitque titulum nomine suo, & appellatur manus Absalom usque in hanc diem*, quem titulum fuisse statuam marmoream refert Josephus, legem transgressus est, teste eodem Josepho lib. 7. antiquitatum cap. 10.

87. Inter hæc utriusque partis momenta, si sententiam meam afferre licet, prior magis solida ac probabilis apparet. Omnia enim quæ superius adducta sunt, probant apud Judæos non fuisse simulacra & imagines ad adorandum per se, non vero ad alicujus rei ornatum, aut non fuisse ad repræsentandos insignes homines, non vero res cœlestes ac spirituales, aut etiam ad exprimendos falsos Deos, quibus plures Romani Imperatores adscribebantur; aliter historia Josephi est omnino falsa, cum ex Scriptura habeamus, in Salomonis templo id quod supra diximus juxta Bedam. Propter hoc admitti non potest quod ait Origenes, nam si nullus pictor, nullus statuarius in civitatibus eorum fuisset; quomodo servarentur ea, quæ de templo narrantur, & quomodo factus fuisset serpens æneus? Juxta priorem explicationem intellige etiam Tertullianum. Quomodo intelligenda sit Scriptura, jam dictum est. Quo pacto autem dicat eruditissimus Vasquez, nunquam Deum se Judæis sub aliqua figura ostendisse, non satis approbo, immo quilibet, in Scripturis mediocriter versatus, id negabit, ut constat ex iis, quæ diximus nu. 71. certe ipsi Moysi dictum fuit Ex. 33. *tollam manum meam, & videbis posteriora mea &c.* Quod de Absalone refertur, probat contra Originem, qui dixerat, nullum in eorum Civitate esse statuarium; si autem contra legem fecit, hoc fortasse dixit Josephus, quia alio titulo ipse peccaverit, facile superbia, vel inani gloria, quodlibet enim peccatum contra legem est.

88. Sed quod magis miror, illud est, quod cum laudatus, & vere laudandus Doctor totis viribus contendat, à lege prohibitas esse statuas ac imagines, ipse postea tandem quæst. 25. disp. 104. cap. 6. num. 33. concedit, lege prohibitas esse statuas & imagines in statu aliquo & modo accommodato cuicumque adorationi, non vero si sit ornamentum, & aliqua velut appendix alicujus operis, quales erant Cherubim obumbrantes alis suis propitiatorium. Quid bone Deus contendit prior sententia præter hoc? non enim agimus de cultu erga statuas & imagines licito, vel prohibito, sed de ipsis statuis, & imaginibus.

§. V.

An licitum sit statuas, & imagines in Templis collocare.

89. ETSI unica inquisitione omnia resolvi possent, proponendo, utrum licitum sit, statuas ac imagines venerari, hoc enim probato, statim ipsas in templis collocare licitum esse, demonstraretur, attamen, ut res clarius ac distinctius peragatur, titulum illum exposui. Controversia est inter Catholicos

licos, & Calvinum, qui hoc accerrime negat lib. 1. instit. cap. 11.

Primum ipsius argumentum est, quia per quinque priora sæcula in Christianorum templis nulla imago fuit.

In hoc Calvinum fuisse insipientem, ac mendacem, ostendo. Tertullianus in lib. de pudicitia cap. 7. refert, in calicibus fuisse imaginem Christi, adinstar Pastoris humeris suis ovem portantis, ut ostenderet, nullum esse peccatum, quod per pœnitentiam expiari non posset, quod negabant illius temporis hæretici, porro calices in templis erant, at si hoc licebat in calicibus, cur non in templis? Eusebius lib. 3. & 4. de vita Constantini narrat, in templis ab ipso in Palæstina extructis positas fuisse plures imagines aureas, & argenteas, & Damasus in vita Sylvestri scribit, ab eodem Constantino, in loco prope Ecclesiam Lateranensem, in quo sacris undis aspersus fuerat, imaginem auream agni, & Joannis Baptistæ digito demonstrantis illum, collocasse, in ipsa vero Basilica imagines duodecim Apostolorum argenteas erexisse. Sozomenus lib. 5. cap. 20. testatur, statuam illam, quam Mulier à fluxu sanguinis per Christum liberata elaborari curaverat, magna solemnitate fuisse in templum à Christianis translatam. Legat insuper Calvinus Patres, qui ante sæculum quintum floruerunt; inveniet apud Nazianzenum epist. 49. ad Olympium, ubi conqueritur, quod Civitas Diocœsariensis, in qua ipse templum exornaverat, foret destruenda, hæc verba. *Neque enim si statuæ dejiciantur, hoc nos excruciat, etiamsi alioquin excruciat &c.* erant igitur in illo templo statuæ; inveniet apud Basilium in oratione pro Sancto Barlaam, se gratulari, quod melius pictores ejusdem manum pro Christo combustam coloribus expresserant, quam ipse oratione descripserit sua. *Ab eo*, inquit, *fortium Martyris factorum pictura à vobis superatus; Gaudeo tali vestræ fortitudinis victoria hodie victus; Video manum ad ignem Jactam exactius à vobis descriptam. Video luctatorem in vestra imagine illustrius depictum.* Inveniet apud Chrysostomum in ejus missa fuisse hunc ritum. *Sacerdos*, sic legitur, *egreditur e parvo ostio portans Evangelium præcedente Ministro cum lucerna, & conversus ad Christi imaginem inter duo ostia &c.* erat igitur ibi imago Christi. Prudentius vero de Sancto Hyppolito scribit

Picta super tumulum species liquidis viget umbris
Effigians tracti membra cruenta viri.

Tandem, ut præteream Gregorium Nyssenum oratione pro Theodoro; Evodium lib. 2. de miraculis S. Stephani, Augustinum lib. 1. de consensu Evangelistarum cap. 10. Gregor. lib. 9. epistolarum epist. 9., ad quos mitto Calvinum, ut minus ignavus fiat, & minus impius, affero Adrianum I. qui in libro de imaginibus circa finem fatetur, Sylvestrum, Damasum, Celestinum, Sixtum, Leonem, aliosque Pontifices, qui certe fuerunt ante sæculum quintum, statuis & picturis templa exornasse. Primum igitur argumentum ipsius, non argumentum est, sed mendacium.

90. Opponit secundo canonem 36. Concilii Eliberitani, ubi sic statuitur. *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, & adoratur in parietibus depingatur.*

Si hoc Calvinus velit, in se ipsum pugnat, etenim in secunda parte hujusce decreti pro certo tenetur, imagines esse colendas & adorandas, quod ipse pernegat. Miror tamen Concilii hujus auctoritatem ab ipso produci, cum can. 26. indixerit jejunium omni Sabbatho, & can. 33. prohibuerit usum mulierum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, quæ omnia Calviniani, aliique adeo execrantur.

Verum Concilium illud exponamus. Plures ex recentioribus asserunt, Concilium illud legitimum non fuisse, nec

nec alicujus authoritatis, cum fuerit tantum Provinciale 119. Episcoporum, nec ab aliquo Summo Pontifice confirmatum, & quemadmodum in aliis erravit, ita etiam in hoc, erravit autem præsertim in eo, quod Sacramentum Pœnitentiæ in extrema necessitate alicui propter gravia quædam crimina negandum esse, præscripserit.

Aliqui etiam eorum Canonum, qui nomine illius Concilii circumferuntur, authoritatem negant, cum velint Canones illos fuisse suppositios, & singillatim Canonem à Calvino productum; si enim fuisset revera à Concilio editus, Claudius Hispanus præcipuus inter Iconoclastas, illum pro se ipso protulisset, fieri enim non poterat, virum Hispanum latuisse id, quod suo tempore & in Hispania factum erat, non protulit tamen, ergo.

Aliter exponit Alanus Copus Dialog.5. cap.16. id, videlicet à Concilio pro tempore & loco convenientissime factum fuisse, tunc enim erat imminens Gentilium persecutio, immo perseverabat, cum fuerit ante Nicenum primum, quare ne imagines sanctorum, in templis positæ, ipsorum ludibrio forent expositæ, ideo statuit, picturas in Ecclesia esse non debere. Celebratum autem fuisse ante Concilium Nicenum colligitur ex ipsius Can.25. ubi fit mentio litterarum, quæ à Confessoribus fidei dabantur ad Episcopos in alicujus commendationem, tunc enim erat consuetudo, ut qui fidem in persequtione confitebantur, scriberent ad Episcopos pro lapsis; tum etiam ex Can.59. ubi cautum est, ne quis Christianus sacrificandi causa in Capitolium ascenderet.

Alii tandem existimant, prohibitum esse imagines depingi in Ecclesiæ parietibus, propter majorem imaginum decentiam, quia, in parietibus facillime corrumpuntur, vel parietum humore, vel aliis sordibus fœdantur, vel alio quoquo modo, quod non contingit, si serventur in tabulis, aut in alterius materiæ sculptura; atque hanc fuisse Concilii mentem, deprehenditur ex ratione, quæ ibi affertur, *Ne quod colitur, & adoratur in parietibus depingatur*. Atque etiam ex usu, qui adhuc in Hispania viget, nam, ut testatur Vasqu. plurima templa ibi tabulis depictis, ac statuis exornata conspiciuntur, vix vero imago S. Christophori in pariete, & alia Beatissimæ Virginis in majori Ecclesia Hispalensi suo tempore depicta servabatur. Vides igitur ex Concilio Eliberitano argumentum esse pro Catholicis, non pro Calvinianis.

91. Tertio opponit ex Epiphanio, & Augustino. Primus etenim in ep. ad Joan. Episcopum Jerosolymitanum sic scribit. *Cum vidissem lucernam ardentem, inveni velum pendens in foribus ejusdem Ecclesiæ tinctum, atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cujusdam; cum ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi, contra authoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi Consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent*. Secundus vero in ep.49. hæc habet. *Cum his sedibus collocantur in honorabili sublimitate, ut à precantibus, atque immolantibus attendantur, ipsa similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quamvis sensu, & anima careant, afficiunt infirmos animos, ut vivere, ac spirare videantur*, & in ps.113. *Plus valent simulacra ad curuandam infelicem animam, quod os, oculos, aures, & pedes habent, quam ad erigendam, quod non loquantur, neque vident, neque audiunt, neque ambulant*. Ibi etiam fatetur in Ecclesiis Christianorum esse vasa aurea & argentea, sed non hujusmodi, ut os habeant & non loquantur.

92. Si dicerem, verba Epiphanii ipsius non fuisse, sed inserta ab Hæreticis, primum illud argumentum prorsus corrueret; hoc autem videtur rationabili modo dici posse, ut revera dicunt Alanus Copus Dial.5. cap.21. &

San-

Sanderus lib.2. de imagin. cap.4. quibus adhæret Bellarm. lib.2. cap.9. de imagin. sanct. horum ratio multiplex est; Pr. quia, verba epistolæ adjecta fuerunt epistolæ, quæ jam suum finem acceperat. Secundo quia, cum Hæretici alia testimonia Epiphanii contra imaginum usum produxissent, nunquam locum hunc opposuerunt in septima Synodo generali vera; dico *vera*, nam & fuit septima Synodus falsa; Tertio quia; modus dicendi in fine illius epistolæ omnino discrepat ab alio, qui in eadem legitur. Quarto quia, Epiphan. Diaconus in septima Synodo act.6. demonstrat, alia duo loca Epiphanii producta esse quæ tamen omnino conficta fuerunt. Utrum hæc vera sint, nec affirmare, nec negare placet; jam satis dixi, cum dixerim, hoc rationabili modo dici posse. Non me latet, responsionem hanc aliquibus non placere, nec me fugiunt momenta, propter quæ non placet, sed consultius est, aliiqua animo habere, quam calamo exprimere. Hanc tamen esse communiorem, ac veriorem responsionem censet inter alios Bellarminus.

93. Thomas vero Waldensis existimat, hoc dictum, & factum ab Epiphanio fuisse propter hæresim Antropomorphitarum, quæ tunc temporis erat, qui Deum depingi posse, ac debere affirmabant, quia illum corporeum asserebant, quare, nt magis huic errori se opponeret, picturas omnes scindendas esse merito putabat, & in hoc sensu dixit, imaginem illam contra authoritatem Scripturæ se vidisse pendere, dubitare etenim poterat, per illam hominis figuram, quam dixit, se ignorare, an Christi esset, vel sancti cujusdam, Deum homines intelligere posse, & sic magis in suo errore confirmari, quod enim secundum se bonum est, aliquando ex occasione fieri potest malum, & nunc etiam, si ex imaginibus sanctorum scandalum aliquod oriri merito posset, tollerentur, ideo dicit, & jubet Concilium Tridentinum sess.25. in hac re erudiendum esse populum, *& ita, ut nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur*. Hanc existimo, mentem & zelum Epiphanii fuisse.

94. Neque contra hoc satis est illud afferre, quod S. Gregorius Papa scribit ad Serenum lib. 7. epist. 109. & lib. 9. epist.9. nimirum, non debuisse imagines confringere, sed populum ab adoratione idololatriæ revocare cum hoc nunquam factum fuisse in Ecclesia legatur, atque ideo S. Epiphanium velum illud non conscidisse ex motivo à nobis superius adducto; etenim in primis, si verum est, quod scribit Gregorius, nunquam factum fuisse, quod fecit Serenus, vera est responsio data num. 92. deinde aliud est loqui de pluribus imaginibus in Ecclesia, aliud de unica tantum extra Ecclesiam; Præterea, in causa Sereni erat idololatriæ periculum, non erat hæresis manifesta conjuncta idololatriæ, sicut in causa Epiphanii. Tandem, si dicas, id nimio zelo, & non juxta scientiam, actum esse ab Epiphanio, nihil incongrui dicees. Sicut ex nimio zelo id factum esse à Sereno asserit S.Gregorius epistola laudata. Verum teneat responsio à nobis exposita, præsertim, cum dicat ibi Epiphanius, illud esse contra auctoritatem Scripturæ, constat autem, Scripturam tantum imagines prohibere tanquam objectum idololatriæ, ut supra ostensum est.

95. Si vero hæc tibi prorsus non placeant, accipe expositionem Mariani Victorini in annotatione illius epistolæ in secundo Hieronymi tomo; Existimavit iste, id factum esse ab Epiphanio, quia imago illa non esset Christi, vel cujusdam Sancti, sed hominis alicujus profani, qui esset dipictus quasi Christus, vel aliquis Sanctus, ideo dixit, *habens imaginem quasi Christi, vel cujusdam Sancti*, ita ut ipsi honor deferretur, tanquam si esset Christus, vel Sanctus. Non immerito hoc dici potest; primo, quia

post

post adducta verba, subduntur hæc alia, (Ecce unum, cur dici posset, epistolæ Epiphanii fuisse addita plura verba) *Illi contra murmurantes dixerunt, si scindere voluerat, justum erat, ut aliud daret velum, & mutaret.* Quibus auditis, aliud se daturum promisit Epiphanius, & statim acquieverunt; quod profecto non evenisset, si populus, veram Christi, aut Sancti alicujus colens imaginem, Epiphanium agnovisset Iconomachorum parti adhærere, quod tamen nullus, neque ipse Joannes Jerosolymitanus, contra quem scribebat, ipsi unquam objecit. Secundo quia nunquam Iconomachorum patroni, aut fautores Epiphanium pro se protulerunt, nec in septima Synodo aliqua Epiphanii mentio in hac re facta est; Porro, si conscidisset absque alia causa, præter eam, quam num.93. indicavimus, imaginem Christi, vel alicujus Sancti, maximum pro Iconomachis fuisset argumentum; Tandem; si ex hoc colligere possent hæretici, imaginum hostem eum fuisse, quare, eo defuncto, discipuli ejus imaginem ipsius in templo posuissent, & tamen posuisse, testatur septima Synodus act.6., & Damasc. orat. 1. de imaginibus num.20. Constat ergo ex Epiphanii epistola nihil prorsus pro hæreticis evinci.

96. Sed neque ex Augustino; ibi siquidem sermonem habet præclarissimus Doctor de idolis, in quibus gentiles putabant aliquid Divini latere, & ideo ipsis honorem deferebant, atque tanquam Diis sacrificabant, quando autem in mente est hujusmodi error, illa membrorum similitudo multam vim habet ad animos commovendos, tanquam si viverent, ac viderent; Error iste non est in nobis catholicis, ideo nihil pertimescendum, quo curventur animæ, ac male afficiantur; de illis igitur loquitur, de quibus Propheta, *oculos habent & non videbunt, aures habent, & non audient, aures habent, & non odorabunt &c.* atque hoc pacto in vasis aureis, & argenteis, quæ sunt in Ecclesia, non sunt figuræ, quæ os habent, & non loquantur, cum repræsentent eos, qui os habent, & loquuntur, ut sunt Christus, & Sancti. Verum pro catholico dogmate jam Augustinum, aliosque Patres protulimus.

97. Quarto opponitur, quia templorum institutio ideo facta fuit, ut in ipsis collocarentur imagines vivæ, quales sunt baptismus, per quem significatur interna sanctificatio, & sacra cœna, idest Eucharistia, quæ est imago corporis Christi, non igitur in illis collocandæ sunt imagines mortuæ; atque hoc factum est à veris Christi sectatoribus, quorum precibus, ut refert Ælius Lampridius in vita Alexandri Imperatoris, Adrianus Imperator templa præcepit extrui sine simulacris.

98. Resp. templa instituta esse & pro imaginibus vivis, & mortuis, nec enim istæ sunt illis contrariæ, sed per mortuas in vivarum cognitionem pertrahimur. In objectione tamen sua Calvinus in alium errorem incidit, sed jam novi suum esse, dum dicit, Eucharistiam esse imaginem vivam corporis Christi, nam est ipsum corpus Christi, de quo in proprio tractatu. Præterea etiam, imagines Sanctorum nequaquam mortuæ appellari possunt, etenim imaginis vita est repræsentatio, imagines igitur Sanctorum Sanctos repræsentantes non sunt mortuæ; Illæ mortuæ sunt, quæ quod non est, nobis exhibent, tanquam esset, quemadmodum erant idola gentium.

Ad factum Adriani, dico, ipsum Christianorum precibus ædificari fecisse templa sine simulacris, quæ se haberent ut idola. Cum enim Christiani orare nollent in templis Gentilium, quæ plena idolis erant, Imperatoris jussu extructæ sunt Ecclesiæ sine hujusmodi Simulacris, non vero sine aliquibus imaginibus. Hanc explicationem colligo ex ejusdem Lampridii historia, dicit enim, *sine numine templa fuisse erecta* imago autem non est numen, nisi pro ali-

aliquo ex falsis diis adoranda proponatur.

§. VI.

An imagines Christi, & Sanctorum sint adorandæ.

99. NON eodem modo de imaginibus Christi, & Sanctorum senserunt hæretici, sed juxta Damascenum in libro de hæresib. prope finem duos extremos eorum errores recenseo. Aliqui dicebant, hisce imaginibus cultum Divinum deferendum esse, atque isti appellati sunt Christianocategori, eo quod, cum Christiani nullum alium, præter Deum, latriç cultu prosequantur, illi cultum hunc etiam erga imagines Christi, Beatæ Virginis, ac Sanctorum, sive Angelorum, sive hominum impendebant. Contra hos nihil à nobis dicendum est, cum iisdem argumentis refellantur, quibus rejicitur idololatria. Aliqui omnino contrarium docebant, ita ut nullus penitus cultus foret in imagines exercendus, atque isti iconomachi, seu inconoclastæ dicti sunt, de quibus in superioribus, quamvis & isti non eodem modo se gesserint, nam alii severius, alii mitius, omnes tamen erronee. Siquidem Calvinistæ illas in domibus permittunt, non tamen in templis, Lutherani etiam in templis, non ut colantur, sed ut per illas templa exornentur, tempore vero septimæ Synodi, quidam fuerunt, qui non solum ad templorum ornatum illas collocarent, sed etiam ad excitandam exemplaris memoriam, quin tamen aliquod honoris signum ipsis exhiberetur, de quibus Epiphanius Diaconus in septima Synodo act. 6. dixit, esse semiprobos, ac falsiveros.

100. Essent hic etiam afferendæ aliquæ catholicorum sententiæ, quæ circa imaginum cultum plura diversa tradiderunt, sed cum in hæreticos tantum res nostra agenda sit, libenter omittimus, ne fortasse alicui Doctori catholico hæresis suspicionem ingeramus, aut notam.

Dicendum est, imagines Christi, & Sanctorum adorandas esse. Hoc probandum statuo per Scripturas, per Concilia, per Patres, per rationem.

Aliqui ex Scripturis id probaturi afferunt imagines Cherubim propitiatorii, qui utpote super arcam existentes, ut legitur Ex.25. ab iis adorabantur, qui arcam adorabant, & serpentem æneum erectum à Moyse, in quem respicientes Hebræi sanabantur. Sed quia hoc à pluribus Theologis negatur, ut vidimus §.4. ideo, has omittendas esse, judicamus.

Melius arbitratu meo ostendi id potest, quod rebus etiam anima carentibus tributus fuit cultus adorationis, quis enim ignorat, ps.98. dictum fuisse, *adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*, & ps.131. *Adoravimus in loco, ubi steterunt pedes ejus?* Optime etiam noverunt omnes legi Mat.5. *Nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus*. Constat autem juramentum esse actum religionis, quo præcipue Deo defertur honor, deinde rei, per quam juramentum fit, si ergo sine requisitis circumstantiis per cœlum, & terram juratur, cœlo, terræque fit injuria propter relationem quam habent ad Deum, ergo etiam, si Sanctorum imagines contemnerentur, injuria fieret Sanctis propter relationem, quam habent ad Sanctos. Sed clarius nihil in hac re afferri potest, quam cultus ille, qui in lege veteri præbebatur arcæ, quæ tam reverenter portabatur, & propter quam percussus fuit Oza 2 Regum 6. quia eam, cum Sacerdos non esset, ausus est tangere, ut exponitur inter cœteros penes Augustinum lib. 1. de mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 14., & propter quam 1.Regum 6. plures ex Bethsamitis interierunt, quia sine debito cultu ipsam curiosius aspicere voluerunt; si autem rebus istis, utique sine anima, cultus

tus deferendus erat, non alio quidem titulo, quam in eorum honorem, ad quę referebantur, quo pacto negari poterit, etiam imaginibus deferendum in eorum honorem, quos nobis repræsentant?

101. Ex Conciliis, quæ hanc nostram veritatem docuerunt, plura in medium afferri possent. Est canon 82. sextæ Synodi, cujus verba recitavimus §. 3. num. 74. Est Concilium Romanum sub Gregorio III. ut refert Sigibertus in Chronico ad annum 733. in quo fere Episcopos mille congregatos affirmat. Est Synodus sub Pipino Francorum Rege coacta in Villa Gentiliacensi, in qua determinaretur contentio de Trinitate inter græcos, & latinos, & in ea imaginum adoratio est statuta. Narrant hoc de Francorum gestis Regino in suis chronicis ad an. 766. Ado Vien. Paulus Æmilius, aliique. Est & aliud Concilium Romanum sub Stephano III. in eandem rem sub anno 768., cujus meminit Blondus æneade 2. lib. 1. nec non Sabellicus æneade 8. lib. 8. quamvis hic Scriptor non Stephano, sed Paulo I. illud tribuat. Sed hæc omnia prætereamus; & nobis sufficiat Concilium Nicænum 2., idest septima Synodus; cujus definitio act. 7. hisce verbis continetur. *Statuimus cum omni cura, & diligentia, similiter ac sanctæ Crucis, & vivificæ figuram, venerandas, & sanctas imagines palam proponi, quæ coloribus, tessellisve constant, aut alia quavis idonea materia in sanctis Dei Ecclesiis, in sacris vasis, ac vestibus, nec non parietibus, & tabulis, ædibus, ac viis: nempe tum Domini, ac Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi imagines: tum incontaminatæ Dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitricis, necnon honorabilium Angelorum; ac Sanctorum omnium, & piorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginatam expressionem videntur, tanto magis qui illas intuentur ad prototyporum recordationem, & desiderium incitantur, & ut ipsis osculum, & honorariam adorationem deferant, non tamen verum, secundum fidem nostram, latriæ cultum, qui soli Divinæ naturæ convenit: sed eodem modo venerentur, quo figuram pretiosæ, ac vivificæ Crucis, & sancta Evangelia, ac cætera sacra donaria, tum & lumina ad illas honorandas, adhibeantur, quæ fuit antiquorum religiosa consuetudo.* Placuit hæc omnia proferre, nam in uno, vel altero verbo omnia explicantur, quæ nos Catholici ex antiqua consuetudine defendimus, & omnia evelluntur, quæ solent hæretici nobis opponere, ut constat, si ea perpendantur.

102. An dubitare possunt, Concilium hoc fuisse legitimum? Falluntur. Legant Paulum Diaconum, Cedrenum, Zonaram, post annum 788., nec non Photium in epist. ad Michaelem Bulgarorum Principem, cum Sandero lib. 2. de imagin. cap. 5. Quid huic Concilio defuit? Adfuerunt Legati Pontificis Romani, & trium Patriarcharum, Alexandrini, Antiocheni, Jerosolymitani, quinimmo ipse Patriarcha Constantinopolitanus, ut patet ex subscriptionibus. Adfuerunt Episcopi 350. juxta Cedrenum, & Sigibertum; 367. juxta Photium; & consensum dedit, si velint hunc necessarium esse, Imperator Constantinus. Si vero reponunt, contrarium huic Concilio fuisse aliud Constantinopolitanum prius, & Francofordiense posterius, de hac re infra dicemus.

103. Ex his videant, quam merito Concil. Tridentinum statuerit sess. 25. quod ibi legitur, ubi etiam paucis verbis, sed disertissimis, modum exponit, & substantiam decernit, regulasque tradit, ne & cultus imaginibus subtrahatur, nec, plusquam par est, illis cultus exhibeatur.

104. Exposita definitione Nicæni Concilii secundi satis etiam ex Patribus probata remaneret assertio nostra, etenim in sex prioribus actionibus plurima Patrum testimonia congessit, propter quæ hujusmodi veritatem stabilivit; juvat tamen aliquos producere, ut inde cla-

clarius appareat quod diximus. Basilius contra Julianum, ut affert Adrianus in epist. ad Imperatores, inquit. *Historias imaginum illorum honoro, & palam adoro, hoc enim nobis traditum à Sanctis Apostolis, non est prohibendum*. Ambrosius oratione de obitu Theodosii ait: *Sapienter Helena egit, quæ crucem Christi in capite Regum levavit, & locavit ut crux Christi in Regibus adoretur*. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 10. loquens de sacris signis, ut sunt imagines, asserit, ea honorari ab hominibus, quia nota sunt, & affert exemplum serpentis ænei, & lib. 3. de doct. Christiana cap. 9. dicit, illos servire signis, qui honorem deferunt utilibus signis, hujusmodi autem esse imagines Christi, & Sanctorum ostendit lib. 2. cap. 25. ubi probans, picturas, & statuas esse superflua hominum instituta, eas excipit, quæ ob finem bonum proponuntur ab eo, qui habet auctoritatem. Generatim loquendo docent Patres, imaginis, & prototypi unam esse adorationem; Unde Ambrosius serm. 10. in psal. 118. inquit. *Qui imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit, & qui statuam contempserit Imperatori utique fecisse videtur injuriam*. Sic igitur in casu, qui imagines Sanctorum honorat, Sanctos honorat qui illas contemnit, contemnit istos. Non tamen dico propterea, unam esse adorationem absolute. Certum enim est, majorem fieri injuriam imperatori, si fiat in ejus personam, quam si fiat in ejus imaginem. Tunc hoc contingit, quando imago est ejusdem substantiæ, ut est Verbum Divinum, quod dicitur imago Patris.

105. Cum vero dictum fuerit juxta Augustinum, imagines esse utilia signa, paucis hic exponere possem unum vel alterum beneficium hominibus propter imaginum adorationem à Deo collatum; satis tamen exposui ubi de herba illa, juxta Eusebii historiam, quæ ad statuam Christi ab Hemorroissa positam apud Paneadem orta fuerat, ac excreverat, dictum fuit. Potius deveniendum esset ad quædam mirabilia, quæ de statuis, ac sanctorum imaginibus frequenter in historiis leguntur.

Devenirem sane nisi ipsi Hæretici hæc concederent, & tamen propter hæc, statuas, ac imagines, adorandas esse, irent inficias. Quid enim, miracula afferre, quæ per illas operatus est Deus? nunquid adoratione sunt dignæ? minime. Per Jordanis aquas Naamam lepra ab Heliseo curata est; per lutum cum sputo cæco visio est restituta; adoretur igitur aqua, adoretur sputum; immo & adorentur homines mali, per quos Deus multa fecit prodigia.

Sed ita dicentes non animadvertunt finem, cujus gratia miracula patrata sunt, Eliseus & Christus non adhibuerunt aquam, vel sputum, ut aquæ ac sputo honorem deferrent, sed tantum, ut primus se Dei Prophetam esse demonstraret, Christus vero se esse Filium Dei, sicut & per homines malos fiunt miracula, attamen ad veritatem aliquam comprobandam, e contrario miracula, per imagines facta, fuerunt ad contestandum cultum imaginibus debitum. Non alio pacto illud evenisse credi debet, cum Juliani statua, amota illa Christi, in igne de Cœlo cadente consumpta fuit, ut narrat Sozomen. lib. 5. Historiæ cap. 20. & si hoc alteri causæ tribuere velint, esto, sed quid dicent de illa Christi imagine à Judæis percusa, ex qua sanguis, quo plurimi infirmi curati sunt, exivit, ut referunt Athanas. lib. de passione imaginis Christi Gregor. Turonen. de gloria Martyr. cap. 21. Regin. in Chronico an. 804. non alia certe de causa id actum est, quam ad illam imaginem honorandam, quam tot contumeliis Judæi deturpaverant. Cæterum redeundo ad aquam Jordanis, qua Naamam curatus est, & ad lutum, quo cæcus visum recepit, dico, quod si apud nos essent, ipsis

adoratio foret præstanda; hoc autem absolute non fit aut aquæ, aut luto, sicut nec clavis, aut lanceis propter rationem expositam de Crucis effigie num.46.

106. Ut vero quod dicimus aliqua etiam ratione probemus, plura subdere non prohibemur; alicujus imago capax est injuriæ, & contemptus, erit igitur capax etiam honoris & cultus. Si illud verum sit, attendantur ea, quæ ab Historia, & scriptoribus accepimus; notum est, quod reperitur apud Theodoretum lib.5. cap.19. & Chrysost.2. & 3. oratione ad populum Antiochenum, nempe Theodosium, etsi religiosissimum Principem, adeo in Antiochenos Cives propter imaginem uxoris ejus dejectam ira exarsisse, ut Antiochenam Urbem penitus evertere ferme decreverat. Hac de re in Maximini dedecus ejus imagines aut discerptæ, aut fœdatæ fuerunt, ut scribit Euseb. lib.9. Historiæ cap.10. quod & de imaginibus Domitiani refert Svetonius. Prætera; quando prototypo debitus est cultus civilis, hujusmodi cultus debitus est etiam imagini, ut patet in Rege, & Regis imagine, ergo quando prototypo debitus est cultus sacer, hujusmodi cultus debitus erit etiam imagini, atqui sanctis debitus est cultus sacer, ut in proprio loco probavimus, ergo: denique; si scripturis, Conciliis, Patribus, rationibus nolint convinci, convincerentur utinam Hæretici timore; videant, & serio cogitent infelicissimum eorum exitum, qui se sanctorum imaginibus hostes declararunt; quid Leoni Isaurico, quid Constantino Copronymo acciderit, satis narrant Paulus Diaconus, Palmerius, Zonara; habebunt illi Iconomachorum Principes socios in pœna, temporaneæ etiam, quos habent socios in culpa.

§. VII.

Iconomachorum argumenta solvuntur.

107. SI quæ contra Catholicos Hæretici proferunt paucis verbis à me refelli flagitares, id tibi profecto præstarem, dicendo, non esse sanctorum imaginibus impendendum latriæ cultum; quia tamen existimo votis tuis annuere, si, quæ ipsi opponunt, clare distincteque producam, ideo à me libenter fieri pro certo teneas.

Atque in primis responsionem Catholicorum nullam esse, probat Calvinus lib. 1. institutionum cap. 11. §. 9. & 10. dicens, neque Judæos, neque Gentiles statuas & imagines cultu latriæ prosequutos esse, & tamen adorando peccasse. *Nec tam incogitantes erant Judæi, ut non meminissent Deum esse, qui eos eduxerat de terra AEgypti.* Inquit Hæreticus. Sed si res ita esset falsitatis arguatur Scriptura Sacra, quæ Deuter.32. ait. *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Ps.105. *fecerunt vitulum in Horeb. & adoraverunt sculptile, & obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in AEgypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Quibus similes centum textus afferri possent; vere igitur tunc Judæi peccato idololatriæ infecti sunt; atque hac ratione vitulum potius fecerunt, quam ovem, aut canem, aut quid aliud, quia viderant in Ægypto magnum Deum Ægyptiorum, qui erat vitulus, ab ipsis *Apitu* vocatus. Cur etiam inquit Elias 3. Reg. cap.18. *Ut quid claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus, sequimini eum, si Baal est Deus, sequimini eum.* Si Judæi Baal Deum verum adorabant? Mendax igitur est Calvinus in suo primo dicto.

108. Mendax etiam in secundo dicens ibidem; *Nec ita stupidi fuisse ethnici credendi sunt, ut non intelligerent, Deum alium esse, quam ligna, & lapides.*

des. Siquidem Danielis 5. legitur. *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos, æreos, ligneosque, & lapideos*. Quod si res ita non esset, cur Prophetæ adeo laborassent, ut suaderent ethnicorum simulacra Deos non esse, ut legitur Isaiæ 46. ps. 113. Habac. 2. & alibi? stupidi profecto isti fuissent, contendentes refellere quod ab ethnicis non credebatur; stupidus etiam fuisset Paulus de quo ipsi ethnici act. 19. dicebant, *Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens, quoniam non sunt Dii, qui manibus fiunt*. Hoc concludat, ut prætaream Augustin. lib. 3. de Doctrina Christ. cap. 7. Tertullianum in Apologet. cap. 12. Euseb. lib. 5. de præparat. cap. 15. Arnobius lib. 1. contra Gentes qui ita de se loquitur. *Venerabar, o cæcitas, nuper simulacra ex fornacibus prompta, in incudibus Deos & ex malleis fabricatos; tanquam si inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam, Deos esse credebam ligna, lapides, ossa aut in hujusmodi rerum habitare materia*. Verum de hisce Calvini mendaciis satis, & pudet ea referre, quæ ipse adducit ut sua mendacia probet.

109. Arguit secundo loco ex Patrum testimoniis. Primo Irenæus lib. 1. cap. 24. in fine, erroris damnat Carpocratem, & Gnosticos, quod quasdam Crucifixi servarent imagines, ac illis coronas imponerent; quid autem aliud fit à Catholicis? videbis coronam in capite, anulos in digitis, torques in collo, pretiosisque vestibus totum corpus obtectum, atque per vias, luminibus pluribus præcedentibus, deductas imagines. Hieronym. in cap. 3. Danielis, *Cultores* inquit *Dei imagines adorare non debent* atque idem docet Gregorius lib. 7. epist. 54. & 109. aliisque in locis. Quid denique dicit Jonas Aurelianensis lib. 1. de adorat. imagin. respondens Claudio Taurinensi Episcopo, qui opponebat, cultum imaginum in testamento veteri fuisse prohibitum? præter alia, hæc sunt ejusdem verba. *Sinantur à te imagines Sanctorum, non ut adorentur, sed, ut quamdam pulchritudinem reddant, & quarumdam præteritarum rerum memoriam sensibus Imperitorum ingerant, in Ecclesiis dipingi, Creaturam vero adorari, eique aliquid Divinæ servitutis impendi nefas dicimus*.

110. Unico verbo hæc omnia proteruntur, si quemadmodum, Scripturas rejicientes imaginibus cultum, etiam Patres explicemus; sicut revera explicandi sunt; Si errorem Gnosticorum, & Carpocratis aliquem non latet, quam merito id dixerit Irenæus, statim compertum fiet. Solebat Carpocrates, inter alias Philosophorum imagines, illam etiam Christi servare, atque more Gentilium colere, ut notat Epiphanius hæresi 27. Huic, sicut illis sacrificium offerebant; hoc unum Christi imaginem illis comparare nefas erat, & crimen; quid igitur mirum, si ab Irenæo reprobentur? quod Catholici faciunt convenienter faciunt, nec Deum miscent, vel Christum, vel Sanctos; unicuique reddunt quod suum est, omnemque cultum ad Deum referunt, in sanctorum imaginibus adorantes sanctos, in sanctis Deum, à quo sanctorum virtus, & excellentia progressa est; ex rivulis bibunt, sed in rivulorum aquis uberrimum, perennem, Divinum fontem agnoscunt.

Hieronymum exponit Sixtus Senensis lib. 5. Bibliot. annot. 247. ibi loquutum esse de statuis & imaginibus, quas Gentes suis Regibus erigebant, qualis illa fuit Nabuchodonosor Dan. 4. Has, quis ex Catholicis dicet, adorandas esse? renuerunt adorationem exhibere tres pueri, renuimus nos omnes. Fac Reges esse sanctos, illorum imagines ac statuas adorabimus. De S. Gregor. dictum est satis, reprehendit enim, & damnat cultum superstitiosum, quo imagines habeantur pro Diis. Quod additur de Jona Aurelianensi parum interest, ipsis enim impendendum esse

religiosum cultum, constat ex aliis, quæ in eo libro subduntur, rejicitur tantum adoratio, quæ in signum Divinæ excellentiæ profertur, &, quemadmodum ab inimicis solemus minima petere, & expectare, sic dixit Claudio, ut imagines sanctorum sineret, si nollet, ut revera nolebat, ut adorarentur, saltem ut pulchritudinem redderent, & præteritarum rerum memoriam excitarent.

111. Arguit tertio loco ex periculo, quod in imaginum cultu irrepere potest, ita ut putent homines imagini, seu statuæ Divinitatem affixam esse; & revera, inquit, apud Catholicos res ita se habet; nam potius uni imagini, quam alteri addicti sunt; omnes exprimunt Christum, vel Mariam, vel Antonium, & tamen ad unam potius accedunt precaturi, quam adaliam, peregrinationes suscipiunt, munera deferunt, jejunia impendunt, populum hortantur &c. si imago adoranda est propter prototypum, omnes æquales sunt; quare igitur sic distinguuntur? hæc certe superstitio est. Quod si hoc velint imaginibus concedere, adorentur igitur omnes homines, qui sunt Dei imagines.

112. Periculum, quod Calvinus timet in Ecclesia Christi aditum non adinvenit; Quid de imaginibus, & sanctorum statuis sentiendum sit, satis sunt edocti, & quando oportet edocentur fideles, sicut ex Tridentino alibi dictum est; nec miretur, si potius uni imagini, quam alteri cultus deferatur, sicuti Deus per unam potius miracula operari, vel gratias largiri dignatur; quædam etiam imagines duplici sanctitate præditæ sunt, una propter significationem, altera propter artificem, ut essent imagines Beatissimæ Virginis, quas à Sancto Luca accepimus fuisse depictas, & illa Sancti Stephani, quam ab Angelo formatam esse narrat Evodius lib.2. de miraculis. Contingit etiam, aliquam imaginem magis ad pietatem devotionemque animos excitare; sed, utcumque res se habet, qui ad imagines precaturi accedunt, imaginem non invocant, sed sanctum, quem imago repræsentat. Ad ultimum, si homo consideretur ut imago Dei, concedo ipsi offerri posse cultum religiosum, ait enim Cyril. catechesi 12. *Imago lignea terreni Regis adoratur, quanto magis rationalis imago Dei?* Et Augustinus ep. 203. ad Maximinum Episcopum Donatistarum, fatetur, se, cum in titulo epistolæ posuissent verba *Honorabili fratri* id egisse non propter Episcopatum ejus, sed propter imaginem Dei, quam, cum esset homo, gerebat.

113. Postremo loco argumenta illa, quibus adeo gloriantur hæretici, proponenda servavi; ea autem sunt, quæ inquiunt contineri in tribus Conciliis, idest in Constantinopolitano sub Leone Isaurico, in alio Constantinopolitano sub Constantino Copronymo, in quo fuerunt Episcopi 138. & in Francofordiensi, in quo reprobata fuit septima Synodus, quæ imaginum adorationem definierat, ac tandem in libris, qui appellati sunt Carolini.

114. De eo, quod attinet ad Concilium Francofordiense, & libros Carolinos, singillatim in sequenti agendum erit; nunc de duobus Conciliis Constantinopolitanis pauca; Dicendo, hæc Concilia fuisse prorsus illegitima; non adfuit Pontifex nec per se, nec per suos Legatos; non consenserunt Patriarchæ nec per se, nec per suos Legatos; ita referunt Zonaras, Cedrenus, Paulus Diaconus, Sigibertus, Ado, Rhegino, aliique. Si autem de solo primo sub Leone sermo fiat; Zonaras 3.annal. & Cedrenus in vita hujus Imperatoris ad an.703. narrant; Istius jussu duodecim viros in domum quandam, ubi plurima erat copia librorum, convocatos fuisse, quos cum nullo modo ad suam formandam sententiam adducere posset, illos cum libris & domo comburi præcepit,

Pau-

Paulus vero Diaconus lib. 21. rerum Romanarum hæc verba facit. *Indictione 3. imperii sui septimo Kalendas Januarii feria 3. Leo Concilium celebravit contra venerabiles Iconas in tribunali 17. cubitorum, advocato quoque Germano Sanctissimo Patriarcha, ratus, posse illi persuadere, quo subscriberet contra sacras imagines, qui cum se id facere non posse sine universali Concilio respondisset, ut alter Jonas, ne propter ipsum oriretur tempestas, Episcopatui renuntiavit.* Hæc Centuriatores pro se afferunt, ut conventum hunc Concilium fuisse demonstrent; sed cur quæso nullius Episcopi aut ex græcis, aut ex latinis mentio fit? Fuit profecto conventus laicorum judicum, cujus sententiæ subscribere voluisset Germanum Patriarcham, ut inde à populo facilius reciperetur. Quod vero dicant, invidia historicorum prætermissa fuisse nomina Episcoporum, sordidum inventum est; etenim etsi in alio Concilio sub Constantino Copronymo acriter contra imagines decertatum esset, attamen Episcoporum nomina Historici non omiserunt.

115. Mirum tamen est, hæreticos hujusce postremi Concilii auctoritatem proferre, cum etsi impie de imaginibus senserit, attamen in aliis definitionibus contra ipsorum errores definitiones habuerit, etenim can. 15. illis dixit anathema, qui Beatam Mariam non invocant, can. 17. illis, qui sanctos non colunt, aut eorum precibus se non commendant; & can. 18. statuitur, Deum redditurum æterna præmia juxta cujuscumque operum merita, quæ omnia ab hæreticis pernegantur.

§. VIII.

De Concilio Francofordiensi, & Libris Carolinis.

CUM præcipuum argumentum contra nos ex Francofordiensi Concilio hæretici colligere arbitrentur, & cum multa de hoc Concilio apud Scriptores reperiantur, peculiarem locum ipsi facere consultius futurum esse existimavi.

116. Variæ igitur primo loco historicorum sententiæ proferendæ sunt; seu potius Doctorum placita, quæ ex variis historiis derivarunt. Amoinus, seu Amonius in annalibus Francorum ad an. 794. ita scribit. *Ibi etiam*, scilicet Francofurti, *Synodus, quæ ante paucos annos Constantinopoli congregata sub Irene, & Constantino filio ejus, septima, & universalis ab ipsis appellata est, ut nec septima, nec aliquid diceretur quasi supervacanea ab omnibus abdicata.* Rhegino lib. 2. ad an. eundem sic habet. *Pseudosynodus, quam septimam græci appellant, pro adorandis imaginibus abdicata penitus est.* Joan. Aventinus in historia Bajorum, sic ait. *Item acta Græcorum de imaginibus adorandis recisa sunt.* Andreas vero Quercetanus, qui veteres Francorum annales in unum corpus redegit, sic adnotavit sub eodem anno. *Pascha celebratum est in Francofurt; ibique congregata est Synodus magna Episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum, in præsentia jam præfati Principis*, idest Caroli, *& Missorum Domni Apostolici Adriani, quorum, nomina hæc sunt, Theophylactus, & Stephanus Episcopi. Pseudosynodus Græcorum, quam falso septimam vocabant, & pro adorandis imaginibus fecerunt, rejecta est à Pontificibus.* Ex hisce adeo dubium est, contra quam Synodum nimirum, vel illam habitam à Copronymo, vel aliam sub Constantino ejus filio & Irene egerit Francofordiense, ut Doctores plurima, & inter se discrepantia, docuerint.

117. Alanus Copus dial. 4. cap. 18. quem sequutus est Sanderus lib. 2. de imaginibus cap. 5., nec non Suarez disput. 54. tertiæ partis sect. 3. firmiter existimat, à Scriptoribus superius laudatis nunquam traditum esse, Concilium Francofordiense quidpiam egisse contra Concilium Nicænum secundum quod se-

septimæ Synodi veræ nomine appellatum fuit; dico, veræ, nam & illam sub Copronymo septimam, ac universalem Græci nuncupare non dubitarunt. Ad hoc dicendum plurima momenta non desunt; & primo si considerentur verba historicorum, quos retulimus. Secundo ex Surio tomo 3. Conciliorum, qui in præfatione ad Concilium Francofordiense, hoc ipsi falso impositum esse conqueritur; & ex Paulo Æmilio, qui lib.2. de gestis Francorum, loquens de ejusdem Concilii definitione, affirmat, fuisse contra græcos Imperatores, videlicet Leonem, & Constantinum, qui Sanctorum imagines impie damnaverant. Tertio ex Concilio Sennonensi, quod in decretis fidei cap.14. ait. Carolum Magnum in Francofordiensi conventu erroris Iconomachorum insaniam repressisse; Quod totum testantur etiam Blondus æneade 2. lib.1., Petrus Galissardus in Chron. ad an.816., Anselmus Riddus in cathalogo annorum, & Principum.

118. Adeo comperta videntur hæc esse, ut & Sanderus ibidem dixerit, Matthiam Illyricum per annos quatuor ne verbum quidem, quo responderet, excogitare potuisse; Fateor rem ita esse, attamen si attendantur verba Amoini, Rheginonis, Aventini, & Querentani maximam difficultatem invenio; atque ipsos deceptos fuisse ex ignorantia vel lapsu dicamus, necesse est. Inquit Primus; Synodum Constantinopoli celebratam sub Irene & Constantino ejus filio tanquam septimam fuisse abdicatam, & supervacaneam dictam; At sub Constantino & Irene Matre vera septima Synodus habita fuit, non in Urbe Constantinopolitana, sed in Nicæna. Inquit secundus. *Pseudosynodum, quam septimam græci appellant, pro adorandis imaginibus abdicatam*; At Pseudosynodus non fuit pro adorandis, sed evertendis imaginibus, & si respondet Copus, omissam esse alterius incuria particulam *non* idest *pro non adorandis*, videtur hoc gratuito dici, & nimium esset tam in exemplaribus Rheginonis, quam Aventini fuisse hujusmodi incuriam. Potius dicere posset, verba illa pro, vel de adorandis imaginibus referenda esse non ad pseudosynodum, seu ad acta Græcorum, sed ad ultimum verba *abdicata, recisa*, ita ut sensus sit, pro adorandis imaginibus, idest, ut imagines adorarentur, pseudosynodus fuit abdicata, acta græcorum fuerunt recisa, & hujusmodi explicatio non est juxta sensum Scriptorum. Eadem contradictio est in verbis Quercetani, *& pro adorandis imaginibus fecerunt*; immo nullo pacto superior explicatio illis aptari potest.

119. Alii vero concesserunt, in Concilio Francofordiensi revera Synodum septimam, Nicænam secundam damnatam esse, nullum tamen in eo, quod attinet ad imaginum cultum errasse, etenim, quod Nicæna stabilivit, sensit & Francofordiense, sed errorem fuisse in facto, cum Patres Francofordienses existimaverint ex rumoribus falsis, statutum fuisse illis cultum indebitum, idest latriæ, qui merito rejectus fuit, sicuti in qualibet legitima Synodo rejiceretur. Hoc tradidit Genebrardus in suo Cronico ad an.794. cujus verba sunt ista. *Addo, Patres, qui Francofurtum convenerant, non satis habuisse perspectam Nicænæ Synodi sententiam, ac fuisse deceptos falsis rumoribus, & scriptis. Nam contra eam sic dimicarunt; ac si ad statuendam imaginum adorationem simpliciter incubuissent; cum potius de retinendis imaginibus sanxissent, & egissent adversus Constantinopolitanam septimam Pseudosynodum, quæ de confringendis, & omnino tollendis paulo antea canones edidit*. Dum legis *adorationem simpliciter*, intellige adorationem latriæ.

120. Authores Genebrardi sententiam sequentes duobus aliis fundamentis ducuntur. Primum desumitur ex præfatione libri Carolini, ubi hæc leguntur. *Allata est in medium*, idest Con-

Concilii Francofordienſis, *quæſtio nova de Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui imaginibus ſanctorum, ita ut Deificæ Trinitati ſervitium, aut adorationem non impenderint, anathema judicarentur, qui ſupra Sanctiſſimi Patres noſtri,* nimirum *Francofordienſes, omnimodis ſervitutem & adorationem impendere renuentes, contempſerunt, atque conſentientes condemnarunt*. Secundum colligitur ex quodam fragmento Hincmari in lib. contra Epiſcopum Jandunenſem cap. 20. in quo habentur hæc verba. *Septima autem apud Græcos vocata univerſalis Pſeudoſynodus, de imaginibus, quas quidem confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra vero pars intellectu ſano definiens, ſine authoritate Apoſtolicæ Sedis. Non longe ante noſtra tempora Niceæ eſt à compluribus Epiſcopis habita, & Romam miſſa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit; unde tempore Caroli Magni Imperatoris, juſſione Apoſtolicæ Sedis generalis Synodus in Francia convocante præfato Imperatore celebrata, & ſecundum Scripturarum tramitem, traditionemque majorum ipſa Græcorum Pſeudoſynodo deſtructa, & penitus abdicata, de cujus deſtructione non modicum volumen, quod in Palatio adoleſcentulus legi, ab eodem Imperatore Romam eſt per quoſdam Epiſcopos miſſum*. Ex quibus omnibus ſatis manifeſte evincitur à Concilio Francofordienſi damnatum eſſe Nicenum ſecundum, quia putaverint Patres fuiſſe ab eodem definitum, imagines ſicut Deum fore adorandas.

121. Quod tamen aliis placuit mihi perdificile ſemper viſum eſt, etenim Conc. Nicænum paulo antea congregatum fuerat ſub Adriano eodem Pontifice, adfuerunt ejus Legati tum illi, tum Francofordienſi, ut concedunt ipſi, quo pacto igitur fieri potuit, ut ea falſa exiſtimatione duceretur, cum ab eiſdem inſtrui potuiſſet, & doctrinæ in Nicæno ſtabilitæ certius effici? Præterea. Noverant Legati illius Concilii authoritatem, noverant Romani Pontificis approbationem, qua igitur ratione damnarunt? præſertim cum in Francofordienſi definitum ſit, ſupremam definiendi authoritatem, & approbandi Concilia penes Pontificem reſidere.

122. Procul dubio Genabrardus, & cum ipſo alii in errorem prolapſi ſunt propter ea, quæ ex præfatione libri Carolini recitata ſunt. Quid enim de Carolinis libris ſentiendum ſit, infra dicetur. Interim nota, ibi dictum eſſe, *quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli fecerunt*. Quando nam Conſtantinopoli facta eſt Synodus pro adorandis imaginibus? facta tantum eſt pro confringendis; Unde Surius mirabilem Dei providentiam agnoſcit, quod dum hæretici locum illum corrumpere ſtuduerunt, obliti ſunt delere verbum *Conſtantinopoli*, & in ejus locum, *Niceæ* ſubſtituere. Ex hoc Carolino libro etiam Hincmarus, ſi tamen ipſius eſt ille liber, quod Alanus negat, in errorem prolapſus eſt; & perpende ex citatis verbis, Canones Nicænæ Synodi Concilii Francofordienſis Patres latere non potuiſſe; teſtatur enim, ſeptimam Synodum prius Romam, deinde à Romano Pontifice in Franciam miſſam; Deinde Synodum generalem in Francia, ideſt Francofurti, quod eſt Civitas in Orientali Francia poſita, eſſe celebratam; igitur Concilium Francofordienſe habuit, & vidit acta ſeptimæ Synodi, Nicænæ ſecundæ.

123. Melius dici poſſet cum Petavio, acta ſeptimæ Synodi, quæ, ex Græcis latina facta, miſſa ſunt in Gallias, fuiſſe corrupta, atque hoc pacto à Concilio Francofordienſi fuiſſe damnata, atque hinc orta odioſa illa ſeptimæ Synodi, & hoſtilis inſectatio, quæ apud Gallos percrebuit, ut idem dicit; porro corrupta fuiſſe ex eo conſtare poteſt, quod confeſſio Conſtantini Conſtantiæ in Cypro Epiſcopi latine eſt iſta. *Suſcipio*,

pio, & amplector honorabiliter sanctas, & venerandas imagines, & quæ secundum servitium adorationis, quæ substantiali & vivificanti Trinitati emit. to; & qui sic non sentiunt, neque glorificant, à Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia segrego, & anathemati subjicio, & parti eorum, qui abnegaverunt incarnatum, & salvabilem dispensationem Christi veri Dei nostri emitto, Græce vero est hæc. *Constantinus Sanctissimus Episcopus Constantiæ Cypri dixit &c. His consentio, & concors sum, suscipiens & cum honore amplectens sanctas, ac venerandas imagines, ac latriæ adorationem soli supersubstantiali & vivificæ Trinitati defero, & eos, qui non ita sentiunt, neque glorificant, ab S. Catholica, & Apostolica Ecclesia segrego, & anathemati subjicio, & in partem eorum, qui negant carnalem, & corporalem dispensationem Christi veri Dei nostri, transmitto*. Quid igitur mirum, si Concilium Francofordiense acta sic corrupta, in quibus falsa fides continebatur, damnavit? at non ex hoc inferri poterit, damnasse septimam Synodum Nicænam 2. sed solummodo Nicenæ Synodi corruptionem, & ideo nihil ex Francofordien. sententia colligi potest.

123. Tandem alii absolute tradiderunt, nihil à Concilio Francofordiensi statutum esse, quod esset contra cultum imaginibus debitum. Pr. quia nihil de hac re dixit Adrianus in scripto de imaginibus, & tamen dixisset, sicut eum librum Carolinum confutavit, ac rejecit. Secundo quia Claudius Taurinensis Episcopus, de quo dictum alibi, qui non multo post Concilium Francofordiense Iconomachiam docuit, procul dubio in sui erroris confirmationem illud adduxisset, nec tamen adduxit. Tandem, quia credi non potest, Carolum Electum Imperatorem, eo quia Imperatores Orientales Iconomachi erant, & ipsum Iconomachiæ patronum fuisse. Hæc sunt fundamenta, quæ pro hac parte adducit P. Vasquez, ostendens insuper Scriptores, quos pro se producunt hæretici, deceptos fuisse; De qua re nihil à me dicendum, cum penes ipsum illa reperies.

124. Argumentum ex Conc. Francofordiensi opposuit sibi Bellarminus; & tria respondet; Secundo, quidquid definierit Francoforodiense, non esse magni faciendum, nisi in eo, quod spectat ad filiationem naturalem Christi per exclusionem filiationis adoptivæ, sicut nos diximus, dum de hac controversia disseruimus, etenim pro certo habendum est, præponendum esse Nicenum Secundum, utpote universalius, antiquius, & procul dubio confirmatum à Romano Pontifice, quod de Francofordiensi non constat; Secundo, ab ipsis Centuriatoribus cent.8. cap.9. affirmari, huic non consensisse Adrianum, ejusdemque Legatos; ergo fuit nullum. Tertio denique, nihil de ipso certi definiri posse, cum adeo inter se contraria apud Scriptores inveniantur. Quapropter &c.

125. Nunc nonnulla dicenda sunt de libris Carolinis, ex quibus Calvinus lib.1. instit. cap.11. duo deducit. Primum; Nicænum Concilium statim rejectum fuisse à Carolo Magno. Secundum, in illo impie statutum esse, imaginibus tribuendum esse honorem sacrificiorum, illumque cultum, qui vivificæ Trinitati exhibetur.

Ferunt igitur sub Caroli Magni Francorum Regis nomine opus quoddam in quatuor libros distributum prodiisse, cujus titulus erat. *In nomine Domini, & Salvatoris nostri Jesu-Christi, opus Illustrissimi, & Excellentissimi, seu spectabilis viri Caroli, nec non Domini Regis Francorum &c. contra Synodum, quæ in partibus Græciæ pro adorandis imaginibus stolide, sive arroganter gesta est.* Deinde in præfatione duo commemorantur Concilia, unum sub Constantino Copronymo, alterum sub Constantino & Irene; ac utrumque damnatur; primum propter incautam, & indiscre-

tam

tam procacitatem, quia imagines, in ornamenta Ecclesiarum, & memoriam rerum gestarum ab antiquis positas incauta abolerent abdicatione, tanquam si quod Dominus de idolis præceperat, hoc ab illis de cunctis imaginibus patraretur. Secundum vero, quia, (sunt verba præfationis) *Quamcumque repererunt imaginum mentionem, erga suæ voluntatis arbitrium vertunt in adorationem*. Prosequitur dicens: *Imagines in ornamentis Ecclesiarum, & memoria rerum gestarum habentes. Et solum Dominum adorantes, & ejus sanctis opportunam venerationem exhibentes, nec cum illis frangimus, nec cum istis adoramus, sed illius ineptissimæ Synodi Scripturam &c. abnuentes, institutoris nostri, sermonis videlicet dominici, nitimur fieri usquequaque sequaces*. Incipiunt deinde libri, & varia Synodi, quæ in Bithinia regnante Constantino, mediante Irene matre ejus, residente Tarasio Constantinopolitano Episcopo gesta est, pluribus, non tam rationibus, quam conviciis refutantur.

127. Hæc omnia, si vera essent, Carolinos libros prorsus summis laudibus attolleremus, & quemadmodum, num. 122. diximus, acta Concilii Nicæni fuisse ex Græco in latina versione corrupta, & ideo damnatam jure merito illam doctrinam, quam corruptio exhibuerat, ita diceremus, merito etiam in iisdem libris fuisse rejectam; quo dato argumentum hæreticorum nullum esset, ac tantum concludendum fore, in Concilio Francofordiensi, & libris Carolinis fuisse errorem facti, nequaquam juris. Attamen, dum illam præfationem nobis opponit Calvinus, per ipsam manifeste ejus error convincitur. Nonne dicit, *Ejus sanctis opportunam venerationem exhibentes, nec cum illis frangimus, nec cum istis adoramus?* Jam præmiserat, istos adorare eo cultu, qui soli Deo tribuitur, recte igitur cum istis non adorare profitetur, dixit, venerationem adhibere ergo alio alio cultu, qui sit inferior; quid, rogo, aliud nos Catholici contendimus? quid aliud Concilium Tridentinum decrevit?

128. Sed pergamus, rem ulterius ponderaturi; opus hoc, quod Caroli Magni nomine prodiit in lucem ann. 1539. editum à quodam qui Eli Phili se appellavit, non dubito tempore ejusdem Caroli fuisse conscriptum, sed ab Eli Phili admodum corruptum, & plutibus conviciis stiloque virulento repletum. Illud missum fuisse ad Adrianum Papam per Engilbertum Abbatem omnes pro certo habuerunt, quamvis Petavius ab hac opinione recedat, nec sine gravi conjectura. Primo quia in quatuor libris Carolinis continentur centum & viginti lemmata, seu capitula contra Synodum, Adrianus autem tantum octoginta & unum commemorat, atque refellit. Secundo quia aliqua tantum capitula, ex opere Carolino excerpta, missa fuisse, probari potest. Ideo Adrianus in proemio Apologiæ illud vocat *Capitulare adversus Synodum, quæ pro sacrarum imaginum erectione in Nicæa acta est*. Tertio, quia in capitulari hoc misso unum continetur, quod in Carolino non reperitur. Sic enim loquuntur Patres Francofordienses, qui miserunt. *Ut sciat Dominus Apostolicus, & Pater noster, & cuncta simul Romanorum Ecclesia, ut secundum quod continetur in epistola Beatissimi Gregorii, quam ad Serenum Massiliensium Episcopum direxit, permittimus imagines Sanctorum, quicumque eas formare voluerit &c.* Videtur tamen contrarium colligi ex Hincmaro, qui fatetur, se cum adhuc adolescentulus esset, vidisse in Palatio Regis volumen non modicum de destructione Pseudosynodi Græcorum ab Carolo Imperatore Romam per quosdam Episcopos missum, porro capitula sola grande volumen non faciunt; sed dici potest, vel ab Hincmaro sumi totum pro parte, ita ut missa fuerint aliqua ex illo volumine de-

deprompta, vel falso hoc dixisse, cum etiam scripserit, missum fuisse per Episcopos quosdam, cum tamen Adrianus Papa solius Engilberti Abbatis mentionem faciat in epist. ejusdem ad Carolum Magnum.

129. Illud autem judicio meo in dubium revocari non potest. quod opus hoc Carolinum nequaquam à Carolo compositum fuit, sed ejus nomine ab aliquo Episcopo, vel etiam pluribus una cum præfatione fuisse elaboratum, quod tamen neque Carolus legerit, & multo minus probauerit; libri vero authores mandati Regii fines excessisse, atque plura contra christianam modestiam exposuisse, quemadmodum Faustus Rejensis ab Arelatensi Synodo rogatus libros duos conscripsit, sed Synodi authoritate abutens plura contra Catholicæ fidei regulam admiscuit; non difficili negotio potest demonstrari.

Quis enim animo præsuadeat suo, ad Adrianum missum esse librum, in quo Carolus septimam Synodum damnaret, cum jam sciret, ab Adriano paullo ante Synodum illam fuisse approbatam? quis hoc sibi finget, Carolum declaratum fuisse in Romanorum Imperatorem, eo quia Imperatores Occidentis erant Iconomachi, si etiam ipse fuisset hujusmodi? attendamus insuper, ut notavit Alanus, Carolum initio sui Regni misisse ad Concilium Lateranen. sub Stephano Papa duodecim electos Episcopos, ut damnarent septimam falsam Synodum sub Copronymo, ut narrat Paulus Æmilius lib.2. Historiæ Francorum, credi autem non potest, Carolum tam cito ad Copronymi sententiam transiisse. Tandem Jonas Aurelianensis in epist. ad Carolum Calvum Ludovicii Pii filium, laudat Ludovicum Pium Imperatorem, quod imitatus Caroli Magni Patris sui in Ecclesia juvanda fidem & pietatem, Claudii Taurinensis Iconomachi librum damnaverit; hoc autem dicere non potuisset, si Carolus Magnus Iconomachorum partes sustinuisset.

130. Hæc omnia dicta sunt ad pleniorem rerum notitiam; cæterum, si diceremus, etiam Carolùm Magnum, aliosque contrarios fuisse, parum referret, nam ad Imperatores non spectat res fidei definire, sed armis defendere; judicium hoc, ut fatentur etiam ipsi libri Carolini, soli Romano Pontifici est reservatum; proinde &c.

§. IX.

Quomodo imagines sint adorandæ.

131. Tres opiniones in hac re apud Doctores invenio. Prima docet, eumdem cultum trubuendum esse imagini, qui tribuitur prototypo, atque ideo imaginem Christi adorandam esse cultu latriæ, aliorum sanctorum cultu duliæ, atque hæc sententia videtur expressa à S. Th. hic, à S. Bonavent. art. 1. qu. 2. Richardo, Alensi, Turrecrem. Walden. aliisque pluribus, quorum non modica fundamenta sunt, ut infra exponam. Secunda docet, imaginem nullo modo in se colendam esse, sed solum per imaginem colendum exemplar. Hanc pro viribus tuetur Vasquez, qui pro se plurimos adducit Doctores, & pro ea plurima etiam momenta congeruntur, quæ non prætermittam. Tertia denique media docet, imaginibus esse honorem deferendum, sed eo inferiorem, qui defertur exemplari. Pro hac citantur Sanderus, Catharin. Bellarmin. Suarez, aliique.

132. Ut hæc omnia facile concilientur, illud animadvertendum est, quod alibi aliquo modo indicavimus, nimirum, aliquid tripliciter honorari posse. Per se, vel per accidens. Propter se, vel propter aliud, proprie, vel improprie. Quod per se adoratur est suppositum, in quo reperitur excellentia cui tribuitur veneratio, per accidens vero veneratur, quod ipsi supposito est conjunctum, exemplum est in Rege, qui per se honoratur in purpura, & Sceptro,

ptro, quibus tantum per accidens honor defertur. Illud adoratur propter se, quod in semetipso rationem adorationis continet, & non ab alio accipit, & hoc pacto sola natura rationalis est capax adorationis; illud e contra propter aliud, quod etsi in se continet adorationis causam, attamen hæc ab alio dependet. Illud adoratur proprie, quod ratione sui ipsius honoratur, illud improprie, quod loco alterius. Legatus v. g. Cæsaris aliquando honoratur ut Legatus, & quamvis propter alium honorem accipiat, attamen proprie honoratur; aliquando honoratur loco Cæsaris honore Cæsari convenienti, & tunc improprie honor exhibetur Legato, proprie profertur Cæsari. Hac posita explicatione.

133. Dico pr. Non esse imagini per se & proprie tribuendum eundem cultum, qui tribuitur prototypo. Hoc manifeste colligitur ex Concil.7. act.7. ubi expresse docemur, imaginem Christi non esse adorandam cultu latriæ, sed si foret idem cultus tribuendus imagini, qui tribuitur prototypo, adoranda esset cultu latriæ, nam hujusmodi cultu adorandus est Christus, ergo. Neque dicas, Concilium excludere cultum latriæ, qui rei propter se defertur, non autem qui propter aliud præstatur, etenim, ut omni explicationi locus præcludatur, addit, imagines adorari non aliter, quam Vasa Sacra, ac liber Evangeliorum, sed hæc nunquam adorari possunt cultu latriæ neque propter se, neque propter aliud, ergo neque imago Christi. Hinc SS. Irenæus lib. 1. cap.24. Epiphan. hæresi 27. Augustin. hæresi 7. Damasc. lib. de centum hæres. inter hærecicos illos collocarunt, qui Christi imaginem Divinis honoribus prosequebantur. Ratio autem explicari potest, quia imago non est ipsum exemplar per se & proprie, sed solum in esse repræsentativo, quod inferius est exemplari, proinde proprie & per se debitus est ipsi tantum cultus inferior; juxta versiculos illos, qui dicuntur compositi tempore 7. Synodi, & leguntur in magna Venetorum Urbe in æde aurea celeberrimo opere incisi.

Nam Deus est quod imago docet, non Deus ipse.
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

133. Contra hoc plura reponi posse videtur. Etenim de Cruce canit Ecclesia, *O Crux ave spes unica, piis adauge gratiam, reisque dele crimina.* Secundo ex Patribus, nam Basilius in lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium c. 18. *Imaginis honor ad exemplar transit.* Ambros. in lib. de incarn. Domin. Sacramento cap.7. *Num, cum in Christo imaginem Dei, & crucem adoramus, dividimus eum?* Non igitur cultus imaginis dividendus est à cultu prototypi. Hieronym. in epis. de obitu Paulæ. *Prostrata ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Sicut igitur si pendentem Dominum vidisset, cultu latriæ adorasset, ita etiam crucem. Accedit textus Arist. qui in lib. de memoria & reminiscentia cap. 2. *idem est motus in imaginem, & in exemplar.* Tandem ratio suffragatur, quia si quis injuriam afferat imagini Regis, est reus læsæ majestatis, sicut qui injuriam affert ipsi Regi, ergo quia eadem est injuria imaginis, ac prototypi, itaque & idem honor.

Hæc probant, quod secundo.

134. Dico, prototypum in imagine, & imaginem cum prototypo eodem cultu adorari. Assertum hoc clarissime ostenditur primo ex Patribus, præsertim Basilio lib. de Spiritu Sancto c. 18, ubi ait; *Rex dicitur Regis imago, & non duo Reges, neque imperium scinditur, neque gloria dividitur, quia sicut potestas est una, ita & glorificatio est una.* Et Athanasius ser.4., vel ut antiquioribus placet, 3. contra Arianos sic loquitur. *In imagine Regis inest species, & forma, & in Rege vicissim inest ea species, quæ est in imagine. Est enim similitudo Regis in*

in imagine nulla re discrepans; adeo ut qui imaginem intuetur, in ea regem conspiciat: ac rursus qui videt regem, agnoscat hunc eundem esse, qui est in imagine. Deinde sic concludit. *Qui igitur adorat imaginem in ipsa regem adorat, quippe hujus forma, & species est imago.* Hoc prius traditum fuit ex septima Synodo in excerptis, & in actione 7. hæc leguntur. *Per hanc imaginum pictarum inspectionem, omnes, qui contemplantur, ad prototyporum memoriam, & recordationem, & desiderium veniunt, illisque salutationem, & honorariam adorationem exhibent, imaginis enim honor in prototypum resultat, & qui adorat imaginem in ea adorat quoque descriptum argumentum.* Doctrinam hanc optime exposuit Tridentinum sess. 25. in decreto de sacris imaginibus, ubi sic statuit. *Imagines porro in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in his divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ut per imagines, quos osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt.*

135. Hisce, aliisque similibus ducti momentis, existimarunt aliqui, ut dixi in referenda secunda sententia nu. 130. nullo pacto adorandas esse imagines nisi una simul cum prototypis. Contra quos

Dico 3. Imagines etiam secundum se dignas esse adorationis etiam in se ipsis consideratas. Hoc autem satis colligitur ex toties adducta Synodo septima, in qua definitum fuit, imagines Christi venerandas esse, sed non cultu latriæ; ex hoc sic infero; Si imagines Christi non essent adorandæ secundum se, sed tantum propter exemplar, adorandæ forent cultu latriæ, sicut Christus hujusmodi adorationem sibi debitam vindicat, sed hoc non juxta Concilium, ergo aliqua adoratio debita est imagini Christi, quæ nequaquam Christo seu exemplari conveniens esset; Si dicant; ideo imaginem Christi non esse adorandam cultu latriæ, quia repræsentat Christum ut hominem, non ut Deum, cui tantum hujusmodi cultus debitus est, catholice non respondent, nam sic Christum hominem dividunt à Christo Deo; Certe per imaginem hominis totus homo repræsentatur, & pari ratione per imaginem Christi totus Christus, & ideo ut Deus & homo repræsentatur. Vidit Thomas Christum hominem, & tamen adoravit ut Deum dicens, *Dominus meus, & Deus meus.* Præterea. Idem Concilium ex dictis asseruit imagines adorandas esse sicut vasa sacra, & evangelia, sed ista secundum se adoratione sunt digna, ergo & illæ. Tandem, animadvertas oportet, imagines vere sacras esse, utpote Divino cultui dicatas, cur igitur per se adorari non poterunt? Verum est, non adorari propter se, quia utcumque adorentur, semper honor ipsis præstitus transit ad exemplar; sed jam dixi, distinguendum esse cultum per se, & cultum propter se; etiam proximus diligitur per se, nec tamen propter se, sed propter Deum diligitur; Quare sicuti potest amor in proximum vel mediate, vel immediate dirigi ad Deum, ita honor erga imagines potest vel mediate vel immediate dirigi in exemplar. Hoc patet etiam in eo, qui eleemosynam elargitur pauperi, qui immediate pauperi facit, mediate Christo, cujus imago est pauper.

136. Fateor tamen, cultum, qui per se ac proprie in imagines impendi potest, esse inferiorem eo, qui prototypis exhibetur, ita ut nec sit proprie latria, hyperdulia, aut dulia, sed solum hujusmodi sit analogice, & reductive; ideo proprie loquendo & directe, cultus imaginibus non exhibetur; & sic habes, quo pacto facillime explices quidquid fortasse opponi posset, ac jam in superioribus

ribus est oppositum. Satis num. 132. dictum.

137. Superest arbitratu meo id explicandum, quod juxta doctrinam Aristotelis num. 133. afferebatur, idest, eundem esse motum in imaginem, & in exemplar. Dictum illud ita explicat Durandus, ut quamvis sit idem in imaginem, & in exemplar motus mentis, attamen esse possint diversi motus voluntatis, nam licet utrumque unico actu cognoscatur, attamen cognoscitur tanquam unum distinctum ab alio, quod ab aliis confirmatur ex eo, quod, si quis videat v.g. imaginem Christi sine aliqua proportione depictam, imaginem contemnit, nec tamen Christum contemnit, è contra si quis videat imaginem Judæ cum æquis lineamentis expressam, laudat imaginem, nec tamen laudat Judam; sed quidquid sit de hac doctrina, facilius & brevius responderi potest, esse eundem motum materialiter, non vero formaliter, cum hoc vel alio modo tendere possit. Atque hæc pro hac materia juxta institutum nostrum dicta sint satis, quæ Sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ infallibili authoritati demissa mente, & supplici corde subjicio &c.



F I N I S.



ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 26. quicumque	cuicumque
31. conciam	unciam
43. humanitatis	humanitas
55. ab.	ob.
61. se	si
64. hoc	hac
80. mentem	mensem
81. duos	duas
95. argumentum	argumenta
108. divinis	diversis
119. ego	ergo
162. peccata	peccare
178. autem	actum
199. convincisset	convicisset
222. impertium	imperium
224. nunc	tunc
289. Christum	Christo
296. interim	interitu
336. non	nos

Leviora omisi, quæ ipse legendo corriges.





